Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/depraxidivinaepr0000vpni

V. P. NICOLAI LANCICII

E SOCIETATE IESU

OPUSCULUM SPIRITUALE UNDECIMUM.

V. P. NICOLAI LANCICIUS
E SOCIETATE IESU.

DE PRAXI
DIVINAE PRAESENTIAE
ET
ORATIONUM IACULATORIARUM
ac variis orandi Deumque pie colendi modis.

Editio recens emendata.



CRACOVIAE,
E TYPOGRAPHIA „CZAS“ FR. KLUCZYCKI & SOCIORUM.
1889.

44120

Nr. 4968.

APPROBATIO.

V. P Lancicii S. J. Opusculum spirituale undecimum: *„De praxi Divinae Praesentiae, et orationum iaculatoriarum, ac variis orandi Deumque pie colendi modis“*, denuo imprimi permittimus.

Cracoviae, die 9 Novembris 1889 anni.

Absente Celsissimo ac Reverendissimo Loci Ordinario:

F. Gawroński.

MONITUM EDITORIS.

Ad monita quae in capite praecedentis opusculi P. Lancicii: «De exteriore corporis compositione» posuimus, nihil inpraesens addendum putamus, nisi, quod in afferendis auctoritatibus Patrum, praeter librum et caput operis, etiam tomum et paginam patrologiae Mignanae indicavimus; ex. gr. Moralia S. Gregorii: «Mor. l. II. c. III. n. 3. in fine (P. l. LXXV. 557)».

Porro cum plures Sancti subinde canonizati fuerint, quos P. Lancicius adhuc Beatos aut Venerabiles nominat, hanc nuncupationem emendandam duximus. Verum quoad Immaculatam Virginis Conceptionem, pia auctoris vota ut hoc dogma proclametur intacta reliquimus.

INDEX CAPITUM.

Pag.

PRAEFATIO 1

CAP. I. — De utilitate divinae praesentiae . . . 5

CAP. II. — De modo habendae divinae praesentiae 23

CAP. III. — De modo offerendi res nostas Deo . . 30

CAP. IV. — De modis quibus usa est S. Gertrudis in offerendis Deo actionibus 50

CAP. V. — De modis bene traducendi tempus liberum ab occupationibus distractivis 55

CAP. VI. — De modis recolenda a Christi Passionis. 57

CAP. VII — De dolore ac detestatione peccatorum. 84

CAP. VIII. — De renovatione votorum 107

CAP. IX. — De oblatione bonorum propositorum . 112

CAP. X. — De orando pro variis necessitatibus . . 119

CAP. XI. — De multiplici gratiarum actione . . . 137

CAP. XII. — De multiplici sacra adoratione . . . 175

CAP. XIII. — De multiplici adoratione et cultu B. Virginis Mariae 186

CAP. XIV. — De piis affectibus per creaturas excitandis 255

CAP. XV. — De actibus amoris erga Deum eliciendis 273

CAP. XVI. — Quam accepti sint Deo pii affectus, et quo ordine eliciendi 295

CAP. XVII. — De modo perfecte operandi . . . 301

CAP. XVIII. — De modo colendi Deum in SS. Eucharistia ante et post Communionem . . 306, 316

CAP. XIX. — Modus audiendi Sacrum 328

CAP. XX. — De devotionibus quae fieri possunt in nocte Nativitatis Domini 334

Pag.

Cap. XXI. — De devotionibus adhibendis tempore Bacchanaliorum 343
Cap. XXII. — De piis affectibus in ultima Quadragesimae hebdomada exercendis 349
Cap. XXIII. — De aliis piis considerationibus ante sepulchrum Domini 364
Cap. XXIV. — Quomodo Christus D. post Resurrectionem suam sit excipiendus 377
Cap. XXV. — De praeparationibus praemittendis festo Pentecostes 387
Cap. XXVI. — Devotiones quae fieri possunt per octavam Corporis Christi 397
Cap. XXVII. — De devotionibus quae possunt fieri per octavam alicuius Sancti 399
Cap. XXVIII. — De quibusdam festis B. V. Mariae pie celebrandis 402
Cap. XXIX. — De alphabeto vitae spiritualis . . 404
Cap. XXX. — Modus dicendi brevem coronam, quando quis habet caput fatigatum, aut meditari non potest, sive in itinere, sive in infirmitate, sive aliquo alio tempore 406
Cap. XXXI. — De modis colendi Deum per bonam vitam 417
Cap. XXXII. — De modo colendi Deum per vitam sanctam 431
Cap. XXXIII. — De modo colendi Deum per imitationem divinarum SS. Trinitatis personarum . 443

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Promiseram superius hoc Opusculum. Edo id nunc, verum non integre. Alios enim sublimiores pie Deum colendi modos recensebo in secundo libro Opusculi «De negotiatione caelesti». Porro in hoc quoque non tantum SS. Patrum, sed etiam SS. Virginum dictis et exemplis mea consilia et monita confirmo, secutus exemplum magnorum vitae spiritualis magistrorum [1]), laudatorum ab omnibus tum ob causas a me in praefatione Opusculi «De gradibus et indiciis profectus» allatas, tum quia hae Sanctae fidem merentur maiorem, ob sanctimoniam vitae a Sede Apostolica publico cultu concesso honoratam, et ob securitatem doctrinae, eximiorum theologorum atque antistitum iudiciis gravissimis probatam: qualem non habent libri Tertulliani, Origenis, Cassiani ac similium, erroribus ab Ecclesia damnatis, infecti. Ex quorum tamen libris, saepius quam ex illarum, a me bonae excerptae sententiae, et in libros pios ab aliis nec non a me

[1]) Ludovicus Granatensis, Lud. Blosius, Fran. Arias, Fran. Ribera, Alph. Rodericius, Petr. Ant. Spinellius, Jul. Nigronius.

translatae, nullum offendunt, uti quosdam offendisse audio ea, quae, licet rarius, afferuntur a me, revelata divinitus iudicio Sedis Apostolicae, S. Birgittae [1]), et caelitus infusa S. Catharinae Senensi [2]), ac a Deo docente tradita S. Gertrudi [3]) (testibus omni exceptione maioribus) et tanquam «caelestis doctrinae pabula» [4]) per S. Teresiam, Urbani VIII decreto, animis nutriendis porrecta. His merito annumeranda sunt scripta B. Catharinae Bononiensis Franciscanae [5]), et B. Mariae Magdalenae de Pazzis, Carmelitanae mitigatae, quarum doctrinae Deo ipso magistro conscriptae, accuratissime a me non semel lectae, et a longe me maioribus approbatae, adeo securas et certas continent morum sanctorum institutiones, ut ne unicam quidem in eis sententiolam adhuc invenerint rerum sanctarum censores, quae necessario sanam explicationem exposcat, uti exposcunt multae, etiam quorundam Doctorum Ecclesiae, sententiae, vel male intellectae vel male scriptae [quemadmodum bene observavit S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus [6]), et S. Hieronymus [7]),

---

[1]) Greg. XI; Urbanus VI; Bonif. IX; Mart. V; Urb. VIII; concil. Constan. et Basil. [2]) Pius II in bulla canoniz.; Urb. VIII in off. div. [3]) Lansperg.; Bredenbach.; Blos.; Roderic.; Alvarez.; Spinell.; Petrus Faber. [4]) Urbanus VIII in Off. div. approb. [5]) Chron. S. Fran.; Arias; Crassett. [6]) Erronee Anselmo tribuebatur; est vero *Herrei Burd.* Comment. in I Cor. III. 15 (Patr. lat. CLXXXI. 842). [7]) Apol. adv. Ruff. l. II. c. 10. (P. l. XXIII. 460).

ac Bellarminus [1])] ideoque et a theologis et a Sacrae Scripturae interpretibus non raro, pia (uti opus erat) interpretatione, ab erroneis sensibus, quos quidam illis adscripserunt, vindicantur. Liberum est aliis, ex agris supra indicatis, sterquilinio haeresum conspurcatis, bonas saepius ad sua transferre opuscula sententias, tanquam gemmas in fimo inventas; cur potius mihi non liceat, rarius, ex hortis purissimis, nulla contaminatis herba pestilentis doctrinae, flosculos a caelesti Agricola satos decerpere, iisque areolas opusculorum meorum ornare eius in gratiam, qui, uti libenter inter lilia pascitur, ita cupit omnes sacro illorum odore et colore, allici ad evangelicae perfectionis notitiam et amorem, et ad studia apostolicae sanctitatis dictis et factis exprimenda accendi. Data autem opera, mea scribo opuscula rudi stylo et facili, quia iis quoque lectoribus prodesse cupio, qui sublimiore latinitate conscripta, non aeque bene intelligerent, uti intelligent mea; vel, qui allecti splendore ac pompa scriptionis, elegantiae magis verborum et phrasium attendentes quam rebus, nullum vel valde exiguum pro pastu animae fructum ex illis decerperent. Uno verbo, ut loquar cum S. Hieronymo ad S. Damasum Papam scribente: «Mihi sufficit, sic loqui ut intelligar» [2]). Movit me grave iudicium S. Basilii Magni, quod tulit de duobus libris sibi a Diodoro missis, quorum unum

[1]) De scriptor. Eccl. — De Clemente Alex. et passim. (Pag. 41 ed. Colon. 1684). [2]) Epist. XXXVI. n. 14 (P. l. XXII. 459).

tantum probans, sic ei respondit: «Accepi libros «quos misisti, et altero quidem summopere delecta- «tus sum, non solum propter illius brevitatem, sed «et propterea, quod densus est, simul et refertus «sententiis: et praeterea, dictionis inaffectata et in- «composita simplicitas, decora mihi videbatur, et «conveniens perfectioni christiani hominis, cuius est, «non ad ostentationem magis scribere quam ad pu- «blicam utilitatem» [1]). Hoc imitari conor.

[1]) Epist. CXXXV. n. 1. initio. (Patr. gr. XXXII. 571).

CAPUT I.

De utilitate divinae praesentiae.

Exercitium praesentiae Dei, ex recordatione Dei et «ex brevibus orationibus», uti vocatur a Cassiano [1]), seu ut appellatur a S. Augustino [2]), et S. Bernardo [3]), «ex brevissimis et raptim quodammodo iaculatis «orationibus» contextum: quibus, ut loquitur S. Augustinus, «a Deo iaciuntur et sagittantur corda, et «amor excitatur» Deum sagittans, et quae, ut ait B. Laurentius Iustinianus, sunt «opus sanctae oratio-«nis, et sunt sagittae contra adversarios directae, «ignita nimirum orationis desideria, et importuna «supplicationum vota, quae a Christi militibus in «caelum corde tacito destinantur... eminus feriunt,.. «celeriter emittuntur, hostem non sinunt propius ac-«cedere, et ascensorem frequenter unico prosternunt «ictu;... Dei quippe in illis praesentiam videns, «pugnanti illico terga convertit» [4]); has recte appellat Tertullianus: «orationes sine agmine verborum» [5]), et Abbas Isaac apud Cassianum commendat tanquam «pura libamina et sacrificium verum spiritus

[1]) De coenob. instit. l. II. c. 10. (P. l. XLIX. 99). [2]) Epist. CXXX. c. X. n. 20. *Ad Probam.* (P. l. XXXIII. 501). [3]) Vita S. Malach. c. I. n. 1. (P. l. CLXXXII. 1075). [4]) De interno confl. c. X. (initio et post med.) [5]) De orat. c. I. (P. l. I. 1255).

«contribulati, iustitiae laudis salutarem oblationem, «veras ac pingues hostias: holocaustomata medul-«lata [1]), — hoc inquam exercitium divinae praesen-tiae, ab omnibus vitae spiritualis magistris valde laudatum, et a Sanctis omnibus, ab ipso mundi exordio, frequentatum est. Et quidem ab Abbate Isaac usque adeo commendatum, ut dixerit: «hunc «esse finem totius perfectionis, ut eo usque extenuata «mens, ab omni situ carnali, ad spiritualia quotidie «sublimetur, donec omnis eius conversatio, omnis «volutatio cordis, una et iugis efficiatur oratio» [2]). Et quidem cum tanta perfectione, quantam requirit Abbas Moyses, dum docet, «hunc nobis princípa-«lem debere esse conatum, hanc immobilem desti-«nationem cordis nostri iugiter affectandam, ut di-«vinis rebus ac Deo mens semper inhaereat» [3]), in-tellige: quantum patitur status huius vitae. Hoc inquam exercitium, est magni momenti in vita spirituali, et varias habet utilitates, quae videri possunt apud alios auctores: praesertim apud Alvarez de Paz [4]), et alios, quos non transcribendo, adferam ea quae ex communibus et antiquioribus fontibus derivavi. Eam etiam ob causam, quia, ut scribit Ribadeneira in vita S. Ignatii, «is hoc fami-«liare nostris optabat esse, ut Deum in rebus omni-«bus praesentem cernerent, et mentes suas, non

---

[1]) Coll. IX. c. 36. (P. l. XLIX. 818). [2]) Colla-tio X. cap. 7. ipse finis (Ibid. 828B.) [3]) Coll. I. c. 8. (Ibid. 490). [4]) De inquis. pacis, i. e. t. III. l. II. par. I. c. 10.; et l. V. par. I. apparatu 2. (latius).

«in oratione tantum ad caelestia attolerent, sed uni-«versas res, atque actiones singulas in Deum re-«ferrent: neque minorem devotionis spiritum in «actione, quam in ipsa meditatione sentirent. Et «hanc quidem orandi consuetudinem assiduam, cum «in aliis, tum vero in hominibus pie occupatis, tan-«quam magis expeditam probabat» [1]). Et cum Sanctus Pater interrogatus fuisset a P. Brandano in Lusitaniam discessuro, in quibus devotionibus scholasticus Societatis dum vacat literarum studiis se exercere deberet, respondit: «eum, praeter auditionem «quotidianam Missae, et examina conscientiae, et «unam horam orationis (prout tunc fiebat), et con-«fessionem ac communionem octiduanam, posse se «exercere in quaerenda Domini nostri praesentia in «omnibus rebus: in conversando, in ambulando, in «aspiciendo, in gustando, in audiendo, in cogitando «et in omni re quam facimus: cum certum sit exi-«stere divinam Maiestatem in omnibus rebus, per «praesentiam, potentiam, et essentiam. Et hunc mo-«dum meditandi, inveniendo Dominum nostrum in «omnibus rebus, esse faciliorem quam si elevemus «nos ad res divinas cogitandas magis abstractas, «faciendo nos cum labore illis praesentes: et pariet «hoc exercitium bonum (si nos disponemus) magnas «visitationes Domini, quamvis in una brevi ora-«tione fiat. Praeterea, potest se exercere in offeren-«dis saepe D. Deo nostro suis studiis, et laboribus «iis, quos pro eius amore subimus, postponendo

[1]) L. V. c. I. (pg. 402. ed. Ingol. 1590).

nostros gustus, ut aliqua ratione suae Maiestati «serviamus, adiuvando illos, pro quorum vita ille «mortuus est. Et de his duobus exercitiis nos pos«sumus examinare» [1]). Haec sunt formalia verba S. P. Ignatii ab illo hispanice prolata, et a P. Ioanne Polanco eius secretario postea subscripta, quae ad meas manus venerunt. Mihi omnium maxime placent istae huius divinae praesentiae utilitates solidae et magni momenti, quae debent movere quemvis perfectionis acquirendae studiosum, ad occupandam mentem serio in hac divinae praesentiae exercitatione practica.

Prima utilitas, est velut fundamentum vitae spiritualis, (et sine quo ample acquisito inanis est labor) quia per hoc exercitium, homo praeservatur a peccatis, ut patet experientia, et docent Sancti Patres. S. Ephraem: «Si orationem, inquit, operi «praemiseris,.. aditus in animam peccato non pate«bit». Idem dicit Clemens Alexandrinus [3]), S. Basilius [4]), S. Ambrosius [5]), S. Hieronymus [6]), S. Thomas [7]), et alii Sancti.

«Nam, si hominem, cum praesentem intuemur, «inquit S. Chrysostomus, tum ad peccandum tar«diores reddimur, saepe autem, et servos modestio-

[1]) «MS. Archiv. Romani». [2]) De oratione (pag. 20. A. t. III. edit. J. Assemani 1746). [3]) Paedag. l. III. c. 5. (P. gr. VIII. 603). [4]) Reg. fusius tract. Interrog. V. c. 3. (P. gr. XXXI 923B). [5]) *S. Ambr.* In psal. CXVIII. ser. I. n. 9. et sq. (P. l. XV. 1267—8). [6]) «C. 5. Ezech.» Sic quidem citatur, sed in Migne non reperitur (Nota edit.). [7]) «Op. 51. et 58. cap. II.»

«res subveriti, absurdi nihil admittimus, considera, «quantam adepturi sumus securitatem, si nos conti-«gerit Deum assidue in oculis ferre» [1]). Et idem alibi dicit: «Ubi est Dei memoria, illic est pecca-«torum oblivio, et malorum interitus» [2]). Et his omnibus antiquior S. Ignatius Martyr: «Memento «Dei, ait, et non peccabis» [3]). Hoc exercitio armata Susanna, generose respondit impuris iudicibus, se ad peccandum inducentibus: *Angustiae sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* [4]). Hac cogitatione praesentis Dei, et omnia cernentis, S. Ephraem impurae mulieris petulantiam compescuit. Cum enim ad eum flagitii causa accessisset, conversus ad eam. «Si vis, inquit, nos ambo simul dormire,.. «non in alio loco tecum congrediar, nisi in medio civi-«tatis: — sed non, inquit, pudore et rubore aperte «afficiamur a videntibus hominibus, si sic nos ibi «iaceamus in medio»? Capta est mulier, quae voluit «capere impatibilem animam et inexpugnabilem, ut «quae nec hoc antea quidem cognoverat, quod dicit «Salomon: *Oculi Domini altissimi sunt innumera-«bilibus partibus sole splendidiores, qui intuentur «omnes vias hominum* (Eccli. XXIII. 28). Cum

[1]) In Ep. ad Rom. Hom IV. n. 4. (P. gr. LX. 420). [2]) In Ps. CXL. n. 1. (P. gr. LV. 427. in fine). [3]) Epist. suppositia, ad Heronem c. VII. ipsum initium (P. gr. V. 915B). [4]) Dan. XIII. 22.

«statim itaque, veluti ansam verbum apprehendisset «meretrix, contra intulit vir praeclarus: «Si ergo ho- ««minum iudicasti oculos satis esse, ad pudore affi- ««ciendam animam, et a mala actione abducendam, ««Dei oculos, qui omnia intuentur, tam quae clam, ««quam quae aperte fiunt, non multo magis revere- ««bimur et extimescemus, et a re mala abstinebimus? ««qui semper nobiscum habitantem in nobis excitat ««conscientiam, et ex ea nobis reservat tormenta, quae «finem non accipiunt»? Haec suffecerunt, non solum «ad meretrici persuadendum, ut abstineret ab im- «proba in eum libidine, sed ut priorum etiam eam «malorum poeniteret, et adferret mutationem totius «vitae et sententiae» [1]).

«Quis enim, inquit S. Basilius, unquam eo- «rum, qui credunt Deum in omni loco esse, et iis «rebus quae fiunt interesse, ac adesse unicuique «actioni, voluntatesque cordium prospicere — aut «cogitationem pravam suscipiet, aut scelera patrabit? «Verum, tum primum homines ad scelera patranda «descendunt, cum aut Deum non inspicere, aut illi «curae non esse, quae hic geruntur, autumant» [2]). Sane si Timothei cuiusdam, viri sancti, tanta fuit reverentia, «et a virtute quae in eo cernebatur ab «aliis, tanta utilitas, ut etiam sola recordatione, ut «scribit S. Isidorus Pelusiota, eos, qui ipsius (mor- «tui) meminerunt, in officio continuerit» [3]), quanto

[1]) Surius. ex Metaphr. 1-a Febr. (pg. 794. t. I. ed. Col. Agripp. 1581). [2]) Sermo IX. (De orat.) n. 2. (P. gr. XXXII. 1239B). [3]) Epistolar. l. III. ep. XCI. (P. gr. LXXVIII. 795C).

magis recordatio Dei viventis et praesentis, idem praestabit? «Continua enim Dei recordatione inquit «S. Ephraem, turpes animi passiones recedunt, in«star maleficorum praetore accedente» [1]) Nec tantopere mirum, lumine fidei illustratos homines, memoria Dei praesentis et cuncta videntis, praeservatos a peccatis: magis mirum, hoc remedium etiam suasisse ethnicos. «Magna pars peccatorum tollitur, in«quit Seneca, si peccaturis testis assistat. Aliquem «habeat animus quem revereatur, cuius auctoritate, «etiam secretum suum sanctius faciat... O felicem qui «sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque «eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem «vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Ca«tonem: si hic videtur tibi nimis rigidus, elige re«missioris animi Laelium; elige eum, cuius tibi pla«cuit et vita et oratio; et ipsum ante te ferens, et «vultum ipsum tibi semper ostende; vel custodem «vel exemplum» [2]). Et cum citasset Epicuri senten«tiam: «Sic fac omnia, tanquam spectet aliquis, «subdit: Prodest sine dubio custodem sibi posuisse, «et habere quem respicias, quem interesse cogita«tionibus tuis iudices. Hoc quidem longe magnifi«centius est, sic vivere, tanquam sub alicuius boni «viri ac praesentis semper oculis; sed ego etiam «hoc contentus sum ut sic facias quaecunque facies «tanquam spectet aliquis. Omnia nobis, mala soli-

[1]) De virtute capita decem c. X. n. 2. prope finem (pg. 331. t. VII. ed. Caillou, Paris. 1834).
[2]) Epist. XI. n. 9. et 10.

«tudo persuadet. Cum iam profeceris tantum, ut sit «tibi etiam tui reverentia, licebit dimittas paedago-«gum. Interim te aliquorum auctoritate custodi» [1]). Ideo M. Crassus, praestans orator, cum praesentem haberet virum gravem Mutium Scaevolam, et petens consulatum, vellet pro more blandiri populo, palpare obvios atque prensare: «Quaeso, inquit, «Muti paulisper abscedas, nec comitatu tuo me «honestari putes, impedis honorem meum: te spec-«tante, ineptus esse non possum» [2]). Si ergo apud ethnicos profuit cogitatio praesentis viri gravis, quanto magis apud nos Dei praesentis memoria valebit? Et quod magis nos excitare debet, scribit Epictetus apud Arrianum. «In te ipso Deum ges-«tas quem coinquinari abs te non sentis. Impuris «enim cogitationibus sordidisque id facis. Quod si «Dei effigies quaedam adesset, non induceres in ani-«mum tale quid agere? Deo autem ipso praesente «in penetralibus, et inspiciente omnia atque audiente, «non pudet et ista cogitare et facere, propriae na-«turae ignarum, et dignum cui Deus sit iratus? [3]). «Quin etiam Deus, suum cuique, curatorem genium «apposuit, inquit idem, qui custos esset vigilantis-«simus, et quem latere nihil posset aut fallere. Qua-«mobrem clausis ianuis et valvis, cum in tenebris «consederitis, nolite vos dicere solos esse, non enim «estis soli, sed Deus intus et vester genius non

[1]) Epist. XXV. n. 5, 6. [2]) *Cf. Mamertinus* in paneg. Jul. Augusti c. XVI. (Pro consulatu gratiarum actio Juliano Aug.). [3]) Dissert. l. II. c. VIII.

«abest. His equidem, lumine ad videndum et ad «cognoscendum vestra opera nihil opus est» [1]). Unde mirum non est, S. Tobiam senem, *qui filium Tobiam ab infantia docuerat timere Deum, et abstinere ab omni peccato* [2]), cum se putaret morti esse proximum, inter alia monita filio reliquisse: *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum:* et veluti fructum huius memoriae subdit: *Et cave, ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei nostri* [3]). Praestat hoc Dei memoria, dum per eam Deum advocamus ad cor. Nam ut ait B. Macarius: «Cum Dominus viderit, quod «anima colligat se ipsam, pro viribus suis semper «Dominum quaerens, noctu diuque expectans, atque «clamans ad eum, quemadmodum mandavit, *citra «intermissionem* (Luc. XVIII. 1, 7) in omni ne«gotio *precari*... eam expurgatam ab omni malitia «sua, *irreprehensibilem et immaculatam sponsam «ipse sibi constituet* [4]) (Ephes. V. 27)». Quocirca merito B. Laurentius Iustinianus, libro *De compunctione et complanctu christianae perfectionis,* «munditiam cordis praecipue provenire dicit, ex «iugi Dei visione, ac familiari eius allocutione» [5]). Hic est ergo primus fructus divinae praesentiae, abstinere a peccatis, quod tanquam fundamentum primum cuilibet iusto cordi esse debet, volenti in

[1]) Lib. I. c. XIV. [2]) Tob. I, 10. [3]) Ibid. IV, 6. [4]) Hom. XXXIII. n. 4. (P. gr. XXXIV. 743). [5]) Prope finem (pag. 201. t. II. ed. Venet. 1751).

fundamento altero humilitatis erigere aedificium divinum virtutum.

Quapropter quaemadmodum monet S. Diadochus: «Degamus in hac vita fallaci, semper in «profundum cordis nostri cum perpetua Dei me«moria, tanquam oculis capti intuentes omnia; pro«fecto enim ad spirituale studium virtutis pertinet, «adimere semper alas desiderio earum rerum, quas «videmus» [1]).

Secunda utilitas, est Dei recordationis, quod animam a peccatis comissis purget, scilicet venialibus, quae per pios affectus, Dei recordatione excitatos, ut docent theologi, abolentur. «Qui vult cor suum «purgare, inquit, S. Diadochus, semper illud re«cordatione Domini Jesu inflammet, in eo solum «occupatus, et hoc tantum sine intermissione agens»; quantum patitur status huius vitae, et occupationes aliae. «Non oportet enim, pergit idem, quandoque «orare, quandoque vero non, eos qui volunt labem «suam abiicere: sed potius dare semper operam ora«tioni, in custodia mentis, tametsi extra oratorium «sint. Ut enim cum quis vult aurum purgare, si «paulisper ignem in fornace cessare sinat, facit, ut «rursus materia auri quae purgatur, durescat; sic «qui aliquando memor Dei est, aliquando non est, «quod is videtur per orationem comparare, hoc per«dit otio. Est autem eius qui studio virtutis tene«tur proprium, id quod est in corde terrenum, re«cordatione Dei consumere. Ut anima, consumpto

[1]) De perfect. spir. c. LVI. (P. gr. LXV. 1185A).

«ad hunc modum paulatim vitio, ab igne huius bo-«nae recordationis, ad splendorem sibi naturalem, «cum maiore gloria perfecte redeat» [1]).

Tertia utilitas, memoria Dei praesentis, et omnia videntis, non tantum a peccatis retrahit et purgat, sed opera nostra et verba reddit sancta et perfecta. Nam, ut ait S. Augustinus: «Nobis magna necessi-«tas est indita, iuste recteque vivendi, qui cuncta «facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis». Imo ut scribit B. Laurentius Iustinianus libro *De gradibus perfectionis,* «nihil reor sic efficere ad inter-«nam adipiscendam munditiem, et ad virtutis arcem «conscendendam... quemadmodum cogitare se ad-«stare ante oculos Iudicis cuncta cernentis» [2]). Ideo merito dicitur: *In conspectu eius sanctificabunt animas suas* [3]). Hoc Deus ipse medium Abrahamo proponit: *Ambula coram me, et esto perfectus* [4]); quia perfectionis operum, causa est, operari veluti vidente Deo. «Quemadmodum domus», ait B. Macarius Aegyptius, «quae dominum praesentem ha-«bet et in se manentem, omni abundat pulchritudine «et decore; eodem modo anima quae Dominum «suum apud se ipsam habet, et in se manentem, «omni pulchritudine et decore repleta est; siquidem «Dominum cum spiritualibus suis thesauris in habi-«tantem habet, et aurigam» [5]): et, ut ait S. Chryso-

---

[1]) Ibid. c. XCVII. (Ibid. 1209B). [2]) De perfect. gradib. c. VI. sub fine (pg. 431. t. II. ed. Venet. 1751). [3]) Eccli. II. 20. [4]) Gen. XVII. 1. [5]) Hom. XXXIII. n. 3. (P. gr. XXXIV. 742—3).

stomus [1]), per orationes frequentes velut irrigantem nos. Decet nos, inquit, per Apostolum doctos, cum precatione vitae cursum peragere, atque hac mentem assidue rigare; siquidem hoc omnes homines non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore: neque enim valent illae fructus producere, nisi bibant humorem e radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. Uti iterum hoc ipsum in fine huius Opusculi ostendam, explicans tertium, et ultimum punctum, requisitum ad praesentiam Dei. Merito itaque B. Laurentius Iustinianus monet: «Viro per«fecto, et ad perfectionem currenti, iugis debet esse «Dei visio, ac familiaris eius allocutio, qui in spi«ritu iudicii, et spiritu ardoris, opera sua disponit, «non ex naturali intelligentiae acuminae, sed ex «assidua mentis elevatione in Deum, atque contem«plationis acquisito habitu, per quem sapientiae «percipit donum et ignotum caritatis affectum. Effi«citur, qui talis est, alter quam fuerat, divino id «operante contubernio. Fulget tunc mens sapientiae «splendore, et cor caritatis incendio concrematur. «Utrumque enim divina agitur cognitione quae «semper viget in Dei praesentia pie cogitata» [2]).

Quarta utilitas, est remedium acediae, quae solet pios homines invadere, postquam pervenerint ad hunc felicem statum de quo iam locuti sumus, provenientem ex Dei praesentis recordatione. Qua de

[1]) De precat. orat. II. (P. gr. L. 784). [2]) De compunct. et complanctu (sub fine, pg. 20. c. II. t. II.).

re pulchre disserit S. Diadochus: «Cum caeperit «anima nostra non amplius ea quae pulchra et iu- «cunda sunt, concupiscere, tunc eam desidiosa quae- «dam mens ut plurimum subit, quae neque officio «sermonis eam sinit libenter servire, neque expedi- «tum desiderium futurorum bonorum ei relinquit: «imo et hanc caducam vitam, ceu valde inutilem «habet, ut non habentem opus virtutis dignum; «ipsamque cognitionem pro nihilo ducit, antequam «aliis quoque multis tributa sit, aut tanquam nihil «perfectum nobis significare promittat. Hanc autem «tepiditatis et torporis aegritudinem fugiemus, si «menti nostrae valde angustos meatus definiemus, «ut solum Dei memor sit. Hac enim solummodo «ratione, ad suum reversa fervorem poterit rursus, «ab illa per segnitiem distractione, sine dolore re- «moveri» [1]).

Quinta utilitas. Talis orandi modus est repraesentatio caelestis beatitudinis in Patria, in qua Beati perpetua Dei visione fruuntur, sed utilior quodammodo, ob perpetuo crescentia merita vitae aeternae. Unde operari omnia cum Dei memoria, est quaedam inchoata beatitudo. Hinc S. Nilus Abbas in Opusculo, cui titulus: «Diversa capita», initio ait: «Semper de Deo cogita, et mens tua coelum «cum Angelis fiet». Nam si contemplatio huius vitae est quaedam participatio Dei visionis, ut docet

[1]) De perfect. spir. cap. LVIII. (P. gr. LXV. 1183).

S. Augustinus [1]), ac proinde inchoata quaedam beatitudo; cum tamen contemplatio, ut docet S. Gregorius [2]), et S. Thomas [3]), et S. Bernardus [4]) «diu «durare non possit»; magis hoc exercitium divinae praesentiae, ob maiorem diuturnitatem, imo continuam, in operibus omnibus Dei memoriam, erit quaedam, etsi non ita perfecta, similitudo et inchoatio beatudinis caelestis, uti eam appellat Abbas Isaac apud Cassianum [5]), non quidem faciei ad faciem, sed per fidem in aenigmate expressae. Ac proinde in hoc exercitio occupare se debent omnes perfectionis amantes. Merito ergo B. Baptista Verana, monialis Franciscana, monebat: «Quantum «potes, habe mentem in Deo fixam: quantum tibi «concedet tua fragilitas, et divina gratia. Haec est «magis utilis et necessaria res, quam possit facere «servus Dei. Hoc sanctificat mentem, calefacit «affectum, illuminat intellectum, et servit pro fraeno «ad cavenda peccata venialia: est scopa vitiorum «et praeparatio ad orationem, ad quam multi euntes «non sentiunt devotionem, sed ariditatem et fastidia «mentis: et postea dicunt se non habere gratiam

[1]) De Trinit. l. I. c. VIII. n. 16. sub fine et c. IX. (P. l. XLII. 830 et 833). [2]) Moralium liber V. cap. XXXII. n. 57. (P. l. LXXV. 711); et in Ezech. l. I. hom. V. n. 12. (P. l. LXXVI. 826A). [3]) II.II$^{ae.}$ q. CLXXX. a. 4. ad 3. et a. 8. ad. 2. [4]) In Catica Cant. ser. XVIII. n. 6. (P. l. CLXXXIII. 862); et ser. LXVII. n. 7. (Ibid. 1106A.); et ser. LXXXV. n. 13. (Ibid. 1194C). [5]) Coll. X. c. 6. sub fine (P. l. XLIX. 827).

«orationis: et tamen non est sic, sed totum hoc «inde evenit, quia non direxerunt cogitationem suam «in Deum, quo sedem praepararent orationi mentali. «Unde is qui cogitat de Deo, cito pervenit ad finem «desideratum, sine mora temporis, quia *praeparavit «locum Domino* (Ps. CXXXI. 5.): et recipit gra- «tiam lacrimarum, compunctionis, gustus, et devo- «tionis. Hac methodo utuntur spirituales ac sapientes «Religiosi in hoc mundo, et aeternum prosequentur «in coelesti gloria. Hoc est signum infallibile, maius «omnibus aliis, ad cognoscendum si aliquis est scrip- «tus *in libro vitae*. Quia saepe cogitando de Deo, «argumentum est, Supremam Bonitatem nostri re- «cordari. Et habeas pro certo, quo saepius Eius «recordaris, eo saepius Ille recordabitur tui. Hoc «Beatae Baptistae fuit demonstratum a Spiritu Sancto, «ut eius anima magis accenderetur ad hoc angeli- «cum exercitium. Ex hoc exercitio, pergit auctor «eius vitae tres effectus habuit: *Primo*, Fecit illud «eam caecam ad videndos defectus proximi. *Se- «cundo*, Animam cordiali devotione, ornavit. *Tertio*, «Concessit ei loqui de Deo amorose et cum utili- «tate audientium: quia ex abundantia cordis os lo- «quitur. Vas, illud vinum effundit, quod continet. «Multi procurabant munditiem cordis per viam «valde longam et laboriosam: ieiunando, vigilando, «caedendo se, dormiendo in terra, in frigore et ca- «lore corpus affligendo, et totum hoc pro obtinenda «puritate interiore, in qua possidetur consummata «perfectio. Sed haec Beata Baptista tenebat tan- «quam securissimam veritatem saepe cogitando de

«Deo, hoc donum acquiri citius, melius, et cum «minore labore. Stultus esset, qui cum posset Ro«mam pervenire uno die, per viam planam et facilli«mam, vellet consumere quatuor dies, et ire per «viam asperrimam et difficilem». Haec de ea Chronicon Franciscanum [1]). Mirum ergo non est, quod cum Deus sciat valde utilem esse huius divinae praesentiae cogitationem, ad eam saepe excitandam, inter alia media voluerit esse molestias, quae bonis inferuntur a malis. «Ideo (inquit S. Birgittae Chri«stus Dominus) permittuntur mali vivere cum bonis, «ne boni dissolvantur nimia laetitia, vel dormitent «acedia, et ut frequenter habeant ad Deum oculos [2]). «Hoc est, ait S. Diadochus, quod saepe gratia «praesentiam suam celat, ut acerbitate, et molestia «daemonum, animam veluti impellat, ut cum omni «metu ac magna submisione auxilium Dei quaerat, «malitiam inimici sui paulatim agnoscens; quemad«modum si mater puerulum suum lactentem, et le«ges sugendi detrectantem, paulisper ab ulnis suis «repelleret, ut perterritus a quibusdam deformibus «hominibus circumstantibus aut bestiis qualibuscum«que, ad sinum matris cum magno timore et lacrymis «revertatur» [3]).

Sexta utilitas, quam Dei memoria parit, iudicio S. Diadochi est, «quod gratia Dei omnes sensus

---

[1]) Tomo II. l. VII. c. 31 (pg. 118 ed. Ven. 1621 ital.); est etiam, paucis mutatis in Boll. t. XX. pg. 496. A. [2]) Rev. l. II. c. 19. in medio (pg. 133I). [3]) De perfect. spir. cap. LXXXVI. (P. gr. LXV. 1201.).

«nostros in sensu quodam profundo illuminans, «cogitatus nostros veluti comburit: cor vero in pace «quadam, amicitiae firmae ac constantis dulcedine «perfundit: facitque ut spiritualia, et non iam quae «secundum carnem sunt, mente agitemus» [1]). Hoc certissimum experimentum sentiunt in se, perpetuae (quantum fieri potest in hac vita) Dei memoriae intenti.

Septimam utilitatem, ex Dei praesentia cogitata provenientem, affert S. Basilius [2]), scilicet contemptum humanorum respectuum, ob quos multi, (proh dolor) dum malunt magis placere hominibus quam Deo, et illorum potius aucupari gratiam et favores, quam Dei, et magis timent offensam hominum, quam Dei; multa bona omittunt et erubescunt facere, et multa peccata cummittunt, ac multis imperfectionibus se contaminant, et hoc modo multis in caelo coronis se privant, et gravissimis purgatorii poenis se reddunt obnoxios. «Qui ita animatus sit, is ne «mandata quidem Domini ad gratiam horum exequi «possit. Neque est enim quisquam, qui ubi vere «praestantiorem adesse aliquem sibi persuasit, eo «spreto, se ad minus praestantem convertat: quin «contra potius, si aliquando inciderit, ut quae facit, «ea clarioris, illius opinione ac iudicio approbentur, «ab altero autem illo reprehensa videantur, haud «dubie, ille spreta inferioris vituperatione, clarioris «illius approbationem antiquiorem habebit. Quod si

[1]) Ibidem c. LXXXVIII. (Ibid. 1202D). [2]) Reg. fusius tract. Interrog. V. c. 3. (P. gr. XXXI. 923C).

«hoc in hominibus contingit, quid tandem putan-«dum sit, animum, qui modo sanus sit ac sobrius, «si vere Deum adesse sibi persuaserit, omissis iis «quae placere intelligat Deo, conversum iri ad au-«cupandam ab hominibus sui existimationem, aut «neglectis Dei praeceptis, hominum esse consuetudini «et ingenio serviturum? aut ullius dignitate exterritus, «de statu dimovebitur? Hoc modo affecta mens erat «illius, qui dixit: *Loquebar de testimoniis tuis in con-«spectu regum, et non confundebar*» (Ps. CXVIII.).

Octava utilitas Dei memoriae est, cognitio peccatorum nostrorum, nobis necessaria, ut ea vitemus et commissa expiemus, ac ita mundissimos nos Dei oculis repraesentemus, et expediti simus ad rectum in coelos ingressum post mortem. «Paucissimorum «est, inquit S. Diadochus, lapsus suos perfecte «cognoscere, eorum quorum mentibus nunquam ex-«cidit memoria Dei. Quemadmodum enim nostri «corporis oculi, cum sani sunt, cuncta possunt cer-«nere etiam culices in aëre volitantes; cum vero «turbati sunt, aut humore quodam suffuso septi, si «quid in eorum aspectum incurrat grande, hoc «tenuiter cernunt, minuta vero non sentiunt: sic «anima, si ardorem ex cupiditate mundi collectum «studiose restrinxerit, etiam valde parva errata pro «gravissimis ducens, lacrimas multas cum magna «gratiarum actione continenter Deo offert» [1]). Cuius scilicet, tanquam sibi praesentis, et sua omnia clarissime cernentis, memoriam habet.

---

[1]) De pefect. spir. cap. XXVII. (P. gr. LXV. 1175).

Nona utilitas, solatium in moerore. «Animum «moerore oppressum, scribit S. Isidorus Pelusiota, «et profligatum, nihil perinde oblectare potest, ut «Dei memoria. Atque hoc est quod ex me scire «voluisti: *Renuit consolari anima mea: memor fui «Dei, et delectatus sum* (Ps. LXXVI. 3). Quemad- «modum enim mulieris illius cruento profluvio labo- «rantis morbus, qui nec exinaniri nec a medicis «tractari ac sedari poterat, temporis puncto depul- «sus est, [ea enim fimbriam tetigit, Christus id passus «est, ac morbus profugit (Math. IX. 20)], sic etiam «humana moestitia consolationem propellens, ut cui «nihil solacii adhiberi queat, ad solam Dei recor- «dationem facessit et evanescit» [1]).

CAPUT II.

De modo habendae Divinae Praesentiae.

Modum Divinae praesentiae varii varie explicant: omnes bene, etsi non una ratione omnes. Accidit in explicatione rerum spiritualium id, quod in opificiis. Nam aliter unus artifex fundit, et format vas aliquod argenteum, aliter alius, aliter tertius: sic aedificia non uno modo erigunt architecti. Aliter pingebat Michaël Angelus Bonarota, aliter Titianus, aliter Baroccius, aliter Rubenius et alii praestantissimi pictores: quilibet iuxta proprium genium: omnes bene. Ita doctrinam

[1]) Epist. l. III. ep. CXXIX. (P. gr. LXXVIII. 830).

de rebus spiritualibus, aliter proponit unus magister, aliter alius: sed dum ad eundem scopum perfectionis evangelicae, per media apta et honesta, suos ducunt, bene proponunt.

Mihi placet ille modus, qui, *primo*, caput et imaginationem non fatiget, quam multi cum iactura sanitatis laeserunt, et se reddiderunt inhabiles ad pietatis officia, indiscrete quaerentes Dei praesentiam. *Secundo*, qui non faciat stolidos, in operibus ordinariis faciendis, et quasi abstractos. *Tertio*, qui potius iuvet ad opera melius et perfectius peragenda. *Quarto*, qui non tantum eremitis, sed omnibus prorsus conveniat, iis praesertim, qui ratione sui officii vel instituti coguntur distractiva obire officia, et cum hominibus versari. *Quinto*, qui contineat practicum exercitium omnium virtutum. *Sexto*, qui repraesentet modum agendi nostrorum Angelorum custodum, *qui semper vident faciem Domini* [1]), «et tamen (ut ait S. Gregorius), ad «nos veniunt; quia et spirituali praesentia ad nos «foras exeunt, et tamen ibi se, unde recesserunt, «per internam contemplationem servant» [2]); nos tamen custodiendo, diligunt nos et opera nostra, sine iactura beatae contemplationis Divinitatis, qua perfruuntur in coelo: «sic, (ut inquit S. Bernardus) «parvulorum custodiae deputati, ut non privati ullo «modo, beatitudine sua [3]). Quamvis enim, inquit

---

[1]) Matth. XVIII. 10. [2]) Mor. l. II. c. III. n. 3. in fine (P. l. LXXV. 557). [3]) In dedic. eccl. ser. V. n. 5. (P. l. CLXXXIII. 532).

«B. Laurentius Iustinianus, ad divina peragenda «mysteria exeunt, ita tamen, ut nequaquam visione «priventur: quoniam etsi iidem beati spiritus circum«scribantur loco, ipse Deus qui illorum beatitudo «est, circumscriptus non est» [1]).

Hic ergo modus, sic a me tradi solet.

Modus practicus huius exercitii consistit in tribus.

Primo. In actuali memoria, seu cogitatione de Deo.

Secundo. In oblatione operum et sermonum nostrorum *(vide cap. sequens).*

Tertio. In modo perfecto operandi *(vide cap. XVII.).*

Quantum ad primum punctum huius practici modi, circa memoriam et cogitationem de Deo actualem, in eo non est adhibenda imaginatio ad repraesentandum Deum sub certa aliqua specie, vel senis, uti visus est a Daniele [2]), vel lucis, aut caliginis, quae imaginationes plerisque indiscretis nocuerunt. «Submove, inquit S. Basilius, ista corporis phantas«mata: nullo pacto potest figurari Deus, simplex, «sine magnitudine, sine quantitate, noli aliquam for«mam in illo imaginari, noli iudaico more dimi«nuere magnum, nec prehendas Deum cogitationi«bus corporaliter, nec circumscribas illum mente

[1]) Sermo XXVIII De S. Mich. Arch. (pg. 84. col. II. t. II.); De vita solitar. c. XIII. (pg. 147. col. II. t. II); De contemp. mundi c. I. (pg. 162. col. II. t. II.). [2]) Dan. VII. 9.

«tua»[1]). Quod quia veteres monachi ignorarunt, vel non servarunt, inciderunt in Anthropomorphitarum haeresim, teste Cassiano[2]), putantes omnino Deum forma corporea circumscriptum; nihil se tenere credentes, si propositam non habuerint imaginem quandam, quam in supplicatione sibi repraesentarent. Non est ergo necessaria ulla corporea Dei repraesentatio, ad exercitium Divinae praesentiae; sed eo modo haberi debet de Deo cogitatio, eiusque memoria, quo habetur in exercitio actuum fidei, quae hic exercenda est circa tria:

Primo, circa immensitatem Dei, ob quam (ut dicitur apud Ieremiam) *coelum et terram implet:*[3]) ac proinde praesens est creaturis omnibus intime, ut cum S. Thoma docent omnes theologi. Ob quam intimam eius praesentiam, S. Dionysius, «mundanum, «circummundanum, supermundanum, supercaelestem, «supersubstantialem»[4]), Deum appellat.

Secundo. Actus fidei in hac Dei memoria et cogitatione exerceri debet circa scientiam Dei infinitam, qua omnia externa videt et interna perfectissime, ob quam appellatur, *Scrutator cordium;*[5]) et eius oculis, *nuda et aperta sunt omnia*[6]), idque intime cernentibus singula. *Oculi enim Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circum-*

---

[1]) De homin. struct. orat. I. c. 4. (P. gr. XXX. 15. A. sed alia versio). [2]) Coll. X. c. 1, 2, 3, 4. (P. lat. XLIX. 819. et seq.) [3]) Jer. XXIII. 24. [4]) De div. nom. c. I. §. 6. in fine (P. gr. III. 595). Citatur tamen juxta textum S. Thom. Aq. [5]) Rom. VIII. 27. [6]) Hebr. IV. 13.

spicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes [1]). Quam ob causam a S. Dionysio Areopagita, appellatur, «omnium circumapprehensivus:[2]) hoc est, ut «ibi exponit S. Thomas, quia perfecte cognoscit «proprietates et circumstantias rerum, et quidditates «seu essentias omnium: et cognitionem rerum non «accipit a rebus sicut nos, sed scientia eius praeexi«stit rebus». Et non tantum Dei ipsius, sed etiam Christi ut hominis, tales sunt oculi: quam ob rem a S. Chrysologo vocatur, «totus oculus» [3]).

Tertio. Fides exerceri debet circa concursum Dei ad omnes nostras actiones, sine quo nulla creatura quidquam efficeret. Qui actus fidei, sine ullo discursu et mora temporis eliciendi sunt, per cogitationem et simplicem apprehensionem harum trium veritatum, quas omnes Chatholici credunt de Deo. Ex hac enim memoria harum divinarum perfectionum oritur, ne homo audeat peccare, et ut bene faciat omnia, quae facit cum concursu Dei. Sed sine hoc tertio actu explicito fidei, potest hoc exercitium practicari.

Et talem praesentiae divinae modum videtur approbare S. Ignatius in libro Exercitiorum, ubi agens de examine generali conscientiae, ait: «Perfectis, «concedi iurare per creaturas, quia ex contemplatio«nis usu assiduo, et illustratione intellectus, consi«derant propius atque deprehendunt Deum secun-

---

[1]) Eccli. XXIII. 28. [2]) De div. nom. c. I. §. 5. init. (P. gr. III. 594). [3]) Ser. XXXIV. (P. l. LII. 297A).

«dum Essentiam, Praesentiam et Potentiam suam, «creaturae cuilibet inesse: unde ad praestandam illi «debitam in iuramento reverentiam, paratiores sunt «aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt» [1]). Et haec tantum de primo puncto praesentiae Dei dicta sufficiant. Porro, ut hoc obiter dicam, modi ex parte nostra, hanc Dei praesentiam, (hoc est, Dei, vel assiduam, vel frequentem recordationem, eamque sancto quodam sapore replentem animas nostras, et utilitates supradictas adferentem) acquirendi sunt isti:

Primo, assuescat homo singula sua opera, saltem eorum initio, Domino Deo offerre, modo capite sequenti explicando: certissima enim experienta comprobatum est, etiam a tironibus, hoc modo acquiri, Dei beneficio, Dei memoriam ita certam, ut post somnum immediate Dei recordatio menti se ingerat, nihil minus ex se, quam id tunc cogitanti, sicut et post actiones valde distractivas, dum ab illis cessatur.

Secundo, valde attendendum est refraenationi passionum naturalium, etiam invitis nobis exurgentium, praesertim irae, et tristitiae, et nimii desiderii rei alicuius, etiam non malae, et vehememtis affectus erga rem aliquam.

Motus enim passionum vehementer perturbantes mentem, obstant, ne Dei recordatio in nobis, vigeat. Qua de re sic S. Diadochus: «Cum anima ira com-

[1]) Exer. spir. Exam. gener. de loquela. «Advertendum secundo».

«movetur, aut offusa est ei caligo ex crapula, aut «gravi angore afficitur; non potest mens, tametsi «ipsa anima vim ei quodammodo adhibeat, memo- «riam Domini retinere, quin potius tota mens vehe- «mentia perturbationum obscurata, a suo sensu, ob «hanc causam prorsus alienatur; quamobrem non «potest desiderium, sigillum suum imprimere, ut «mens sine oblivione speciem meditationis ferat, «durescente memoria eius, propter feritatem pertur- «bationum. Sin autem extra perturbationes posita «sit, tametsi paulisper oblivio illam promptitudinem «animi surripiat, tamen cito mens, solertia sua utens, «ferventer, illam salutarem, et maxime expetendam «praedam apprehendit. Habet enim tunc ipsam gra- «tiam una cum anima meditantem, et clamantem: «*Domine Iesu*. Sicut mater puerulum suum docet, «et cum eo meditatur paternum nomen, donec ad «habitum eius nominis eum perducat: et infans «puer pro aliquo alio puerili sermone, clare patrem «etiam dormiens appellat. Idcirco ait Apostolus: «*Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: quid «enim oremus, quomodo oportet, nescimus, sed ipse «Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarra- «bilibus* (Rom. VIII. 26). Etenim, quia ad capien- «dam virtutis orandi perfectionem parvuli sumus, «omnino auxilio eius indigemus: ut cum eius dul- «cedo maior quam dici potest, omnes cogitationes «commisceat, et suavitate perfundat, toto cum affectu, «ad memoriam Dei et caritatem excitemur. Qua- «mobrem cum in ipso, ut idem Paulus ait, Deum

«Patrem inclamamus, ab ipso componimur ad «vocandum, sine intermissione, *Abba, Pater*» [1]). (Rom. VIII. 15).

CAPUT III.

De modo offerendi res nostras Deo.

Quantum ad secundum punctum praesentiae Dei, quod est, oblatio omnium operum nostrorum et verborum, haec notanda sunt ad praxim, ut bene fiat, et sine taedio ac defatigatione:

Notandum primo, debere nos, uti in aliis actionibus nostris, ita et in hac oblatione operum vel verborum nostrorum, imitari bonos mercatores, qui non contenti lucro quocumque, quaerunt quam maximum. «Utinam fratres, inquit S. Bernardus, nos «sic essemus cupidi gratiae spiritualis quemadmo«dum seculares homines pecuniae temporalis; de«buimus certe, et multum debuimus vincere in bono «malum, et tanto amplius desiderare, quanto pretio«sius est quod desideramus; sed utinam vel aequa«les esse possimus» [2]). Quemadmodum igitur mercatores, si certam rem aliquam vendendo, possunt maius lucrum ex ea vendita percipere, ita vendunt, ut carius vendant, intra limites tamen iustitiae; ita et nos opera nostra offerre debemus Deo, eo modo,

---

[1]) De perfect. spir. cap. LXI. (P. gr. LXV. 1186—7).
[2]) De diversis, ser. XXXVI. «De alt. et bass cordis». n. 3. (P. l. CLXXXIII. 639A).

ex quo lucrum spirituale maius, et meriti in hac vita, et praemii in altera, nobis obveniat. Hunc in finem proponam varios modos affectuum et precationum, valde aptos ad referenda magna lucra meritorum, pro glorificanda valde per ea Divina maiestate. Nam, ut ait S. Macarius, «quemadmodum «qui mercatoriam artem elegit, non unicum solum «modum lucrificandi excogitat, sed undecunque «augere et cumulare lucrum cogitat, ab hac ad aliam «transiens industriam, et inde aliud iter suscipiens, «et ab eo quod nihil prodest, transiliens ad id quod «quaestuosius est currit; sic quoque nos animam «nostram varie artificiose adornemus, ut lucrifacia«mus verum ac summum lucrum, Deum nimirum, «qui doceat nos in veritate precari» [1]). Cum ergo ceteris paribus, illud opus iusti sit magis meritorium, quod fit propter obiectum supernaturale praestantius, ut docet S. Thomas [2]) cum omnibus theologis, et cum nullum obiectum sit praestantius obiecto caritatis, prout est amor benevolentiae, hinc talis amor superat perfectione fidem et spem, ut docet Apostolus [3]), ac proinde omnes alias virtutes quia caritas «est mater omnium virtutum», ut ait, S. Leo [4]): et origo omnium virtutum, iuxta, S. Augustinum [5]).

Ideo omnia opera nostra offerenda et facienda

---

[1]) Hom. XXX. n. 2. (P. gr. XXXIV. 742C). [2]) II.II^{ae} q. XXIII. a. 6. ⊙. et q. LXXXI. a. 5. ⊙. [3]) I. Cor. XIII. 13. [4]) Ser. XXXVIII. (in Epiph. VIII.) c. IV. initio (P. l. LIV. 262). [5]) De morib. Eccl. cath. l. I. c. 15. (P. l. XXXII. 1322).

sunt propter Deum, prout est obiectum benevolentiae, eo modo quo nos S. Ignatius docuit ea parte constitutionum unde regula 17. Summarii desumpta est [1]): «Omnes rectam intentionem habere debent, «non solum circa vitae suae statum, verum etiam «circa res omnes particulares, id semper in eis sin«cere spectantes, ut serviant et placeant Divinae «bonitati propter seipsam»...

Quoniam autem S. Thomas dicit [2]) excellentius esse, exhibere cultum Deo ut Patri, quam ut Creatori et Domino; ideo Deus ut Pater, operum nostrorum obiectum sit, et ex amore erga illum ut Patrem omnia fiant; qui titulus est ei carior, quam sit Creatoris; et ita se appellari voluit dum per Christum nos orare doceret [3]). Synagogae dicit: *Ergo saltem amodo voca me, Pater meus est tu* [4]). Quoniam vero scribit Ludovicus Blosius [5]), et suadet P. Alphonsus Rodericius [6]) fuitque revelatum B. Mechtildi, gratissimum Deo esse, si offerantur opera nostra in unione operum et meritorum Christi; addendum est hoc etiam condimentum caeleste operibus nostris dum ea offerimus, ut tanquam lapis pretiosus unitus annulo aureo, reddat illum pulchriorem et pretiosiorem. Ita faciendum docuit

---

[1]) Parte III. c. I. §. 26. [2]) II. II^{ae} q. CXXI. a. 1. ad 2. [3]) Math. VI. 9. [4]) Jer. III. 4. [5]) Institutio spir. c. IX. n. 3. [6]) Exercit. perfect. p. I. tr. V. c. XIX. n. 17. [7]) Spir. gratiae. seu mirab. rev. l. III. c. 13. (pg. 184. ed. Crac. 1639).

Christus ipse S. Gertrudem [1]), et postea etiam B. Mariam Magdalenam de Pazzis, ut scribitur in vita eius [2]). Merito ergo S. Teresia inter monita quae dedit, hoc etiam reliquit: »Ut efficacius unusquisque desideratum precum ac operationum suarum consequatur effectum, offerre haec ipsa debet aeterno Patri in unione meritorum Filii sui Domini «nostri Iesu Christi» [3]).

Hoc innuere videtur S. Thomas, dum docet, Christum significari per duplex altare, scilicet *holocaustorum et thymiamatis:* quia per ipsum oportet nos Deo offerre omnia virtutum opera, sive illa «quibus carnem affligimus, quae offeruntur in altari «holocaustorum: sive illa quae maiore mentis perfectione, per spiritualia perfectorum desideria, Deo «offeruntur in Christo, quasi in altari thymiamatis, «secundum illud ad Hebraeos (XIII. 15.): *per ipsum «ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*» [4]). Idque faciendum est praesertim religiosis, cum internae devotionis dulci affectu. Nam, ut ait S. Bonaventura: »sicut favus sine melle, et murus absque tem«peramento, et cibus sine condimento, ita vita reli«giosa sine studio internae devotionis» [5]). Porro non pro nobis tantum, sed pro pie defunctis animabus

[1]) Lib. IV. vitae; et Insin. div. piet. l. IV. c. LXXIV. §. 1. (pg. 350); et ibid. c. 6. (pg. 428); et ibid. c. 16. (pg. 473). [2]) »Romae impressa c. 107. et antea Florentiae 3. par. pg. 101». [3]) *Elias* — Legatio triumph. Ecclesiae ad milit. l. II. c. IV. n. 11. [4]) II.II^ae^ q. CII. a. 4. ad 6. ipse finis. [5]) Tract. de profectu relig. l. II. c. 69. post medium.

opera nostra possunt, et ex caritate debent offerri. Unde noster Beatus Petrus Faber, teste Orlandino in eius vita, «uti ipse mortuorum patrocinium «accurate susceperat, ita suscipi volebat a nostris, «cupiebatque, ut ubi voce ac deprecatione non satis «possunt, tot impediti curis, tot imperatis distenti «muneribus, saltem ex his officiis ac benefactis, quae «sunt tacitae quaedam postulationes ac preces, eorum «animis impertirent: et ubi linguae deesset officium, «manuum sedulitas non deesset» [1]).

Notandum secundo, hanc oblationem fieri posse tribus modis: *Primo,* per verbum *volo. Secundo,* per verbum *offero. Tertio,* per: *facio* aut: *dico.* Exempli gratia: «Pater coelestis Deus, volo, pure propter te, «surgere». Vel: «Pater coelestis Deus, offero tibi hanc «surrectionem meam». Vel: «Pater coelestis Deus, «surgo, dicam, recreabo me iam, lavo, vel lavabo «me, comedo, vel comedam iam, propter te». Omnes hi modi sunt boni, et aeque meritorii, et satius est, modo uno illorum, modo altero uti, et non semper eodem, quia magis attento animo offerentur singula, quam si offerrentur una sola formula oblationis semper adhibita. Et talis modus offerendi et operandi, est praestantior et perfectior, et magis meritorius, ceteris paribus, quam devota oratio in contemplationis quiete: tum quia est actus caritatis non religionis (uti est oratio, quae a charitate superatur perfectione), tum quia perfectior est amor Dei, quo creatura aliqua amatur propter Deum,

[1]) Lib. II. c. 17. ipse finis.

quam ille, quo solus Deus amatur, ut docet S. Thomas [1]). In utroque enim amore est idem obiectum formale, scilicet Deus pure propter se amatus: in illo autem est materiale novum additum, scilicet creatura, quae propter Deum amatur, vel opus aut sermo aliquis, qui propter Deum sit. Et hoc est, «Deum in creaturis amare, vel creaturas in Deo», ut praescribit S. P. Ignatius loco citato. Et sicut regi magis placet ille cubicularius, qui ex amore regis, laborat aliquid in cubiculo regis, in bonum et gustum regis, quam qui assistit regi, amans regem et ex amore regis, ceteris paribus; ita et regi coelesti magis placent illi religiosi qui sunt veluti cubicularii eius, qui ceteris paribus laborant pro Deo, faciendo omnia et singula propter Deum, vel loquendo; quam alii, qui nihil laborando, sedent in quiete suae contemplationis. Et hanc ob causam theologi omnes, cum S. Thoma, dicunt, vitam mixtam ex activa et contemplativa, esse perfectiorem, sola contemplativa [2]). Et SS. Patres maximae auctoritatis, ob eandem causam inter alias, anteponunt, quoad aliqua, vitam caenobiticam eremiticae seu anachoreticae. In illa enim est occasio perpetua laborandi propter Deum, et exercendi virtutes plures quam in vita solitaria. Ita sentiunt S. Basilius [3]), S. Hieronymus [4]), S. Bernardus [5]), S. Clima-

[1]) II.II^{ae} q. XXVII. a. 8. ⊙. [2]) II.II^{ae} q. CLXXXVIII. a. 6. ⊙. [3]) Reg. fusius tract. VII. (P. gr. XXXI. 927). [4]) Epist. CXXV. n. 9. (P. l. XXII. 1077). [5]) In Cantica ser. XXXIII. n. 16. (P. l. CLXXXIII. 956B).

cus [1]), S. Thomas [2]), et Abbas Ioannes apud Cassianum [3]), et alii: unde dictus Abbas Ioannes [4]), cum triginta annis in caenobio transactis, per viginti annos in solitudine laudabiliter vixisset, ait se rediisse ad caenobium. Unde Turrecremata in regulam S. Benedicti scribens, «licet, inquit, utrumque genus, «tam anachoretarum quam coenobitarum laudabile «sit; genus coenobitarum videtur praecellere in tri«bus: in praemio, et hoc post mortem; in securitate, et hoc in morte; in emolumento multiplici, et hoc «in hac vita».

Notandum tertio, in hac oblatione operum Deo propter Deum absolute amatum, sine respectu ad spem praemiorum [quo modo amatur amore concupiscentiae, bono quidem, sed minus perfecto et minus meritorio, ut docent theologi cum S. Thoma [5])], ad augendum meritum nobis, et Deo gustum ac gloriam maiorem (cuius ratio maior habenda est quam nostri meriti, etsi et hoc redundet in eius gloriam, et acquiritur etiam, ut ait S. Chrysosto-

[1]) *S. J. Climacus*, Scala parad. grad. IV. fere in medio (P. gr. LXXXVIII. 699); et gr. VIII. (ibid. 834); et gr. XIII. (ibid. 859); gr. XV. (ibid. 894); gr. XXVII. (ibid. 1106 et sq.) [2]) Ut supra. [3]) *S. J. Cassianus*, De coenob. instit. l. VIII. c. 17, 18. (P. l. XLIX. 345—6); et l. IX. c. 7. (ibid. 356); et Coll. XVIII c. 16. (ibid. 1118); et Coll. XIX. c. 2, 3. (ibid. 1128—9); et ibid. c. 6, 7, 8, 9, 10, 12, 16 (ibid. 1132, 1140—1—5). [4]) Coll. XIX. c. 3. (P. l. XLIX. 1129); et *Platus* De bono stat. rel. l. I. c. 39 initio. [5]) II.II^{ae} q. XVII. a. 8. ☉.

mus [1]), imo copiosius, non operando propter illud acquirendum), expedire, ut simul offerantur circumstantiae illius singulae, tanquam partialia obiecta. Exempli gratia; surgendo ex lecto, sic potes mente, vel si solus es in cubiculo, etiam voce dicere: «Pater coelestis Deus sanctissime et dilectissime, ego »propter te in unione meritorum et omnium operum Christi Domini, nunc volo surgere, *vel,* surgo »sine mora, ut prompte obediam campanae sanctae obedientiae, et honeste atque decenter, sine denudatione indecora corporis, ut quantocius incipiam »te in vigilia glorificare, etc.« Sic eundo ad mensam, post pulsum, dicere potes mente: »Eo propter te «Pater coelestis Deus, sanctissime et dilectissime, »in unione operum et meritorum Christi Domini, »sine mora ad mensam, et obedio tuae voci per »campanam mihi intimatae: et ibi propter te volo »comedere sobrie, in cibo et potu, sine curiositate oculorum, non optando meliora, imo volo me mortificare »ibi in aliqua re, et volo esse contentus iis quae »apponentur; et volo comedere munde et decenter, »et cum silentio, et sine aviditate; et volo simul »mentem pascere lectione pia, ad inflammandam »eam in maius obsequium et laudem tuam. Pro quibus et similibus actibus sufficit illud tempus, quod insumitur eundo e cubiculo ad triclinium. Simili modo aliae actiones expediri possunt. Et hac variatione circumstantiarum materialium, non tantum crescit meritum operis, et vitatur taedium,

[1]) In Epist. ad Rom. hom. V. n. 7. (P. gr. LX. 431).

(quod esset, si offerretur Deo una sola aliqua res, una formula oblationis saepius iterata), sed opera ipsa variarum circumstantiarum oblatione iuvantur, ut bene et perfecte fiant, dum per illam repraesentantur memoriae perfectiones, cum quibus peragi debent, et peragebantur a Sanctis.

Notandum quarto, opus maioris meriti fore, si offeratur vel fiat propter plures fines supernaturales, subordinatos praestantissimo fini, scilicet pure propter Deum super omnia amatum, hoc modo: «Sanctissime Domine Deus et Pater meus, ego volo facere, vel dicere, vel omittere (si est aliquid mali, «cuius se offeret occasio), vel pati (si est tribulatio)». Vel: «ego facio, vel dico, vel omitto, vel patior, hoc N. ex puro amore tui, seu propter te super omnia amatum: *Primo,* propter bonitatem supernaturalem, quae est in hoc actu virtutis» (si sit natura sua non res indifferens, uti est comestio, somnus, recreatio, ambulatio, scriptio, et his similia). «*Secundo,* ut tuo divino vel Ecclesiae praecepto «obediam»: si est actio imperata a Deo vel Ecclesia, ut est ieiunium, Missae auditio die festo, et his similia. «*Tertio,* ut obediam meo superiori»: si est actio praescripta in ea domo, ut est omnis illa, ad quam sono campanulae vocantur religiosi, vel alumni, aut convictores in seminariis, aut scholares in scholis, aut sacerdotes pii simul manentes in aliquo domicilio. «*Quarto,* ut me vincam et mortificem»: si est opus a quo natura abhorret, seu in quo faciendo sentit repugnantiam. «*Quinto,* ut pro «peccatis talis vel talis animae satisfaciam». Nam ad

satisfaciendum pro peccatis propriis, non est necesse offerre opera nostra, etsi possint etiam offerri, quia per se sine alia oblatione, quodlibet opus supernaturale iusti est satisfactorium pro illis, si pro aliis non offerantur. «*Sexto,* ut hoc opere, vel «sermone etc. te quam maxime colam, et glorificem, «et dem tibi gustum vel consolationem. *Septimo,* «ut sic me tibi gratum exhibeam, pro tam multis «beneficiis tuis mihi, et aliis, et Christi Domini humanitati ac B. V. Mariae, et omnibus aliis beatis spiritibus, et vivis electis, ac aliis creaturis tuis, «imo et damnatis ingratis, toties exhibitis. *Octavo,* «ut hac actione vel sermone vel omissione vel tolerratione, proximum iuvem, dando ei bonum exemplum et aedificando eum. *Nono,* ut hac actione vel sermone, augeam habitus virtutis, quibus tu adeo «delectaris, et quos a nobis exigis. *Decimo,* ut hac «actione, etc. fiam tibi summe Sancto similior, quippe «tua imago, et hac ratione bonitatem tuam illustrem «magis. *Undecimo,* ut hac re ornem magis animam «meam, quo fiat dignius habitaculum tuum, et ornatius templum Spiritus S. et ego evadam pulchrius «membrum capitis nostri Domini Iesu Christi. «*Duodecimo,* ut hac ratione dilatem in me, et per me «ut membrum eius (non ut ego) gloriam Christi «Salvatoris nostri, et efficaciam meritorum sanctissimae eius vitae, passionis, et mortis, et Sanguinis «pretiosissimi pro nobis effusi; etiam propter multiplicanda in nobis, et per nos facienda opera supernaturalia virtutum. *Decimotertio,* ut hoc opere, vel «sermone, vel omissione, vel perpessione exhilarem

«Ecclesiam triumphantem. *Decimoquarto,* ut hoc opere, «dicto etc. exornem in oculis Dei et sanctorum «tuorum Ecclesiam militantem. *Decimoquinto,* ut «daemones inimicos tuos et meos, bona opera im«pedientes, confundam, et de illis, beneficio tuo, «propter te triumphem. *Decimosexto,* ut tuae gra«tiae cooperer, hoc te poscente a nobis, qui «tan«quam caput in membra, et tanquam vitis in pal«mites, in iustificatos iugiter influis auxilia gratiae «tuae» [1]). *Decimoseptimo,* ut hac ratione tibi, et «mundo, et angelis, et daemonibus, declarem effica«ciam SS. Eucharistiae a te institutae, nos ad actus «virtutum excitantis [2]). *Decimooctavo,* ut votum tibi «factum adimpleam»: si est res ad quam voto obligatus es. *Decimonono,* «ut sim tibi fidelis in exe«quendis propositis»: si est aliquid tale, quod sim«plici proposito, sine obligatione voti, Deo promi«sisti. *Vigesimo,* ut Christum Dominum et Sanctos «eius imiter. *Vigesimoprimo,* hoc propter te facio, «dico etc. in honorem B. Virginis, vel Angeli mei «custodis, vel Patroni mei, vel omnium sanctorum etc.» Similes intentiones pro captu, et devotione, et quantitate temporis, et statu uniuscuiusque, haberi possunt in nostris operibus, sermonibus, omissionibus malorum, et toleratione adversitatum.

Notandum quinto. Et si malum non sit, operari pure propter retributionem aeternam, ut operabatur S. David [3]), tamen non suadeo quidquam facere

[1]) Trident. sess. VI. c. 16. [2]) *S. Thom.* III. q. LXXIX. a. 1. ad 2. [3]) Psal. CXVIII. 112.

propter eam, quia perfectius est et magis meritorium operari pure propter Deum, sine respectu explicito ad praemium ullum. Nam, ut S. Gregorius ait, et eum citans S. Dorotheus [1]), operari propter retributionem, est proprium mercenarii, non filii, qui operatur propter patrem. Et ideo merito nobis S. P. Noster Ignatius praescripsit: «omnes rectam habere intentionem studeant... Circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, vt serviant et placeant divinae bonitati, propter seipsam, «et propter caritatem, et eximia beneficia, quibus «praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum «vel spem praemiorum» [2]). Quocirca bene S. Chrysostomus dixit: «Si omnino dignus fueris aliquid «agere quod Deo placeat, et aliam adhuc praeter «hoc ipsum quod placere meruisti mercedem requiris, «vere ignoras quantum bonum sit placere Deo. Si «enim scires, nunquam aliud extrinsecus mercedis «aut muneris expeteres [3]). Munus est, impetrare aliquid pro opere, ut idem alibi ait, «maior tibi «merces, si citra mercedis spem feceris» [4]).

Et hoc operandi modo, per oblationes non tantum operis, sed etiam circumstantiarum et modorum perfecte illud faciendi (quos cuilibet suggeret propria conscientia, informata vel lectione, vel auditione, vel Dei inspiratione, vel luminis naturalis a Deo excitati dictamine) valde iuvari possunt, tum

[1]) Doctr. IV, c. 2 (P. gr. LXXXVIII. 1659A). [2]) Constit. p. III. c. I. §. 26; Summ. reg. 17. [3]) De compunct. l. II. n. 6 ante medium (P. gr. XLVII. 420). [4]) In Epist. ad Rom. hom. V. n. 7. (P. gr. LX. 431).

nostri coadiutores temporales, tum alii, qui ob obedientiam occupantur operibus distractivis. Nam si illa ipsa distractiva qua faciunt (dum eunt etiam passus quosvis), et alia quae debent facere necessario, Deo offerant, perpetuo merentur. Et tales operationes sunt vere orationes practicae, quia in illis mens ascendit ad Deum. Oratio autem S. Damascenu, «est ascensus mentis ad Deum» [1]). In illi mens et totus homo unitur Deo: «Oratio enim», S. Climaco, est unio hominis et Dei» [2]).

Quocirca illi dicuntur orare, qui bene operantur, ut ait S. Clemens Alexandrinus [3]), S. Augustinus S. Hilarius [4]), S. Thomas [5]). Et bene operando, aliqui dicunt, impleri Christi dictum: *oportet semper orare et non deficere* [6]): et illud Apostoli: *orantes omni tempore in spiritu* [7]). Verissime talis operandi modus, per has oblationes erit perfectissima oratio, et quidem «indivulsa et continua», uti eam appellat S. Basilius [8]), fuse disserens de tali operandi modo, quem hic proposui, per internos affectus, praesertim iuxta modum infra explicandum: quia habet quidquid ad orationem proprie

[1]) De fide ort. l. III. c. 24 (P. gr. XCIV. 1090). [2]) Scala parad. grad. XXVIII ipsum initium (P. gr. LXXXVIII. 1130). [3]) Stromatum l. VII. c. 7. ad calcem (P. g. IX. 474). [4]) Sermo de dedicatione eccl. circa finem (P. l. X. 883—4). [5]) Commentarius in epist. I. ad Thessalonicenses c. V. versu 14 et seq. lect. II in med. [6]) Luc. XVIII. 1. [7]) Ephes. VI. 18. [8]) Hom. in martyr. Julittam c. IV. (P. g. XXXI. 246A).

dictam requiritur; imo est perfectissimus orandi modus is, quando opus adiungitur elevationi et unioni mentis cum Deo. Hoc suadebat B. Laurentius Iustinianus: «Sanctis, inquit, cogitationibus occupanda «mens est, cum corporale fit opus, ut pariter cordis et «corporis gratum altissimo offeratur holocaustum» [1]). Et sic exequimur illud, quod ait S. Gregorius: «Valde sibi haec necessario congruunt, ut et ora-«tione operatio, et operatione fulciatur oratio» [2]). Et sic homo perpetuo Deo sacrificium offert, et spiritualiter prestat id quod Deus in figura praescripserat: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies* [3]). Qua de re pulchre idem S. Gregorius loquitur: «Altare Dei est cor nostrum, in quo iubetur ignis «semper ardere, quia necesse est ex illo ad Deum caritatis flammam indesinenter ascendere» [4]). Haec caritatis flamma, in quovis tali opere ardet; quia quodlibet tale opus, est saltem imperatum a caritate, et fit propter obiectum caritatis praestantissimae omnium: deinde quia caritas erga Deum, «probatur «per exhibitionem operis», ut ait S. Gregorius [5]). Imo, ut ait S. Ignatius, in contemplatione de amore spirituali, «amor ipse, ab operibus magis, quam a «verbis pendet, et consistit in mutua facultatum,

---

[1]) De discip. et perf. monast. conv. c. XXI (pg. 1541I. t. I.). [2]) Moral. l. XVIII. c. V. n. 10. (P. l. LXXVI. 42D). [3]) Lev. VI. 12. [4]) Moral. l. XXV. c. VII. n. 15. (P. l. LXXVI. 325B). [5]) In Evangelia l. II. hom. XXX. n. 1. (P. l. LXXVI. 1220C).

»rerum et operum, communicatione«. Atque ita, tali modo operandi, versamur in efficaci et actuoso amore Dei, ac meritorum congregatione, quae maxime omnium actibus caritatis supernaturalis debetur. Qua de re pulchre discurrit Abbas Isaac apud Cassianum: »Tunc Dei perfecta dilectio, qua *prior ille nos dilexit* (I. Joan. IV. 10) in nostri quoque cordis »transierit affectum. Cum omnis amor, omne desi»derium, omne studium, omnis conatus, omnis cogi»tatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, »quod speramus, Deus erit. Ut quemadmodum nos »ille sincera et pura, ac indissolubili diligit caritate; »nos quoque ei perpetua, ac inseparabili caritate »iungamur, ita scilicet ei copulati, ut quidquid spera»mus, quidquid intelligimus quidquid loquimur, Deus »sit. Haec debet esse omnis intentio, ut imaginem »futurae beatitudinis in hoc corpore possidere me»reamur, et quodammodo arrham caelestis illius con»versationis et gloriae incipiat in hoc vasculo prae»gustare. Hic inquam finis totius perfectionis est, »ut eousque extenuata mens ab omni situ carnali »ad spiritualia quotidie sublimetur, donec omnis eius »conversatio, omnis volutatio cordis, una et iugis »efficiatur oratio« [1]).

Quanti autem momenti sunt omnia opera iusti, recta intentione facta, non semel indicavit Dominus mirabilibus verbis, plenis magno solatio, S. Gertrudi dilectae sponsae suae: »Sicut usurarius avarus in»vitus negligeret, si saltem unum denarium lucrari

[1]) Coll. X. c. 7 (P. l. XLIX. 827—8).

«posset; sic ego, qui delicias meas statui habere in «te, multo invitius permitterem mihi unum cogita- «tum, sive motum extremi digiti tui propter me fa- «ctum, sic perire, quod ipsum non in summam lau- «dem meam converterem ad tuam salutem aeter- «nam» [1]). Et alia vice: «Cum nimis esset debilitata «accipiens nocte quadam uvas, recreavit se tali in- «tentione, quod ipsum Dominum in seipsa reficeret. «Quod Dominus magnifice acceptans, ait: Modo «fateor mihi recompensatam amaritudinem illam, «quam de spongia in cruce pro amore tuo bibi; «quoniam pro ipsa, iam de corde tuo indicibilem dul- «cedinem sugo. Et quanto tu purius ad laudem me- «am corpus recreaveris, eo suavius ego me profiteor «in anima tua refectum» [2]). Et alia vice dixit ei Do- minus: «Benignitas mea acceptabit, si unum vesti- «gium tali intentione (scilicet bona) calcaveris, seu «calamum de terra levaveris, vel verbum unum lo- «cuta fueris, vel alicui gestum amicabilem exhibue- «ris, vel etiam si requiem aeternam pro defunctis, «sive quodcunque verbum pro peccatoribus, vel etiam «iustis dixeris» [3]). Et ne quis putet, ob sanctitatem eximiam S. Gertrudis id ei dictum, tanquam ad illam solam non vero ad alios spectans, obstant alia verba Christi Domini eidem dicta: «Cum enim ad respon- «sorium, VERBUM CARO FACTUM EST, profunde Con- «ventus inclinaret se, ob reverentiam Dominicae In-

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 54 (pg. 310 ed. Salisb. 1662). [2]) Ibidem. c. 57 (pg. 314). [3]) Ibid. l. IV. c. 7 (pg. 430).

«carnationis, intellexit Dominum dicentem: «Quo-«tiescunque aliquis cum devota gratitudine se incli-«nat in verbo isto, gratias agens mihi quod pro «amore ipsius dignatus sum homo fieri, toties ego «stimulis propriae mansuetudinis meae instigatus, «me ipsi dignantissime reinclino, et ex intimo cordis «affectu Deo Patri omnem fructum beatissimae hu-«manitatis meae offero dupliciter, in augmentum «beatitudinis aeternae hominis illius»» [1]). Et alia vice. Hoc ipsum S. Gertrudem Dominus docuit: «Qui-«cunque studuerit singula commoda sua, in bibendo, «comedendo, dormiendo et similibus» quae ex natura cogitur suscipere «ea sumere intentione, vt di-«cat corde vel ore, Domine hunc cibum, vel aliud «quodcunque suscipio, in illo amore, quo tu ipsum «eundem sanctificasti, cum in tua sanctissima Hu-«manitate, consimili utereris ad laudem Dei Patris, «et salutem totius generis humani, orans ut in unione «Divini amoris tui, cedat in augmentum solatii omni-«bus coelestibus, terrestribus, et purgandis; ille sin-«gulis vicibus», quibus tali intentione aliquod suscipit commodum, «praetendit coram me quasi scutum quod-«dam firmissimum, quo contra diversas molestatio-«nes, quibus a mundanis infestor, quasi protectus «defensor» [2]). Et alia vice: «Cum feria quinta ante «bacchanalia, post matutinum, audivisset Gertrudis «in coquina pulsari servis laboraturis ad praeliban-«dum, illaque ingemiscens dixisset: «Heu me, mi

[1]) Ins. d. piet. l. III. c. 3 (pg. 404). [2]) Ibidem c. 13 (pg. 455).

«Domine, quam mane surgunt homines ad infestan-«dum te cibo!» Ad quod Dominus blande, quasi sub-«ridens, dixit: «Noli ingemiscere carissima; quia hi, «quibus modo pulsatur, non sunt de numero illorum, «qui contra me crapula saeviunt: quia per hanc «praelibationem, ipsi vocantur et incitantur ad labo-«rem. Vnde et ego delector in eorum cibo, que-«madmodum quis delectatur in refectione sui iu-«menti, quod pabulo pascit, ad ministradum sibi» [1]). Ex his divinis doctrinis manifeste apparet, non tantum Sanctorum opera, sed etiam ordinariorum iustorum, pure propter finem supernaturalem, praesertim Deum ipsum, facta, maxime placere Deo, etiam ex se vilia. «Et iste mos est Divinae misericordiae, inquit S. Chrysostomus, «ut etsi nos tenuia quae-«dam et vilia obtulerimus, multa ... liberalitate nos «remuneret» [2]).

Quod ut melius explicem, dico, similes oblationes debere adhiberi etiam ad vilissimas nostras actiones necessarias, (quas erubescimus) si peccato nullo sint inquinata. Cum enim Apóstolus moneat: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite* [3]); omnes actiones, solo excepto peccato ita faciendae sunt, ut in gloriam Dei cedant. Cedent autem, si offerantur et fiant eo modo quem explicavi. Quod etiam commendat Colossensibus: *Omne quodcunque facitis,*

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 14. (pg. 463). [2]) In Gen. hom. XXVI. n. 5 ante fin. (P. gr. LIII. 237). [3]) I. Cor. X. 31.

in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi [1]).

Quibus in locis, omnia opera includendo, non excipit etiam secreta, etsi vilia. Ideo S. Chrysostomus ait: «Etiam si uxorem ducas, ...in nomine Domini fac» [2]). Et S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, respondens Pelagio neganti esse necessarium auxilium Dei «ad sputa iacienda, ad duobus digitulis purgamenta narium decutienda, ad relevandam alvum, ad urinam degerendam, ad curvandum digitum», sic ait: «Audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum praedicantem: *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Dei agite*» [3]). (I. Cor. X. 31.). Quo respondendi modo aperte indicat, etiam res secretas, (quae pudorem incutiunt, si coram aliis fiant) posse fieri in nomine Dei, et Deo offerri tanquam ea, quae fiunt cum adiutorio Dei, et ad quae Deus per se concurrit positive, quomodo non concurrit ad malitiam peccati. Et S. Chrysostomus in oratione Kalendis habita, «etiam a levissimis, inquit, rebus et vilissimis maximas utilitates percipiemus, si propter Deum ipsum eas faciamus: si uxorem duxerimus, propter Deum hoc ipsum faciamus. Licebit ergo et calceis ipsis propter Deum uti. Ceterum quid opus est omnia commemorare, licebit nobis ex his quae dicta sunt, singula quae fiunt, aut geruntur, percurrere, et omnia

[1]) Coloss. III. 17. [2]) In Epist. ad Coloss. hom. IX. n. 3. post initium (P. gr. LXII. 364). [3]) Epist. CXXXIII. n. 7 initio (P. l. XXII. 1155).

«propter Deum facere» [1]). Haec S. Chrysostomus. Atqui inter ea quae fiunt et geruntur sine peccato, sunt etiam actiones secretae; ergo et hae, iudicio Chrysostomi, propter Deum fieri debent. Atque ita Chrysostomus loco citato, actum illum, quo Phinees [2]), visis duobus actu peccantibus in lupanari, perfodit ambos in locis genitalibus, dixit, ab eo factum esse propter Deum. «Omnia enim vilia, inquit S. Anselmus, cum caritate facta, fiunt aurea «atque divina».

Atque ex tali offerendi modo actiones nostras et sermones oritur, ut opera nostra et sermones, bono modo, non tantum bono fine fiant; dum offerendo circumstantias operum, memoriae suggeruntur modi bene operandi, et defectus fugiendi in operibus et sermonibus nostris. Sed ut cum maiore Dei gloria et merito nostro fiant, danda est opera, ut ferventer fiant, etiamsi breviter. Non aberit brevitas coniuncta cum ardore Spiritus. Nam David non plus dixit, quam *Peccavi* [3]), et statim remissionem peccati obtinuit. Hinc S. Climacus, «noli, inquit, conari multum loqui, ne mens tua ad inquisitionem verborum distendatur: unus Publicani sermo placavit Deum; unum fidele verbum, salvavit latronem» [4]). Et Ezechias (IV. Reg. XX. 1. et sq.). paucissimis verbis impetravit non tantum ne moreretur tunc, uti fore praedixerat ei Isaias, sed

[1]) Patr. gr. t. XLVIII. 960. [2]) Num. XXV. 6, 7, 8. [3]) II. Reg. XII. 13. [4]) Scala parad. grad. XXVIII prope initium (Patr. gr. LXXXVIII. 1131B).

etiam vitae prorogationem miraculo confirmatam. Sic et S. Susanna paucissimis verbis prolatis (Dan. XII. 12), obtinuit sui liberationem, et Martha tantum his Christo Domino dictis, *Ecce quem amas infirmatur* (Ioan. XI. 3), Lazaro profuit.

CAPUT IV.

De Modis quibus usa est S. Gertrudis in offerendis Deo Actionibus suis.

Legi accurate vitas omnium sanctarum Virginum publico in Ecclesia Dei cultu, ex concessione Apostolicae Sedis honoratarum, sed fateor, de nulla Sancta me legisse tam frequentes et tam miras Dei conversationes et collocutiones, et sponsarum suarum laudes, uti descriptae sunt in vita S. Gertrudis virginis ordinis S. Benedicti, tum a Lanspergio, tum a Tilmanno Brendebachio, in libris quorum est titulus: «Insinuationes divinae pietatis», huic Sanctae divinitus communicatae. Quo ergo, tum Deo dicatae virgines, tum alii sciant, et si libebit imitentur hanc S. Virginem, adferam in medium praecipuos modos, fere omnes, ab ipso Deo in illa probatos, quos adhibuit, tum sua opera offerendo Domino, tum aliis religiosae pietatis actibus Deum honorando.

Offerebat suos actus, aliquando, «in unione mu«tui amoris semper venerandae Trinitatis [1]). Ali-

[1]) Insin. div. piet. l. II. c. 22 (pag. 141).

quando petebat aliquid, «per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis [1]). Aliquando offerebat «paenas et lacrymas Iesu Christi «pro universis negligentiis suis» [2]). Aliquando petebat «in unione efficacissimae orationis Iesu Christi, in «virtute Spiritus S., omnium peccatorum suorum «emendationem, defectuumque suorum suppletio-«nem» [3]). Aliquando pro beneficiis a Deo perceptis, «exhibebat ei suavitatem illam, quam in supercae-«lesti apotheca Deitatis, supra omnem sensum prae-«iucunde, persona personae communicat» [4]). Aliquando pro emendatione omnium peccatorum suorum offe-rebat Deo Patri, «omnem passionem dilectissimi Filii «eius, quam ab illa hora, qua in praesepio super «faenum reclinatus, vagitum dedit, et deinceps per-«tulit..., usque post horam illam, qua inclinato ca-«pite in cruce, cum clamore valido spiritum emisit» [5]). Aliquando «in suppletionem omnium negligentiarum «suarum, Deo Patri offerebat omnem conversationem «Filii eius sanctissimam, quae in omnibus cogita-«tionibus, verbis et factis, perfectissima fuit ab hora, «qua missus fuit in mundum, usque post illam ho-«ram, qua eius paternis vultibus praesentavit victri-«cis carnis gloriam» [6]). Aliquando beneficia Dei reco-lens, «Deo quod eius est reddebat, et per organum «eius dulcisonum, scilicet divinum Cor eius, per vir-«tutem Spiritus Paracleti ea resonans, decantabat ei

[1]) Ibid. c. 18 (pg. 127). [2]) Ibidem. [3]) Ibidem. [4]) Ibid. c. 22 (pg. 142). [5]) Ibid. c. 23 (pg. 144). [6]) Ibid. (pg. 145).

«laudes et gratiarum actiones, ex parte omnium, «caelestium, terrestrium, et infernorum omnium, quae «sunt, fuerunt, quaeque post futura sunt» [1]). Aliquando «in unione perfectionis divinae ea offerebat«. Edocta etiam fuit a Domino, offerre ei aliqua «in «unione illius amoris, quo Deus homo factus est «pro nobis» [2]). Aliquando pro gratiarum actione», «offerebat Deo Patri omnem sanctissimam conver-«sationem Unigeniti sui. Tunc singulae gemmae qui-«bus vestimenta sua videbatur ornata, invicem com-«motae, suavissimum ac delectabilissimum melos re-«sonare videbantur, in Dei Patris laudem aeternam. «Per quod dabatur intelligi, quam gratissimum sit «Deo Patri, cum quis sibi offert perfectissimam Filii «sui conversationem» [3]). Aliquando sic offerebat: «Domine hoc opus offero tibi, per unicum Filium «tuum, in virtute Spiritus sancti, in laudem aeternam... «Sensit virtutem verbi illius, quod scilicet ad talem «intentionem mirifice super humanam aestimationem «nobilitaretur, et gratum sit Deo Patri, quidquid «offertur. Ad similitudinem, sicut viride apparet «quidquid per viride videtur, et rufum apparet, «quidquid per rufum videtur, et sic de similibus; «sic per omnia placidissimum et acceptissimum est «Deo Patri, quidquid per Unigenitum suum offer-«tur» [4]). Aliquando orabat Beatam Virginem et «omnes Sanctos, «ut Domino pro se offerrent omnem

[1]) Ibidem (pg. 151). [2]) Ibidem l. III, c. 13 (pg. 185—6). [3]) Ibid. c. 23 (pg. 229—30). [4]) Ibid. c. 30. §. 14 (pg. 253).

«dignitatem, qua quilibet ipsorum paratus fuisset ad «quamlibet gratiam recipiendam. Oravit insuper Dominum Iesum Christum, ut ipse pro ea offerre dignaretur perfectionem illam, qua in hora Ascensionis paratus astitit Deo Patri ad suscipiendam «glorificationem» [1]). Aliquando «offerebat cor suum «Deo in laudem aeternam, ad perficiendum corpore «et anima omne beneplacitum eius. Ad quam oblationem, Dominus tam medullitus complacatus videbatur, quod quasi ingenti gaudio et amicissima blanditate se de patibulo Crucis demittens, in amplexus suavissimos eam suscepit, ineffabiliter exultans; eamque blande vulneri lateris sui sanctissimi «applicans, ait: « Bene venias mihi carissima, vulnerum meorum emplastrum lenissimum, omniumque «dolorum meorum relevamen suavissimum» [2]). Aliquando edocta a Domino, dicens Alleluia, collaudabat Dominum, in unione laudis supercoelestium «civium, qui per idem iugiter collaudabant in coelis» [3]). Aliquando offerebat «Deo Patri totam sanctissimam «Iesu Christi conversationem, pro suppletione quod «ab hora qua in baptismo renata Spiritum Sanctum «suscepit, nunquam dignissimo hospiti illi condignam «in corde et anima sua exhibuerat mansionem» [4]). Aliquando dum hostia elevaretur, eam offerebat «pro suppletione omnium quae unquam in habitu «spirituali, non sequendo, aut etiam extinguendo

[1]) Ibid. c. 34 (pg. 271). [2]) Ibid. c. 64 (pg. 323). [3]) Ibidem l. IV. c. 27 (pg. 521). [4]) Ibidem c. 39 (pg. 551).

«tractum Spiritus Sancti, neglexit» [1]). Aliquando in honorem Sanctorum, «offerebat communicatura SS. «Eucharistiae Sacramentum in laudem aeternam... «in augmentum gaudii, gloriae, et beatitudinis ipso- «rum» [2]). Aliquando «in unione membrorum Christi «Domini innocentissimorum, commendabat ei singula «membra corporis sui (id facere ab ipso Christo ibi «expresse edocta) cum omni motu suo, ut de cetero «nunquam, nisi ad laudem et gloriam eius, et propter «amorem eius, commoveantur. Quod cum faceret, «videbatur velut quaedam zona aurea prodire de «corde Dei, quae circumcingens animam eius, ipsam «indissolubili vinculo amoris, Domino astrinxit» [3]). Aliquando «devote exorabat Deum Patrem, ut eam «respicere dignaretur, per innocentissimam Iesu «Christi Humanitatem, puram et immaculatam ab «omni peccato, ac per excellentissimam ipsius Divi- «nitatem, ditatam et ornatam omnigena virtute, qua «eadem gloriosa Divinitas floruit: per sanctissimam «Humanitatem, precum suarum satis affectuosum «promeruit consequi effectum» [4]).

Sed cum ante inchoata opera, quae sic offeruntur, plus saepe temporis suppetat quam possit in talibus oblationibus totum traduci, (ut dum e cubiculo eximus in triclinium, ad portam, ad scholam, ad alia loca vel negotia; sed maxime, dum iter facimus, dum ad civitatem eximus, multumque tem-

[1]) Ibid. c. 40 (pg. 553). [2]) Ibid. c. 55 (pg. 623). [3]) Ibid. l. V. c. 29 (pg. 778). [4]) Ibidem l. V. c. 32 (pg. 795).

poris suppetit ad mentem iis affectibus impinguandam, et meritis innumeris ditandam, et Dei cor gustu inenarrabili et gloria replendum) declarandum videtur, quomodo sit practicandum hoc exercitium praesentiae Divinae, post factam operum oblationem, paulo post inchoandorum, seu, qua in re expendendum sit illud tempus, quod superest ad inchoationem operis, et quod suppetit in itinere et aliis similibus occupationibus, in quibus liceat mentem cogitationibus piis occupare.

CAPUT V.

De Modis bene traducendi Tempus liberum ab Occupationibus distractivis.

Dico duobus modis posse tempus illud expendi:

Primus, offerendo singulos passus Deo, ad quemvis pedis progressum et motum, iterando assidue: «propter te, propter te, propter te»: tot enim erunt actiones meritoriae, quoties dicentur a iusto ob finem supernaturalem id faciente, «propter te». Sic dum nullo legente ad mensam comedis, offer singulos actus manus, dum scindis aliquid, dum ori infers. Et hic modus est facilis, et non fatigat imaginationem, et id suadebat suis sororibus in novitiatu, earum magistra B. Maria Magdalena de Pazzis, ut dicitur in eius vita, monens, «ut ob gloriam Dei, «si fieri posset offerrent etiam ictus oculorum, et «minimos motus membrorum: et promittebat eis, «si ita operarentur omnia et singula opera, ituras

«ad coelum recte post mortem, sine poenis purga-«torii. Et ut profundius illis inculcaret hanc praxim, «saepe inopinate interrogabat, modo hanc, modo «illam, qua intentione faceret, quod faciebat. Quod «si invenisset aliquam tacentem, et inde collegisset, «eam casu, et sine praevia consideratione illud opus «aggressam, reprehendebat eam, quod meriti occa-«sionem perdidisset, et quod Deo subtraxisset gus-«tum, qui non pascitur operibus casu factis» [1]). Qua in re admirabilis fuit S. P. noster Ignatius, qui, uti de eo legimus in relatione pro eius canonizatione, facta coram Gregorio XV. et coram cardinalibus, dicta a Francisco Maria de Monte cardinali, «Omnes suas cogitationes verba, opera, in Deum «ac Dei gloriam destinabat» [2]). Et hoc modo dicitur S. Franciscum aliquando totam noctem exegisse repetendo haec verba: «Deus meus et omnia» nihil aliud addendo. De Gregorio Lopez viro sancto scribit in eius vita Franciscus Lossa presbyter, eius familiaris, cum [divinitus antea edoctum, uti in altera vita posterius impressa [3]) ait Alphonsus Remon] mente per integrum triennium, cum vigilaret, ad singulas respirationes suas, haec verba iterasse: «Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra, «Amen Iesus [4]): quae etiam evigilans noctu proferebat, cum magno lucro animae suae; quae etiam dum comederet, et biberet, et loqueretur mente iterabat.

[1]) «C. 187 vitae Rom. impr.» [2]) «Pag. mihi 17». [3]) Madriti anno 1616. [4]) Vitae c. III ed. Ulyssip. 1615; in versione gall. pag. 17.

Alter modus, quo expendendum est tempus si quod superest post oblationem factam operis faciendi, consistit in occupanda mente, aliqua cogitatione affectuosa, una aut pluribus, iuxta longitudinem temporis quod superest, et pro qualitate operis inchoandi. Nam alio modo occupanda est mens dum itur ad offerendum Deo Missae sacrificium, alio dum ad reficiendum cibo corpus, alio dum ad alia negotia. Et tales praemittendae sunt cogitationes et affectus, qui disponant hominem ad perfectius perficiendum id ad quod nos conferimus. Qua de re alio loco tractabo, et suggeram pios affectus, praemittendos praecipuis actionibus nostris [1]). Nunc illos tantum commemorabo, qui omni tempore exerceri possunt, et qui sunt vel a Deo, vel a Sanctis commendati et frequentati.

CAPUT VI.

De Modis recolendae Christi Passionis.

Primum genus [2]) *affectuum* est simplex recordatio Passionis Christi et eius Mortis: memoria enim eius valde est Deo accepta; *primo*, quia ob eius commemorationem saepius iterandam, Christus inter alios caritatis suae fines, tam admirabile Sacramentum Eucharistiae instituit, teste Apostolo: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et Calicem*

[1]) Opusculo De negot. coel. [2]) Sequentia vide sequentibus capitibus.

bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat [1]).

Secundo, quia Beatissima Virgo Maria, docens S. Birgittam, quomodo spiritualiter vestiri deberet, inter alia monet: «Monile, est consideratio Passionis Christi. Hoc sit iugiter fixum in pectore tuo, «quomodo derisus et flagellatus; quomodo sanguinolentus et omnibus nervis confossus, vivus stabat «in cruce; quomodo in morte ex passione doloris «acutissimi, totum corpus intremuit; quomodo in «manus Patris commendabat spiritum» [2]). Deinde iterum inter alia pia monita, quae eidem sanctae Dominus alio tempore dedit, unum fuit huiusmodi: «Consulo tibi cogitare duo continuo in corde tuo: «*Primo,* quae feci pro te patiendo et moriendo pro «te; haec cogitatio excitat caritatem ad Deum. «*Secundo,* considera iustitiam meam et futurum iu«dicium; haec incutit timorem in animo». Praeterea inter laudes bonorum christianorum ponit, «quod «illorum cogitatio tota sit ad passionem eius» [3]). Et de se SS. Maria ait: «In sepulchro filii mei, semper «cogitatio et cor meum versabatur» [4]). Et S. Birgittae postea dixit: «Considera semper Passionem «filii mei» [5]). Matris exemplo edocta eius filia S. Catharina virgo innocentissima, uti habetur in eius vita: «ante dormitionem, per quatuor horas con-

[1]) I. Cor. XI. 26. [2]) Rev. l. I. c. 7 (pg. 12H. ed. Monach. 1580). [3]) Ibid. l. II. c. 19 (pg. 133A). [4]) Rev. l. II. c. 21 (pg. 137B). [5]) Ibid. c. 26 (pg. 145G).

«tinuas in genuflexionibus, et pectoris tunsionibus «cum lacrymis multis, ob recordationem amarissimae «passionis Christi, omni vespere in holocaustum se totam Domino offerebat» [1]). Et Christus Dominus per S. Birgittam, reginae Neapolis, inter alia dici iubet, «ut quotidie certis temporibus vulnera et «passionem Dei recordetur, quia inde caritas Dei «in corde innovatur» [2]). Et ibidem cuidam domino, per eandem dici iussit, «ut certis in die temporibus «occupet se ad recordandam passionem Christi et «vulnera eius» [3]). Si ergo a saecularibus Christus Dominus id exigit, et quidem a distractis, quanto magis id religiosos et sacerdotes decet, qui Christum amare magis, ac proinde magis praecipuorum eius beneficiorum, (qualis est passio et mors) meminisse debent, et qui, ob repraesentationem vitae et Passionis Christi a sanctis appellantur «Crucifixi», ut a S. Ephraem [4]), S. Chrysostomo [5]), S. Theodoro Studita [6]), Cassiano [7]), Palladio [8]), S. Bernardo.

Tertio. Beatus Columbinus morti proximus inter alia fratribus suis commendavit: «Maxime vobis «semper sit in memoria vita et passio Iesu Christi». Merito ergo S. Theodorus Studita monet: «Etsi

[1]) Cap. X (Revelat S. Birg. pag. 848L,B). [2]) Rev. l. VII. c. 11 Addit. (pg. 590G). [3]) Ibid. (pg. 591A). [4]) Paraen. ad ascet. I n. 20 (pg. 521. t. VII ed. Caill.). [5]) In Matth. hom. LXVIII. n. 3. P. gr. LVIII. 643). [6]) Catech. ad disc. ser. CXXVI. (P. gr. XCIX. 675B). [7]) De coenob. instit. l. IV. c. 34, 35 (P. l. XLIX. 194 et seq.). [8]) Hist. Laus. c. [XIX et XX] paulo ante fin. (P. gr. XXXIV. 1062).

«Pascha praeteriit, nequaquam memoria eius prae-«tereat; sed salutifera vulnera eius, crucem, sepul-«turam, perpetuo sub oculos revocemus» [1]). Quod etiam repetit alibi, aitque etiam tempore paschali «debere nos necem Domini Iesu... circumgestare... «Nec dicas, inquit, iam quadragesima non est, nam semper intento quadragesima est... [2]).

Quarto. S. P. N. Ignatius cum Minoressae maneret, post suam ad Deum conversionem, inter alia, quae commendabat populo in publicis adhortationibus, «dicebat omnibus ut omni tempore cogita-«rent de Passione Christi, quia haec erat vera con-«solatio» [3]): prout iuratus asserit octavus testis, in processu Minoressano super quinto articulo, dictum esse sibi multoties a suo patre, familiari S. Ignatii. Porro usque adeo memoria Christi Passionis eius animo cara fuit, ut cum reversus Parisiis, causa recuperandae valetudinis, in patriam, «neglecta do-«mo paterna hospitale elegisset, indeque nullis mul-«torum precibus, praesertim fratris sui Martini «Garciae, ad migrandum in eam adduci se patere-«tur; ut tandem consanguinei votis potirentur, Ma-«gdalena de Arayo uxor fratris eius, multis stipata «matronis nobilibus, pedibus eius advoluta, enixe «eum per amorem Passionis Christi Domini rogavit, domum ut Loiolae reviseret. Audito nomine Passio-«nis Christi, sensit quandam cordis teneritudinem,

[1]) Catech. ad discip. ser. I. initio (P. gr. XCIX. 509A). [2]) Ibid. ser. II (Ib. 510C). [3]) «Process. pro Canoniz. fol. 277».

et modo iucundo, ut matronas nobiles coram se genua flectentes a se expediret — «ob amorem, inquit, Passionis veniam ad Loiolae domum, et ad Vergarae quoque» (quae etiam eo loco nobilis est et celebris). Et ita summa nocte domum paternam adiit, in qua primo omnium, longum et plenum affectibus sermonem de rebus sanctis ad domesticos habuit, cum magno et sensibili motu eorum. Inde relicto lecto molli praeparato sibi, noctem totam in oratione traduxit, et summo mane ante ortum solis, et auroram, clam ad dilectum suum hospitale rediit, ex quo nunquam deinceps domum paternam revisit : uti scribit Paulus Bombinus in vita italica S. Ignatii. Et primus testis in processu informativo Aspeithiensi ait, Passionis Christi commemoratione eum commotum fuisse, ad revisendam semel domum paternam, rogatu Magdalenae de Araoz ; ita eam appellat. Eodem spiritu ductus, primus Sancti Patris Ignatii discipulus et postea socius, B. Petrus Faber, ut scribit Orlandinus in huius vita (libro II cap. 7), «in inchoandis horis canonicis, in acerbissimos Christi cruciatus, indignam necem, suae mentis figebat aspectum, et ut psallendo canendoque, progrediebatur, ita in reputandis acrioribus eius poenis atque doloribus procedebat. Intendebantur quippe Christi dolores hoc magis, quo Ille propius ad vitae vergebat occasum : et eadem proportione Faber senserat sibi esse in horarum attentione crescendum, intendendamque vim animi ad intensionem dolorum atque incrementa; ut cum pervenisset ad Nonam, sentire et

«ipse quodammodo posset dira illa tormenta, et «supremos angores, quibus ea Christus hora pater- «nos in amplexus extremum spiritum edidit». Hoc ipsum Sancti antiqui in more habuerunt. De S. Laurentio Martyre testata est hoc B. V. Maria S. Birgittae: «Imprime, inquit, tibi monile Passionis filii «mei, sicut S. Laurentius impressit. Ipse enim co- «gitabat quotidie in mente sua sic: «Deus meus, ipse ««est Dominus meus; ego vero servus. Ipse Dominus ««Iesus Christus fuit nudatus et derisus; quomodo ««ergo decet, ut ego servus vestiar delicatioribus? ««Ipse fuit flagellatus et affixus ligno, non decet ergo, ««ut ego qui servus sum, si vere servus sum, sim ««absque dolore et tribulatione»» [1]).

Quantopere autem placeat Christo Domino recordatio eius Passionis, declaravit id etiam S. Gertrudi virgini, «quae dum quadam vice, quasi defi- «cientibus viribus meritorum, in via qua in spiritu «ad Dominum properabat, decumberet, Dominus be- «nignissima pietate sua acclinatus ad eam dixit: «Ex ««iure legis matrimonialis decet, ut ubicunque regina ««decubuerit, rex ad eam visendam properet». Per «quae verba intellexit, quod Dominus ex pietate sua, «videtur sibi tantum teneri animae, quae passionis «suae memoriam cum devotione pro modulo fre- «quentat, quantum rex tenetur reginae lege matri- «moniali. Nam cognovit, se illam dignantissimam «Domini visitationem, proinde meruisse, quod in «feria sexta studebat recolere Dominicam passionem;

[1]) Rev. l. II. c. 26 initium (pg. 145C).

«et intellexit, quod quicunque tepesceret in devo-«tione, semper tamen benignius respiceretur a Do-«mino, si passionis memoriam non omitteret cele-«brare» [1]). Imo si quis doleat, se aliquo tempore omisisse recordationem Passionis Dominicae, hoc ipsum magnopere placet Deo. «Cum enim quadam «feria sexta, die declinante ad vesperum, S. Gertru-«dis respiciens imaginem Crucifixi, inde compuncta «dixisset ad Dominum: «Eia dulcissime Creator «meus et amator, quanta et qualia tu pro salute «mea hodie pertulisti, quod ego infidelissima heu «vilipendens, sic diem istum, aliis occupata prae-«terivi, quod hac die cum devotione ad memoriam «non revocavi, quid tu aeterna salus pro me sis «passus, singulis horis, et tu vita vivificans omnia, «amore amoris mei sis mortuus». Dominus de cruce «illi respondit: «quod tu neglexisti, hoc ego pro te «supplevi. Nam singulis horis ego collegi in cor «meum, quod tu debuisti recoluisse in corde tuo, «et exinde tam nimia plenitudine intumuit cor meum, «quod cum magno desiderio expectavi horam istam, «ut mihi fieret haec intentio de te. Et cum illa iam «offerre volo Deo Patri meo totum, quod ego per «diem supplevi pro te, quia sine tua intentione non «posset tibi tam salutiferum esse». In hoc igitur «notari potest, fidelissimus amor Dei erga hominem, «qui per illam solam intentionem, qua homo cogitat «sibi esse molestum, quod neglexit, emendat Deo «Patri, et supplet omnem defectum eius, altissimo

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 39 totum (pg. 279).

«modo. Item cum tractaret imaginem Crucifixi cum «devota intentione, intellexit, quod si quis inspicit «imaginem Crucis Christi cum devota intentione, «ille tam benigna misericordia respicitur a Deo, «quod anima ipsius tanquam lucidum speculum sus-«cipit in se ex divino amore, valde delectabilem «imaginem, unde tota coelestis curia delectatur in eo. «Et hoc illi erit gloria aeterna in futuro, quotiescun-«que fecerit hoc in terris» [1]).

Porro Christi Passionis et mortis memoria, non debet esse in hoc exercitio praesentiae Dei speculativa, sed affectuosa. Quod sex modis fieri potest:

Primo, per simplicem eius recordationem, sed piam et affectuosam, cum amorosa commiseratione coniunctam. Placet haec recordatio Christi Passionis. Est enim communio spiritualis, iudicio S. Bernardi: «beneficia Passionis et Redemptionis ipsius «recolere, ad fruendum suaviter in conscientia et «recondendum fideliter in memoria, est spiritualiter «manducare corpus Christi, et bibere eius sangui-«nem in memoriam eius. Qui omnibus in se cre-«dentibus praecipit dicens: *Hoc facite in meam «commemorationem* (Luc. XXII. 19). In quo etiam «propter peccata inobedientiae, quam impium sit ho-«minem tantae Dei pietatis immemorem esse, palam «omnibus est, cum amici hominis abeuntis, sub quo-«libet signo commendatam memoriam nefas sit obli-«visci. Siquidem sanctae, huius ac reverendae com-

[1]) Insin. div. piet. l. III c. 41 (pg. 281—2).

»memorationis mysterium suo modo, suo tempore »suo loco, celebrare licet, paucis hominibus, quibus creditum est hoc mysterium; rem vero sacramenti vel mysterii, in omni tempore, et omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, hoc est, debitae pietatis affectu, agere, contrectare, et sumere sibi in salutem, omnibus in promptu est, quibus dicitur: *vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* (I. Pet. II. 9). Sacramentum, sicut accipit ad vitam dignus, sic ad mortem et iudicium suum indignus. Rem vero Sacramenti nemo percipit nisi dignus et idoneus. Sacramentum sine re Sacramenti, sumenti mors est; res vero Sacramenti, etiam praeter Sacramentum sumenti, vita aeterna est. Si autem vis, et vere vis, omnibus horis tam diei, quam noctis, hoc tibi in cella tua praesto est. Quoties in commemorationem eius qui pro te passus est, hoc facto eius, pie ac fideliter fueris affectus, corpus manducas, et sanguinem bibis« [1]). Hoc autem non fit, sine magno animae emolumento, quotiescunque fit. Hinc Christus Dominus, in raptu quodam dixit B. M. Magdalenae de Pazzis: »Dico tibi, si qualibet feria sexta attendes horae, qua exspiravi in cruce, continuo recipies particulares gratias a Spiritu, quem reddidi Patri aeterno: et quamvis illum non senties, nihilominus

[1]) Est *Guigonis* epist. ad fratr. de monte Dei l. I. c. X. n. 30 (P. l. CLXXXIV. 327).

«semper requiescet in te [1]). Talis affectus erga Pas-«sionem Christi valde vigebat in nostro Patre Bal-«thasare Alvarez, qui in causa fuit, «ut eius medi-«tationum materia ordinaria, Christi esset Passio, «eamque aliis orationi vacare incipientibus com-«mendaret; et in ordinariis suis exhortationibus hoc «frequenter repeteret: «Non existimemus nos aliquid ««fecisse, donec eo perveniamus, ut semper Christum ««ipsum crucifixum in corde nostro gestemus»» [2]).

Hoc antiquus ille et sanctus Pater, Theodorus Studita suis suadebat: «Etsi, inquit, Pascha praeteriit, «nequaquam memoria eius una praetereat; sed salu-«tifera vulnera, crucem, sepulturam, perpetuo sub «oculos revocemus, ut assidua harum usurpatione «rerum, invicti simus vitiis. Sin minus intenti quan-«doque capiamur, e vestigio crucifixum Dominum «Iesum gloriosum suspectemus, statimque animis «nostris medicina orietur. Nam et olim Israelitae «a serpentibus admorsi, serpente aeneo conspecto «sanabantur» [3]). «Ideo tu si sapis, inquit S. Bernar-«dus, imitaberis sponsae prudentiam, atque hunc «myrrhae tam clarum fasciculum de principali tui «pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa «omnia, quae pro te pertulit, semper in memoria «retinens et assidua meditatione revolvens, quo possis «dicere et tu: *Fasciculus Myrrhae dilectus meus*

---

[1]) «3 p. vit. §. 1. die». (Vitae ital. *L. Venturi*, 1716. Luccae: t. II. pag. 100). [2]) Vitae c. III §. 2 circa finem (pag. 36). [3]) Catech. ad discip. ser. I. initio (P. gr. XCIX. 509AB).

«*mihi, inter ubera mea commorabitur*. Et ego, «Fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo «meritorum, quae mihi deesse sciebam, hunc mihi «fasciculum colligere, et inter ubera mea collocare «curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et ama«ritudinibus Domini mei. Primum vero, infantilium «illarum necessitatum, deinde laborum quos pertulit, «in praedicando; fatigationum, in discurrendo; vigi«liarum, in orando; tentationum, in ieiunando, lacri«marum, in compatiendo; insidiarum in colloquendo; «postremo periculorum in falsis fratribus, convitio«rum, sputorum, colaphorum, subsannationum, ex«probrationum et clavorum, horumque similium, «quae in salutem nostri generis, silva Evangelica «copiosissime noscitur pertulisse.... Haec meditari, «dixi sapientiam: in his iustitiae mihi perfectionem «constitui; in his plenitudinem scientiae, in his divi«tias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi «interdum potus salutaris amaritudinis; ex his rur«sum unctio consolationis. Haec me erigunt in ad«versis, in prosperis reprimunt, et inter laeta tristia«que vitae praesentis, via regia incedenti tutum prae«bent utrobique ducatum, hinc inde mala immi«nentia propulsando» [1]). Hinc S. P. N. Ignatius, initio suae conversionis, ordinarie in Missa, quam audiebat, solebat legere Passionem Domini, quemadmodum ipsemet narravit P. Ludovico Consalvo, et is hoc scripsit in eius vita. Excelluit hac in re

[1]) Sermo in Cant. XLIII n. 2, 3, 4, 5 (P. l. CLXXXIII. 994—5).

B. Clara de monte Falco, ob inventa in eius corde impressa Christi Passionis mysteria celebris. Et his modis memoriam Christi patientis in se excitabat: «Mensae accumbens, visa scutella, contemplabatur «Christi vulnera, dicebatque: «alios cibos gustaret «anima mea, si cum sincero affectu accederet ad «tua sanctissima vulnera, o mi Iesu». Poculum aspi«ciens, repraesentabat sibi cor Christi, et exclamabat «toto affectu dicens: «Cum o mi Iesu sitiat cor «meum, alibi sitim extinguere non poterit, nisi in «sacratissimo vulnere lateris tui». Cibum sumens «memor amari fellis dicere solebat: «Non habuisti, «o mi Domine, in cruce cibum alium, quam absyn«thium et fel; et innocentissimum corpus tuum, «non expertum est aliud, quam excessivos dolores». «Extra mensam, dum se eius aspectui lignum aliquod «longum offerret, subito repraesentabatur ei lancea, «quae transfixit latus Christi, et dicebat: «O lancea «crudelis, quomodo ausa es aperire pectus Iesu mei». «Visis arboribus aliisque lignis, imaginabatur crucem «Christi, et dicebat: «O crux amata a Iesu meo, «unita cum Iesu meo». Videns aliquam concavita«tem considerabat vulnus lateris, dicens: «Concavum «et profundum fuit vulnus mei Sponsi, ut anima «mea haberet ibi securum refugium». Lux movebat «eam ad intuendos oculos Christi, unde dicebat: «Oculi mei Iesu lucidiores sole, in cruce sunt clausi «et obscurati». Tenebrae repraesentabant ei tres ho«ras tenebrarum quae fuerunt in toto mundo, Christo «in cruce pendente; et aliquando dicebat: «Tene«brosus fuit mundus, dum meum Bonum penderet

«in cruce, se offerens Patri aeterno, in sacrificium «pro mea salute». Saepe etiam dicere solebat: «O «amor crucis, fac mihi gratiam, ut te inveniam in «corde meo». Hi pii affectus erga Passionem Christi tota vita fuerunt in Beata Clara, sed vehementiores «et diuturniores primis annis; et dum audiret colloquentes de Passione Domini, vel dum eam in Divino officio nominari audiret; sed maxime hebdomada sancta; uti scribit in eius vita Baptista Pergilius [1]). Et hanc quoque Passionis Domini recordationem suis monialibus saepe inculcabat, et meditationem de Christi Domini doloribus; imo idem saecularibus suadebat.

Secundo, dolorem excitando ob illam. Hoc erat exercitium B. V. Mariae; qua de re exstat quaedam revelatio S. Gertrudi facta, in qua narratur colloquium Christi Domini cum B. V. Maria tale: «Dic mihi Domina Mater, quid tibi suavius fuit in «terris, inter illa quae tibi exhibui a corpore exeunti? «quia ista rogat me, ut matri suae» scilicet S. Gertrudi ultimo morbo lethali laboranti «similiter «faciam». Tunc benignissima, misericordissima Virgo «respondit benigne: «In hoc Fili mi, magis delecta«bar, quod tam securum refugium in ulnas tuas «habui». Ad hoc Dominus respondit: «Hoc, Mater «mea, pro eo accepisti, quod toties dolorosis suspi«riis Passionem meam in terris recoluisti» [2]). Sic S. Franciscus, uti scribit S. Bonaventura, «ne-

[1]) «2 part. capite 4». [2]) Insin. div. piet. l. V. c. 2. (pg. 677).

«mora replebat gemitibus, et deplorabat alta voce, «quasi coram se positam Dominicam Passionem» [1]). In hoc actu est diutius manendum: tum, quia valde placet Deo, tum quia quo fuerit maior, eo reliqui erunt efficaciores.

Quod autem valde placeat Deo, dolor ob Christi Passionem conceptus, ut omittam alia, omnibus nota argumenta, etiam hinc apparet, quia revelatum fuit ab Angelis B. Ioannae de Cruce [2]) (ut in eius vita, saepius pluribus linguis impressa, legitur), Divinam maiestatem cum tanto affectu amoris percipere planctum ob Passionem, et illum adeo ei gratum esse sacrificium, ac si spargeretur sanguis, et afflictiones magnae pro eo tolerarentur. Et Christus Dominus dixit B. Veronicae virgini Augustinianae: «Opto «omnes homines satagere, ut corde affligantur ob «Passionis meae venerationem, veluti mihi compa- «tientes: quod si vel sola lacrimula egerint, magnum «aliquid se egisse arbitrentur: nulla etenim lingua «mortalium exploratum efficere potest, quantum iu- «cunditatis mihi, et quantum commodi illi afferat «illa lacrimula» [3]). Et noster Beatus Petrus Faber, ut ait Orlandinus, «existimabat, ut Christo via ad «gloriam, passio fuit — ita Deiparae compassionem «imprimis fuisse, qua Filio patienti indoluit. Et ad «Matris exemplum servire, et ipse tanquam prae- «senti Christo studebat, per dolorum eiusdem sen- «sum, ac virtutum sinceram imitationem» [4]).

---

[1]) Cap. X. n. 143 (Boll. t. L. pg. 769). [2]) «C. 14». [3]) Vitae l. VI. c. IX n. 13 (Boll. t. II. 203). [4]) Lib. II c. 6. paulo post init.

Tertio, gratias agendo pro illa, tum nostris verbis, a nobis excogitatis, modo his, modo illis, tum a Sancta Ecclesia usurpatis, uti sunt illa: «Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum». Et illa: «O magnum pietatis opus, mors mortua tunc est in ligno quando mortua vita fuit». Et illa: «Te summa Deus Trinitas, collaudet omnis spiritus; quos per Crucis mysterium salvas, rege per saecula. Amen».

Quarto, proponendo eius imitationem: qui duo medii actus brevissime fieri possunt. Sicut autem ipsa imitatio Christi Passionis Christo placet, ita et desiderium efficax illius, per quod homo disponitur ad illam. Cum S. Gertrudis petiisset a Christo Domino: «Qualiter, Domine mi, acceptas, quod quidam tanto affectu erga Crucis tuae afficiuntur imaginem»? Dominus respondit: «Gratanter accepto; «sed tamen qui circa meam afficiuntur imaginem, «et Passionis meae exempla per imitationem non «sequuntur, hos respicio, ad similitudinem, sicut «iuvencula a matre sua posset acceptare, quod eam «diversimodo vestibus exornaret, secundum placentiam suam et honorem, nec tamen hoc quod filia «maxime desideraret, perficeret, imo etiam quandoque durius denegaret. Quousque enim mater differt, «quod filia desiderat, cetera sibi impensa minus «acceptat; quia cogitat, quod mater alia ornamenta «pro captu propriae gloriae sibi imponat, et non «ex dulci affectu sui. Similiter omnis affectus, honor et reverentia, imagini crucis meae exhibita, «nunquam mihi plene sapere possunt, interim quod

«homo non studet exempla Passionis meae imi-«tari» [1]).

Quomodo autem imitari posset Passionem Christi, cum eius gustu, sic eam alia vice docuit, cum dixisset ad Dominum: «Eia doce me, o unica spes «et salus animae meae, quomodo tibi pro tua ama-«rissima, mihique saluberrima Passione, saltem ali-«quam possim reddere vicem». Ad quod Dominus: «si quis alienum sensum sequitur, et non suum, «ille mihi captivitatem, qua hora matutinali captus, «ligatus, multisque iniuriis affectus sum pro salute «humana, rependit. Qui vero humiliter culpabilem se «reddit, iudicium, quo hora prima multis falsisque «testibus accusatus, et morti adiudicatus sum, mihi «recompensat. Qui autem sensus suos continet a «delectabilibus, flagella quae sustinui hora tertia «mihi rependit. Et qui subditur discolis praelatis, «spineam coronam mihi alleviat. Qui vero laesus, «primus ad pacem humiliatur, crucis mihi baiula-«tionem restituit. Si quis etiam se supra posse ex-«tendit ad opera caritatis erga proximum, extensio-«nem, qua hora sexta in cruce acriter distentus «sum, mihi rependit. Qui etiam non fugit grava-«men contumeliae, vel tribulationis, ut proximum «retrahat a culpa, mortem meam mihi rependit, «quam pertuli hora nona pro salute humana. Qui «autem conviciatus, humiliter respondet, me quasi «de cruce deponit. Qui vero proximum sibi prae-«fert, reputans ipsum maiori honore vel commodo

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 42 (pg. 285).

«aut alio bono se digniorem, ille sepulturam mihi «rependit» [1]).

Quinto, offerendo Christi Sanguinem, et Patri aeterno, et Christo ipsi, pro peccatis hominum, imo et pro beneficiis acceptis, et pro impetrandis iis, quibus egemus. Caeterum oblatio Sanguinis Christi, seu Passionis et Mortis eius, Patri aeterno et ipsi Christo, ad placandum eum ob peccata mundi, magni est valde valoris, idque ut frequentaret B. Maria Magdalena de Pazzis, ab ipso Deo fuit saepius edocta, dum coram illa Deus conquereretur quod pauci essent in mundo, qui conarentur placare iram eius contra peccatores. Ideoque saepissime in die, offerebat Christi Sanguinem pro variis statibus peccatorum, et ordinarie quotidie quinquagies illum offerebat, uti et pro defunctis. Quod cum tanto ardore animi faciebat, ut saepe ei Deus ostenderit, multarum animarum ab ea hac ratione impetratam fuisse conversionem, et animarum multarum liberationem e purgatorio, uti in eius vita scribitur, Romae impressa [2]).

Porro in altera eiusdem vita, antea Florentiae ab eius confessario edita scribitur, hoc edocta divinitus in quodam raptu exclamans dixisse: Quotiescunque «creatura offert hunc sanguinem quo est redempta, «aeterno Patri, tale donum offert, ut quasi non habeat pretium, quo illud solvat. Hoc donum est tam «magnum, ut Pater aeternus se reputet obligatum «creaturae suae: quia videt, illam sua miseria, cui

[1]) Ins. d. p. l. IV. c. 26 (pg. 516). [2]) «Cap. 101».

«voluit compati bonitas eius infinita, et compatiendo «communicare se illi, fuisse causam, ut ipse suam «communicaret, et perpetuo communicet bonitatem» [1]).

Hoc multo ante docuerat Christus Dominus S. Gertrudem: «Quicunque quantumlibet gravi pondere «peccatorum se senserit depressum, respirare poterit «in spem veniae, offerendo Deo Patri meam inno- «centissimam Passionem et mortem; et credat, se «per hoc saluberrimum fructum indulgentiae obti- «nere: quia nullum tam efficax remedium contra «peccata poterit in terris haberi, quam devota me- «moria meae Passionis, cum vera poenitentia et fide «recta» [2]).

Sexto, meditando mysteria Passionis Christi. Talis meditatio, et valde placet Deo, et nobis valde salutaris est. Cum quadam vice S. Gertrudis, «circa «Passionem dominicam mentem gereret occupatam, «intellexit, quod quando aliquis ruminat orationes «vel lectiones de dominica Passione, in infinitum «hoc maioris virtutis esse, quam de ceteris exerci- «tiis. Quia sicut impossibile est, aliquem tractare «farinam, et inde pulverem nullum contrahere, sic «esse non potest, ut aliquis cum devotione, etiam «parva, dominicae intendat Passioni, et nullum fruc- «tum inde percipiat. Et etiam cum quis legit aliqua «de Passione, ad minus habilitat animam ad susci- «piendum fructum in tantum, quod magis fructuosa «est intentio talis hominis, qui frequentat memoriam

---

[1]) «3. p. §. quinta nox. pag. 27». [2]) Ins. div. piet. l. IV. c. 25 (pg. 505—6).

«Passionis Christi, quam plures intentiones alterius «rei, cui nulla cura est de dominica Passione» [1]).

«Quod me plus omnibus accendit, inquit S. Augustinus, urget, movet, et promovet, ad te diligendum, super omnia (inquam) amabilem te mihi reddit, «o bone Iesu, ignominiosissima et amara mors est, «quam sustinuisti, opus redemptionis nostrae. Hoc «solum, vel hoc omnino, totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, «amorem denique nostrum, facile sibi vendicat, to«tum hoc (inquam) est, quod devotionem nostram «et excitat melius, et quaerit suavius, et auget am«plius». Imo et nostra curat vitia. «Quid tam «efficax, inquit S. Bernardus, ad curanda conscientiae «vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam «Christi vulnerum sedula meditatio?» [2]). Maiorem adhuc fructum ex Christi Passionis meditatione provenire docet S. Bonaventura... «qui se intente et «devote in sanctissima vita, et passione Domini «exercet, omnia utilia et necessaria sibi abundanter «ibi invenit, nec opus est, ut extra Iesum aliquid quaerat» [3]). Praesertim auxilium in tentationibus et et certaminibus nostris. «O pugnatores, monet B. «Laurentius Iustinianus, ostia haec intueamini dili«gentissime, lateris, manuum, pedumque fixuras videte «Redemptoris; apertae sunt, introire ne timeatis, «intus est latitudo immensa, deliciae inaestimabiles, «odoramenta per quae omnes interiores animae sen-

---

[1]) Ins. d. p. l. III. c. 41 (pg. 283). [2]) Ser. in Cant. LXII. n. 7. (P. l. CLXXXIII. 1079). [3]) Coll. VII.

«sus reparantur, et pacatissima quies. Experimini, «videte, gustate, quam suave est, quam iucundum «quamve tutum commorari in latere Salvatoris. Cum «infesti sunt adversarii, cum illis impares vestras «senseritis vires, cum titubare, formidare et ipsorum «suggestionibus inclinare coeperitis, sine mora ad «praesidia currite Verbi, ad petrae foramina, ad vul«nera Redemptoris. Consuevit siquidem fortiter pie«que protegere accedentes ad se. Non autem cor«poris gressibus, sed animae affectibus, sed sedula «meditatione, sed intentione recta, sed corde pio, «in eadem ingrediendum est. Si attenta mente et «humili devotione cogitaveritis, quanta in carne dum «viveret Salvator sustinuit fatigationes, peregrina«tiones, persecutiones, flagella, convitia, sputa, oppro«bria, contumelias, et millia huiusmodi — in pedum «foraminae intrastis. Si autem donatas sanitates, mor«tuorum resurrectiones, documenta coelestia, et spi«ritus charismata: si quomodo condidit vos, quae«sivit vos, elegit vos, quotidianis beneficiis fovet «vos et innumeris donis sine temporis intervallo «reficit vos, vigilanti meditatione pertractaveritis — «in manuum vulnera procul dubio ingressi estis. Sed «si caritatem ipsius ignotam, latitudinem dilectionis, «sapientiam praeclarissimam, thesauros divinitatis, «affluentiam donorum Sponsi, unionem utriusque na«turae; tunc exultate, et laetamini, quia lateris ar«cana penetrastis. Munitissima sunt praesidia haec, «et inimicis inaccessibilia. Ibi reparantur vires, re«calescit animus, reviviscit spiritus, renovatur mens, «redintegratur quod dissipatum fuerat, quod amissum,

«quod debilitatum, quod fuerat periturum» [1]). Et infra, commendans considerationem dominicae Passionis, haec subdit: «Prae omnibus Incarnati Verbi «Passio, in exemplum proponenda est. Haec siquidem roborat debiles, fovet pusillanimes, excitat «pigros, nutrit parvulos, cernentes provocat, accendit perfectos. Huius consideratio tanquam myrrhae «fasciculus inter ubera mentis commoretur, ut quoties adversa premunt, tentamenta gravant, vires «animi in Crucifixi speculo reparentur. Cuius enim «saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? quis pati renuet patiente Domino? Crucifixus siquidem reliquit exemplum, ut sequamur ipsius vestigia. Proinde nullus a doloribus Christi debet fieri «alienus, nemo extraneus sit communione Sponsi, «si gaudii illius cupit esse gustator. Praecessit gigas «ingens, et Passionis subiit certamen, ut ceteri ei «militantes similia sustinere non paveant. Verecundum quippe est, ut irrumpente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentur. Non est «abiectum in servo, quod praecessit in Domino. «Dolorem servi, dolor lenit Domini. Passio passione «vincitur, et cruciatus cruciatibus superatur. *Aspicientes igitur in Auctorem fidei et Consummatorem Iesum*, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: *nam et ipse proposito sibi «gaudio crucem sustinuit, confusione contempta* «(Hebr. XII. 2). Habemus autem in illo exemplum,

[1]) De casto connub. c. VIII (pg. 189 II. t. I).

«habemus et adiutorium ab eodem. In ipso instrui-«mur, et ab ipso provehimur [1]).

Ideo merito S. Franciscus suis fratribus commendabat diligenter, meditationem Passionis Christi; qua de re, ut se et fratres suos redderet certiores, petiit a Domino, sibi ut revelaret, quo obsequio, tam ipse, quam eius fratres, ei maxime placere possent; et accepta divina inspiratione, surgens ab oratione, accepit Missale, signo crucis illud benedicit, Deumque orat, ut per apertionem Missalis ostendat id, quo ei maxime servire possit. Et statim aperto Missali, in Passionem Christi incidit, quod iterum ac tertio faciens, similiter Passionem invenit [2]). Sane B. Albertus Magnus asserit, simplicem Christi Passionis memoriam et meditationem, plus utilitatis homini adferre, quam si anno integro in pane et aqua ieiunaret, ac flagellis se quotidie usque ad sanguinem caederet, et psalterium totum quotidie recitaret. Cur? Respondet P. Ludovicus de Ponte hoc dictum B. Alberti citans atque probans: «Quia praedicta «opera, etsi bona et valde utilia, si nude exerceant-«tur, non habent tantam vim ad purificandum cor «a suis vitiis, illudque veritatibus ac virtutibus illu-«strandum, et inflammatis divini amoris affectibus «perficiendum, atque attenta et profunda Christi Do-«mini nostri Passionis meditatio, quae omnia haec «efficit, additque etiam spiritum et vitam poeniten-

---

[1]) De cas. conn. c. VIII (pg. 190 I. t. II). [2]) *S. Bonav.* Vitae c. XIII. n. 190 (Boll. t. L. pg. 777); et Chron. fran. parte I. lib. I. c. 88 (edit. Cimarelli).

«tiis ipsis, et operibus externis, permovendo efficaciter ad ferventem eorumdem exercitationem» [1]). Ideo Christus Dominus suam dilectam amatricem S. M. Magdalenam hac in re, tota vita occupari voluit. Nam, ut scribit Sylvester in «Rosa aurea» [2]), S. M. Magdalena cuidam Dominicano, viro sancto revelavit, se, dum se in eremum poenitentiae causa recepisset, a Domino petiisse, eam ut doceret, qua in re ibi se maxime occupare deberet, et ab Archangelo Michaele ad se misso, cum cruce pulcherrima in manu, eaque ad portam antri eius posita, didicisse, eam ut semper ante oculos haberet, semperque revolveret Christi Passionem: quo in exercitio per triginta duos annos mansit. Sic et S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, cum adhuc puerulus Christum puerum vidisset, legissetque in eius fronte titulum crucis eius: IESUS NAZARENUS REX IUDAEORUM; «ab eo tempore, nocte et die «studuit Passionem Christi animo versare, in eaque «meditanda medullitus delectari» [3]). Et quidem, uti suadebant alii Sancti [4]), ordinarie haec esse debet meditationis materia, vel saltem frequentissima, «nisi forte, ut monet B. Laurentius Iustinianus, «ex supervenienti novo gratiae lumine, aut ex abun-

---

[1]) Medit. par. IV. Introd. ante §. 1. [2]) «S. de S. Magd.». [3]) *Surius,* Vitae c. III. die 16. Nov. (pg. 407. t. VI). [4]) *S. Bernardus,* Serm. in Cant. LXII. n. 7 (P. l. CLXXXIII. 1079B); Epist. ad fr. de mon. Dei l. I. c. X. n. 30 (P. l. CLXXXIV. 327A); pro Dom. I Novembris ser. I. n. 2 (P. l. CLXXXIII. 345D); *S. Thom.* II.II^{ae} q. LXXXII. a. 3. ad. 2.

«dantiori caritatis affectu, cor ad alia meditanda «raperetur. Nam huiusmodi infusionibus» (quando certo apparent esse a Deo) «nunquam resistendum est. Quidquid enim tunc cogitatur vel cogitandum proponitur boni, intermittendum est, et ad tempus seponendum, ac sic tota spiritus alacritate, «coelesti immissioni subdendum est cor, atque prout «gratia communicaverit, obedire non renuat. Repugnare autem, et vocanti Deo nolle humiliter acquiescere, nihil est aliud quam fluenta gratiae desiccare «et ad sui praeiudicium, aditum internarum devotionum obstruere. Ideo Paulus dicebat: *Spiritum nolite extinguere.* (Thess. V. 19). Et: «*Cum Spiritus potestatem habens irruerit super te, da ei «locum* [Eccle. X. 4]. [1]).

Porro inter alios modos recolendae Passionis Christi Domini, pulcherrimus est ille quoque, datus ab ipso S. Gertrudi. «Cum enim dixisset ad Dominum: «eia nunc Domine, doce me, qualiter possim «tibi laudabiliter Passionem tuam venerandam per«colere», respondit Dominus.... «Ut scilicet frequentius «mente revolvas, cum gratitudine et compassione, «anxietatem illam, qua ego Creator tuus et Domi«nus, in agonia constitutus, prolixius oravi, et prae «nimia vehementia anxietatis, desiderii et amoris, «sanguineo sudore faciem terrae irrigavi, et omnia ««opera tua omniaque circa te agenda, mihi commen«des in unione subiectionis illius, qua ego eadem

[1]) De disc. et perf. mon. conv. c. XVIII. post medium (pg. 145 I. t. II).

«ratione dixi ad Patrem: Pater, non mea, sed tua «voluntas fiat: et sic omnia prospera et adversa «suscipias in illo amore, quo ego tibi omnia illa «mitto, ad salutem. Prospera ergo suscipias cum gra- «titudine, in unione illius amoris, quo ego amator «tuus, fragilitati tuae condescendens, ea tibi pro- «euro, ut per ea discas aeternam prosperitatem co- «gitando sperare. Adversa vero suscipias, in unione «illius amoris, quo ex affectu paternae fidelitatis, ea «tibi immitto, ad praeparandum tibi pro his aeter- «num bonum» [1]). Quocirca uti monet S. Bernardus: «sit tibi Iesus semper in corde, et nunquam imago «Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus «et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum, et «desiderium tuum, lectio tua, et meditatio tua, ora- «tio et contemplatio tua, vita, mors, et resurrectio «tua» [2]). Quantopere etiam placeat Christo Domino devotio erga Passionem eius, et compassio ac imitatio Passionis illius, sic docuit ipsemet B. Angelam de Fulginio: audivit enim a Christo Domino crucifixo has benedictiones super devotis ad suam Passionem, et super imitantibus ipsam, et super sibi compatientibus, ingeminantem et dicentem: «Benedicti vos a Patre meo, qui mihi com- «passi, et mecum similiter contribulati, et viam meam «secuti, stolas vestras in meo sanguine lavare me- «ruistis. Benedicti qui mihi pro vobis crucifixo, et «immensis doloribus afflicto, ut ab immensis et aeter-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 22 (pg. 488—9).
[2]) Forma honestae vitae n. 2 (CLXXXIV. 1167).

«nis poenis pro vobis satisfacerem et vos redime-«rem, mihi compati, et mecum paupertatem, dolo-«rem et despectum pro vobis ipsis compatiendo, «digni inventi estis. Benedicti qui meae Passionis, «quae est miraculum omnium saeculorum, salus et «vita perditorum, solum refugium peccatorum, me-«mores et devoti et compatientes eritis, quoniam «vere et regni, et gloriae, et resurrectionis, quae «per ipsam acquisivi, eritis participes mecum, et «cohaeredes in saecula saeculorum. Benedicti vos a «Patre meo, et Spiritu Sancto, et vere benedicti be-«nedictione, quam dabo in extremo iudicio, quia «me in mea propria venientem, sicut mei persecu-«tores non repulistis, sed me desolatum in cordis «hospitio per compassionem, hospitem recipere vo-«luistis: qui mihi in cruce nudo existenti, fames-«centi, sitienti, infirmo, clavis affixo, et morienti, «compati, et consocii mei esse voluistis; in hoc vere «opera misericordiae complevistis. Ideo audietis in «illa terribili hora: *Venite benedicti Patris mei, «percipite regnum.... Esurivi enim* in cruce, et «saltem per compassionem *dedistis mihi mandu-«care*.... O vos vere beati, et omnino benedicti! «Et si in cruce pro meis crucifixoribus et tortori-«bus cum lacrimis et fletu rogavi Patrem meum, et «excusavi dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt «quid faciunt;* quid pro vobis, qui mihi compassi, «devoti, et consocii fuistis, dicturus sum, cum non «in cruce, sed in gloria felicissimus, orbem iudicabo»? [1]).

---

[1]) Vitae cap. VI. n. 102 (Boll. t. I. pag. 202).

Ad hoc caput referendus, pius aspectus sacrarum imaginum, Christi patientis mysteria repraesentantium. Nominatim autem, visa Christi crucifixi imagine, iuxta instructionem, ab eo datam S. Gertrudi, sic honorari potes: «Cum homo dirigit se ad cru«cifixum, aestimet in corde suo Dominum Iesum «blanda sibi voce dicentem: «Ecce quomodo causa tui «amoris, pependi in cruce, nudus et despectus, et ««toto corpore vulneratus, nec non per singula mem««bra distentus. Et iam tali dulcore caritatis affici««tur cor meum erga te, quod, si saluti tuae expe««diret, et aliter salvari non posses, iam pro te solo ««vellem omnia tolerare, quae unquam aestimare ««posses me tolerasse pro toto mundo». Unde per «talem meditationem, excitet homo cor suum ad gra«titudinem» [1]). Cum B. Angela de Fulginio «quaereret «a Deo, quid posset facere, per quod ei plus pla«ceret, ipse pro sua pietate, apparuit pluries dor«mienti et vigilanti, crucifixus in cruce, et dicebat «ei ut respiceret in plagas suas, et mirabili modo «ostendebat ei, quomodo omnia sustinuerat pro illa: «et dicebat ei: «Quid ergo potes facere pro me quod suf««ficiat?»» [2]). Et alia vice Christus Dominus crucifixus ei apparens dixit: «Quicunque vult invenire gratiam, «non levet oculos a cruce, sive concedam, sive per«mittam eum in tristitia vel laetitia esse vel vivere [3]).

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 41 (pg. 282—3). [2]) Ita scriptum est in eius Vita c. 1. num. 23. edita ab accuratissimo scriptore nostro R. P. Ioanne Bollando, alias c. 10. Passu 10. antiq. edit. [Nota auct.] (Boll. t. I. pag. 189). [3]) Cap. VI. n. 109. (Ibid. p. 204).

CAPUT VII.

De Dolore ac Detestatione Peccatorum.

Alterum genus affectuum, qui cum gustu Dei frequentari potest et nostro fructu, est dolor de peccatis propriis et alienis. Qui etsi omnibus necessarius est, magis tamen religiosis, quia status eorum «est status poenitentiae», ut docet S. Thomas [1]). Ideo S. Ioannes Climacus monachum appellat, «iu«gem excessum mentis, ac moerorem vitae»: prae«sertim ob peccata propria et aliena, quorum «me«moriam perpetuam, ait, esse humilitatis opificem» [2]).

Et quidem de propriis, magis esse nobis curae debet, qui nobis ex recto caritatis ordine prius quam aliis succurrere debemus. Nam, ut ait S. Chrysostomus, «in peccatis, si doleamus, et contristemur, «peccati magnitudinem minuimus, et quod erat ma«gnum, reddimus parvum: saepe vero et funditus «ipsum delemus» [3]). Alteram huius fletus utilitatem adfert S. Basilius, ponderans illa verba, *Convertisti planctum meum in gaudium mihi* [4]): «non cuilibet «animae gaudium a Deo ingignitur, sed ei, quae «peccatum suum vehementi luctu et assidua lamen«tatione ploraverit; veluti si seipsum mortuum lu«geat; qui sane fletus postremo in gaudium rever-

---

[1]) Quodl. III. a. 13 ⊙; et Opusc. de perf. vitae spir. c. XI post. med. [2]) Scala pard. grad. XXIII inter medium et finem (P. gr. LXXXVIII. 970AB). [3]) Ad pop. hom. VII. n. 1. initio (P. gr. XLIX. 91). [4]) Ps. XXIX. 12.

«titur» [1]). Tertiam huius luctus utilitatem commemorat S. Chrysostomus: «Peccata nostra in memo-«ria retinere debemus (et deflere); non enim solum «illa, istiusmodi extinguimus, sed fit, ut inde adver-«sus omnes homines mitiores efficiamur, et Deo cum «maiore benevolentia inserviamus, ineffabilem eius «humanitatem ex istiusmodi memoria perspicientes» [2]).

Sed si quis divinitus certo sciret sibi esse remissa peccata, deberet ne etiam illa post hanc a Deo immediate acceptam notitiam deflere? Respondeo: deberet. «Oportet, inquit S. Chrysostomus, «recordari nos priora delicta, etiam ea, pro quibus «veniam consecuti sumus: ut intuentes, quod ingen-«tem molem debiti nobis remisit Deus, et amplius «eum diligere possimus, et verecundiam pudorem-«que concipere, atque ex his corde compungi, con-«siderantes quod nisi miseratio illius nobis subve-«nisset, tantum illud pondus peccatorum sine dubio «in imis nos inferni suppliciis pressisset» [3]). Sane David, Deo per prophetam Nathan revelante [4]), agnovit sua omnia sibi esse dimissa peccata, tamen, ut observavit S. Chrysostomus, «poenitentiam exhibuit, «ita dicens: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, «lacrimis meis stratum meum rigabo* (Ps. VI. 7). «Et olim patratum peccatum post tot annos, post «tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat» [5]).

---

[1]) Hom. in ps. XXIX. n. 7 (P. g. XXIX. 322A). [2]) Hom. de 10 mill. tal. n. 7 (P. g. LI. 27). [3]) De comp. l. II. n. 6 in fin. [quoad sens.] (P. g. XLVII. 421). [4]) II. Reg. XII. 13. [5]) Hom. ad pop. XLI (pg. 260 II A. ed. Paris. 1581).

«Sic etiam, ut idem notat, Paulum Apostolum vi-«demus ea, quae iam abolita fuerant et deleta, ad-«ducere tamen in medium. Et cum culpam de prae-«sentibus non haberet, tamen quoniam recordationes «peccatorum et luctum gemitumque sciebat animae «prodesse, etiam illa commemorabat quae per igno-«rantiam commissa, gratia baptismi, et confessio «fidei aboleverat» [1]). Hoc insinuat talibus Spiritus Sanctus: *De propitiato peccato noli esse sine metu:* [2]) quia potest is cui remissa sunt peccata, metuere relapsum, quem impedit luctus de praeteritis peccatis, etsi condonatis.

Hinc magni Sancti perpetuo sua etiam levissima deflebant peccata. «Quanto electus quisque maiori «sanctitate praeeminet, inquit S. Gregorius Papa, tanto «magis de his, sine quibus haec vita non ducitur, «venialibus peccatis dolet» [3]). Sic S. Diadochus: «Anima, «si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiose «restinxerit, etiam valde parva errata, pro gravissi-«mis ducens, lacrimas multas, cum multa gratiarum «actione, Deo offert». Sic faciebat, teste S. Hiero-«nymo, Beata Paula eius discipula: «Ita levia pec-«cata plangebat, ut illam gravissimorum criminum «crederes ream» [4]). Idem faciebat S. Ephraem, uti passim in eius libris lector videre potest.

Tamque assiduum et perpetuum voluit esse de

---

[1]) De Compunct. l. II. n. 6. in fine (P. g. XLVII. 421). [2]) Eccli. V. 5. [3]) In Psal. poenit. II. n. 7. (P. l. LXXIX. 562C). [4]) Epist. CVIII. n. 15. ad Eustoch. (P. l. XXII. 891).

peccatis propriis dolorem Lactantius, ut iubeat christianum in sacrificio laudis, nihil aliud precari, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint» [1]).

Estque valde accepta Deo haec peccatorum nostrorum, etiam levium, condita doloris sensu recordatio; quemadmodum scribit S. Udo in vita S. Gerardi Comitis: «Peccata sine quibus humana conditio esse nequit, quae nobis leviora, illi vero videbantur gravia, ita semper prae oculis studebat agnoscere, ut remissionem impietatis cordis non ambigeret a Deo clementer percipere» [2]); hoc est, divinitus agnovit, remissa esse sibi graviora vitae anteactae peccata, ob dolorosam recordationem levium peccatorum suorum. Quod ita Deus Pater declaravit S. Catharinae Senensi: «Valde mihi placet, filia carissima [3]) desiderium volendi portare omnem poenam et laborem, usque ad mortem, in salutem animarum. Unde quo quis plus sustinet, plus demonstrat, quod me amet; et amando me, plus cognoscit ex mea veritate; et quanto plus cognoscit, plus sentit poenam, et dolorem intolerabilem ex offensa mei. Tu petebas sustinere et punire defectus alienos supra te, et tu non advertebas, quod tunc peteres (id petendo) amorem, lumen, et cognitionem veritatis; siquidem iam tibi

[1]) Div. instit. l. VI. c. 25. (P. l. VI. 731). [2]) «L. 2. c. 16». [3]) Ex italico interpretor: nam latina versio quae circumfertur, in plurimis, et pene quavis pagina, discrepat aliquantulum a Dialogis S. Catharinae, prout ab ea compositi, et in raptu italice dictati suo amanuensi fuerunt. (Nota auct.).

«dixi, quod quanto maior est amor, tantum crescit «dolor et poena: unde cui crescit amor, crescit «et dolor»[1]).

Ostendit hoc ipsum alteri magnae Sanctae Deus in raptu, B. M. Magdalenae de Pazzis, ut scribit Puccinus eius confessarius: quae considerans illa Evangelii verba: *Exiit sanguis et aqua*, «vidit «magnam multitudinem animarum in latere Iesu, «tanquam splendentes gemmas, quae ornant regiam «coronam, et dicebat ita: «Sic animae nostrae ornatae ««sanguine (abellitae, italice, id est, pulchrae factae), ««fiunt corona Verbi, per manifestationem, quam ««faciunt Verbi coram aliis creaturis, et ille non mi- ««nus gloriatur, quam rex de propria corona regali». «Vidit animas quae intrant hanc cavernam amoro- «sam, facere duos affectus: *Primo*, transformant se «per amorem in sanguine, postea in aqua per do- «lorem. Sed Deus complacet sibi plus in anima via- «trice, quae se transformat per dolorem, quam in «illa quae per amorem; «quamvis ego sciam, o Ver- ««bum, quod dolor, quem sentit anima ex offensis ««tuis, non potest nasci, nisi ex amore, quem habet ««erga te, qui absolute est perfectior dolore». Et per «viam doloris, adhuc plus exercetur anima in amore «proximi, regnando vivacius in ea zelus salutis. Ad- «huc ei placet in his viatoribus magis exercitium «doloris quam amoris, quia illud est species martyrii, «quo animae fiunt similes ei in cruce pendenti, et «dolore suo possunt compati eius magnis poenis,

[1]) Dial. c. V. initio.

«et flere amoris lacrimis eius Passionem. Et cum «dolor sit afflictivus, purgat animam ab eius culpis. «Amor est delectabilior; sed cum simus in hoc «mundo ut purgemur, est magis tempus dolendi et «patiendi pro amore Dei nostri, Deus sibi magis «complacet de dolore, quam de amore». Eadem post communionem didicit a Domino, «ut instar turturis «gemeret, eique compateretur, quod tam parum sit «cognitus et amatus a creaturis» [1]). Et, ut idem scribit de hac Sancta, «eo quod illa, octo circiter annos «nata, ob audita verba quaedam iniuriosa contra «proximum cum Dei offensa, totam noctem insom«nem, ob hanc causam flens traduxisset, post annos «circiter sexdecim, divinitus intellexit, ob hunc «actum doloris de peccato alieno Deique offensa, «in coelo praeparatum sibi esse vestitum rubrum «flammeum» [2]).

Hinc S. Franciscus, ut auctor est S. Bonaventura, «nemora replebat gemitibus, loca spargebat «lacrimis, pectora manu tundebat, et quasi occultius «secretarium nactus, confabulabatur cum Domino «suo. Ibi respondebat Iudici; ibi quoque a fratri«bus ipsum pie observantibus, aliquoties auditus «clamosis gemitibus apud Divinam clementiam pro «peccatis interpellare» [3]). Et, ut idem de illo alibi scribit, «cum cerneret animas Christi Iesu sanguine «pretioso redemptas inquinari aliqua sorde peccati, «tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas

[1]) «4. p. vit. cap. 29». [2]) «Cap. quinto Vitae». [3]) Vitae c. X. n. 143. (Bollan. t. L. pg. 769).

«tanquam mater in Christo quotidie parturiret» [1]). Qua de re bene ait B. Laurentius Iustinianus: «Non «potest non dolere de alienis, qui veraciter plangit «sua peccata. Sanum membrum in corpore positum, «si languentibus ceteris non auxilietur, nonne super- «vacue locum suum occupat? sic et fideles quique «in Ecclesiae corpore constituti, si peccantes fratres «agnoscant, otiose vivunt, si non flendo aut com- «patiendo de delinquentium perditione non doleant... «Sic Mediator noster, super perituram civitatem la- «crimatus est, quae eo magis plangenda erat, quo «se minime flebilem agnoscebat. Quotquot igitur «caritatis succensi sunt face, proximorum tanquam «propria deflent scelera. Nemo tamen digne plangit «aliena qui voluntarie delinquendo negligit sua. De- «sinat peccare ex proposito, qui erratibus vult condo- «lere alienis. Nullus, quamvis sanctus, quamvis per- «fectus et iustus, propria cesset flere delicta, tametsi «cum dolore maximo ac compassionis ardore plan- «gat aliena» [2]). Et S. Augustinus: «Gemimus ple- «rumque in peccatis fratrum nostrorum, et vim pa- «timur, et torquemur animo». Quem morem etiam Moyses habuit, et ob eum ait S. Chrysostomus «illum fuisse evectum a Deo ad thronum publici «dominatus». Hinc S. Chrysostomus inquit: «Qui «pro alienis peccatis dolet, apostolica prae se fert «viscera, et beatum illum imitatur, dicentem: *Quis «infirmatur, et ego non infirmor? quis offenditur,*

[1]) Vitae c. VIII. n. 102. (Boll. pg. 763). [2]) Fasc. amor. c. XIV. (pg. 317 II., 318 I. t. I.).

»*et ego non uror?* [II. Cor. XI. 29]«[1]). »Quis non irascatur, inquit S. Augustinus, videns homines saeculo verbis et non factis renuntiantes? Quis est, qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus, fidem non servantes osculo, quod infigunt Sacramentis Dei? Et quis enumeret omnia, quibus irascitur corpus Christi, quod intus vivit, in Spiritu Christi, quod gemit tanquam granum inter paleas? Vix enim apparent isti qui sic gemunt, qui sic irascuntur« (vitiis aliorum, non personis), »quomodo vix apparent grana quando area trituratur... In his ergo non apparentibus et gementibus irascitur qui dicit alio loco: *zelus domus tuae comedit me* (Ps. LXVIII. 10). Dicit et alibi (quandoquidem videt multos malefacientes): *taedium detinuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (Ps. CXVIII. 53). Dicit et alio loco: *Vidi insensatos, et tabescebam* [Ps. CXVIII. 158]«[2]). »Vis scire pium luctum Sactorum«? inquit S. Chromatius Aquileiensis Episcopus, [appellatus a S. Hieronymo, sanctissimus et doctissimus[3])], »audi dictum de Samuele Propheta, quia usque ad diem mortis eius, luxerit regem Saulem« (I. Reg. XV. 35). Hieremias quoque cum populi peccata fleret, ita ait: *Ut flumina aquarum transierunt oculi mei, super contritionem plebis meae* (Thre. III. 48). Et iterum: *Quis dabit capiti meo*

---

[1]) Hom.: »Quales duc. uxor.« n. 1. post medium (P. gr. LI. 226). [2]) Enarr. in ps. XXX. conc. II. n. 3. (P. l. XXXVI. 240—1). [3]) Contra Ruf. l. II. n. 27 initio (P. l. XXIII. 471).

«*aquam, et oculis meis fontem lacrimarum? et* «*plorabo hanc plebem die ac nocte* (Ier. IX. 1). Da-«niel etiam gravi luctu pro populi peccatis afficitur, «secundum quae ipse testatur dicens: *Et eram* «inquit, *lugens tribus hebdomadis dierum, panem* «*non manducans et vinum non bibens* (Dan. X. 23). «Sanctus quoque Apostolus quosdam Corinthio-«rum luctu simili deflet, dicendo: *Et veniam ad* «*vos, ut lugeam multos ex his, qui ante peccave-*«*runt, et non egerunt poenitentiam in immunditia* «*quam gesserunt, et fornicatione* (II. Cor. XII. 21). «Huiusmodi ergo luctum Dominus perpetui gaudii «consolatione compensat, secundum quod Isaias «retulit, dicens: *Date his qui lugent Sion, glo-*«*riam pro cinere, unctionem laetitiae lugentibus, pro* «*spiritu moestitiae, amictum gloriae*» [Isa. LXI. 3] [1]). Quocirca Deus Pater dixit S. Catharinae Senensi: «Rationabiliter vos electi mei statis in amaro do-«lore cordis, propter offensas, quas iugiter ab ho-«mine recipio, et ex compassione suae damnabilis «ignorantiae cum qua me graviter offendit, in detri-«mentum, immo in damnationem animae suae. Hoc «enim a vobis accepto gratanter, et ita volo vos «agere» [2]). B. Angela de Fulginio ante mortem dans monita suis spiritualibus filiis per modum testamenti, dixit: «Dico vobis, quod plus recepit anima «mea de Deo quando ploravi peccata proximi, quam

---

[1]) Tract. III. in Ev. Matth. n. 3. [alias tr. II. alias conc. II. de 8. beat.] (P. l. XX. 334). [2]) Dial. c. XXVIII. circa finem.

«mea. Et mundus trufat de hoc quod dico, quod »homo posset plorare peccata proximi sicut sua, »vel plus quam sua, quia videtur esse contra na»turam. Sed caritas quae hoc facit, non est de hoc «mundo» [1]). Tales pro aliorum calamitatibus lacrimae, praecipue sacerdotes decent. Ideo monet S. Propheta Ioël: *Plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris* [2]).

Hic de alienis peccatis dolor, etiam in Sancto Ignatio nostro, nondum sacerdote, viguit. Hinc factum est, ut cum Barcinonae literis dans operam, noctu oraret in domo Ioannis Paschalis, splendore coelesti prodeunte e facie, cubiculumque illustrante, elevaretur ad quinque cubitos a terra, et haec verba ingeminaret: »O Domine, cor meum, o dilecte mi, »o si te homines cognoscerent, nunquam peccarent» [3]): uti iurati testes asserunt in processu Barcinonensi et Minoressano [4]). Hunc imitatus primus eius socius B. Petrus Faber, ut est in eius vita, »habebat conti»nentem tristitiam animi, qua tangebatur *pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei*». Plenum enim habebat cor illo Spiritu Davidis, qui dicebat: *Vidi praevaricantes, et tabescebam* [5]). »Haec est persecutio, »inquit, S. Augustinus, quam patiuntur omnes, *qui »volunt in Christo pie vivere* (II. Tim. III. 12), »secundum apostolicam veram mordacemque senten»tiam. Quid enim hic magis persequitur vitam bo-

[1]) Vit. c. XXIII. n. 257. (Boll. t. I. 233). [2]) Ioel. I. 13. [3]) «Vit. Ital. pag. 37»; et Boll. t. XXXIV. 441. (n. 111.) [4]) «Process. pro Canoniz. l. 2. c. 13». [5]) Ps. CXVIII. 158.

«norum, quam vita iniquorum, non cum cogit imi-«tari quod displicet, sed cum cogit dolere quod vi-«det. Quoniam coram pio vivens impie, etsi non «obligat consentientem, cruciat sentientem» [1]).

Porro hi affectus doloris ob aliena peccata, potissimum tunc frequentandi sunt ex Dei dilectione, dum audimus aliquod peccatum mortale commissum ab aliquo, sive in confessione sacramentali, sive extra illam. Ideo B. Clara de Monte Falco, ut scribit in eius vita Baptista Pergilius, «cum au-«diret aliquem in peccato mortali existentem, subito «ad Christum in cruce pendentem conversa, flebat «inconsolabiliter, et e profundo cordis suspirans «dicebat: «Ergone perditum est pro hac anima, ««quidquid pro ea toleravit meus Dominus»? Et non «valens id ferre, prosternebat se in terram, et pro «illius conversione peccatoris orabat» [2]). Deinde dolendi ob aliena peccata, ampla commoditas est et occasio, cum iter facimus, vel domo eximus. Potest autem suppeditare copiosam materiam similium affectuum deplorandus status orbis terrarum, multo maiore ex parte, Dei cognitione carens, et innumuris repletus sceleribus, ob quae, de illo merito etiam nunc dicere possumus, quod olim scripserat S. Bernardus ad Eugenium Papam: «Leva oculos «considerationis tuae, et vide regiones, si non sunt «magis siccae ad ignem, quam albae ad messem? «Quam multae, quas putaveras fruges, diligenter

[1]) Epist. CCXLVIII. [alias 145.] n. 1. (P. l. XXXIII. 1064). [2]) «2. p. c. 4. fin.»

«inspectae, vepres potius apparebunt? Imo ne ve-«pres quidem: annosae, et veternosae arbores sunt, «sed non fructiferae, nisi forte glandium aut sili-«quarum, quas porci manducant» [1]). Asia enim in quatuor amplissimis imperiis, videlicet Turcico, Persico, Tartarico, et Sinensi, caecitate mahumetana, vel ethnica laborat. Et regiones in ea nonnullae, etsi fidem Christi colant, tamen comparatae aliis, sunt instar guttae aquae, oceano collatae, uti bene ponderavit Thomas a Iesu, pius et doctus vir in «Stimulo Missionum».

Africa, olim Christi cultu illustris, et quae inter alia complectitur Barbariam, Numidiam, Libyam, Nigritarum regionem, et magnam Turcici imperii partem versus Aegyptum, et Mauritaniam, item Aethiopiam interiorem, et Presbyteri Ioannis vastissimum imperium, quod inter utrumque tropicum a mari Rubro ad Aethiopicum fere oceanum pertingit, aut mahumetanis, aut ethnicis, aut schismaticorum erroribus scatet maxima ex parte, et Christi fidei adversatur.

America quoque, maiore ex parte fide vera destituitur. Sunt enim plurimae provinciae in orientali et occidentali India, sine Evangelii luce, et quidem provinciae amplae, ultra fretum Magellanicum, in maxima terrae spatia diffusae, ultra Peruanum regnum atque ad utrasque ripas magni fluvii Maragnon, mille circiter leucas longi. Praeterea

[1]) De consid. l. II. c. VI. n. 12. (P. l. CLXXXII. 749B).

campestria quae adiacent novo regno Granatensi, mille sunt circiter leucarum. Ibidem est regio amplissimis Indorum civitatibus celebris, Laguana dicta, maximus idem tractus terrae, quem appellant Floridam, et novus Mexicus, et trecentae insulae, quas vocant Lucaias, quarum aliquae Italiam magnitudine superant, ex quibus tantum duodecim parent regi Hispaniae. Praeter has sunt undecim millia insularum Philippinarum, quarum aliquae tota Hispania sunt maiores, et quarum vix triginta parent Hispanis. Ut nihil dicam de regno Tibeti, et aliis ante annos paucos repertis a Patribus Societatis nostrae.

Europae vero quam magna pars sine Dei cognitione vera vivit. Anglia, Scotia, Suetia, Dania, magna Germaniae, Poloniae, Lithuaniae, Russiae, Sclavoniae pars, vel haeresi vel schismate infecta. Catholica vero regna, ut et reliqua omnia, tot peccatis coinquinata scimus, ut omnem fere laetitiae materiem obscurent, quae ex bonis paucorum operibus percipi possit. Deplorabat sui temporis in Ecclesia statum B. Laurentius Iustinianus, copiosissime describens sanctitatem primitivae Ecclesiae, et postea magnam in deterius mutationem, in tractatu «De «compunctione et Complanctu Christianae perfectio«nis», in quo inter alia haec habet, etiam nostro huic tempori, non meliori, valde convenientia: «Orat «assidue Ecclesia, si quo modo ad praeteritum in «praesenti se possit reformare decorem, quamquam «in sua pene supplicatione deficiat, impossibile ar«bitrans, se posse esse quod fuerat. Nec ab re agno-

«scens propheticum illud in se esse completum: «*Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, «non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* «(Ps. XIII. 3). Declinaverunt prorsus omnes Eccle«siae status... Scelera vigent, nedum in inferioribus, «verum et in mediocribus et sublimioribus membris, «adeo, ut confusa videantur universa, ut a planta «pedis usque ad verticem capitis, in hoc corpore, «spirituali non appareat sanitas. Attende (oro) dili«genter in turbis populorum, et in singularibus ple«bibus, quam rari in eis sint, qui divina mandata «custodiant, Ecclesiae sanctiones servent, contenti «sint propriis, aliena non rapiant. Undique adulte«ria perpetrantur, fiunt stupra, sacrilegia, homicidia, «rapinae, furta, deceptiones, et horum similia. Quid «de his memorem — cum divini nominis reverentia, «sic omnino neglecta esse videatur, ut sanctus existi«metur, qui Deum, Sanctos, caelestemque non blas«phemet Curiam? Superabundant prorsus in ore «hominum mendacia, periuria, iuramenta, detractiones, «vaniloquia, impudicaque verba. Gemit mater Eccle«sia perditionem iustorum, et veluti proprios de«plorat filios [1]). Estquae moeror Ecclesiae vehemens «(pergit paulo inferius) cum tam innumerabilium «filiorum spiritualem deploret interitum, et vix re«periantur, qui condoleant» [2]). Quae omnia esse debent inexhausta materia incredibilis doloris, menti

[1]) In medio (pag. 5. col. II. t. II.). [2]) Ibid. paulo post. med. (pag. 6. col. II.).

Deum sincere amanti, et de eius honore ac gloria sollicitae.

Sed maxime hoc incumbit pastoribus Ecclesiae, contra quos, id omittentes, acerbe invectus est Deus coram S. Catharina Senense: «Ubi est ingens et «affectuosum desiderium circa meum honorem, at«que salutem animarum? ubi est ille dolor atque «cruciatus, quo salubriter affligi debes videndo lu«pum infernalem auferentem atque devorantem ovi«culas meas? Non adest. Quoniam in arcto corde «tuo atque tui similium, amor mei atque proximo«rum tuorum non est, neque etiam capere potest «in eo. Tu solummodo diligis temetipsum et alios. «Tu es ille daemen infernalis, qui devoras eas cum «inordinato amore. Aliud non videtur appetere gula «tua. Et ideo minime curas, quamvis ille daemon «invisibilis eas asportet. Tu ipse daemon visibilis «effectus es, et instrumentum, ut ad inferna descen«dant. Quos vestis atque pinguefacis de substantia «Ecclesiae? Temetipsum et alios diabolicos viros «una tecum, simul et animalia tua: videlicet pul«chros equos, ornatos, quos in stabulo tuo tenes, non «ex necessitate, sed ex curiositate; propter inordina«tas concupiscentias tuas [1]).

Porro praeter peccata gravia quae deploranda sunt, exemplo nostri P. Balthasaris Alvarez, «valde «dolendum est, quod videamus multa templa adeo «vacua hominibus, plateas vero civitatis adeo refer«tas. Et tam paucos esse, qui accedant ad negotia

[1]) Dialog. c. CXXVII. inter med. et init.

«sua apud hunc Dominum peragenda, in hoc Tri-«bunali (SS. Eucharistiae) et Throno, quem habet «in terra manentem: cum huius rei causa nobiscum «manere voluerit» [1]).

Quod si de alienis peccatis dolendum est, multo magis de propriis, vel certe non minus dolor haberi debet. Unde S. Bernardus allatis illis verbis sancti regis Ezechiae: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animae meae.* (Isaj. XXXVIII. 15); «Oportebat, inquit, si fieri posset, revivere me, «ut ita loquar, denuo, qui male vixi, sed quia hoc «non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos «meos in amaritudine animae meae, faciam recogi-«tando, quod reoperando non possum» [2]). Talis autem recogitatio peccatorum intimo animi dolore condita, et corpus et animam peccatoris poenitentis pulchram reddit. Hoc mystice significatum ait S. Gregorius, per res turpissimas, anos et mures, arcae appensas, ex auro factas [3]): «Quia, inquit «dum commissa attentius lugemus, in splendorem «Iustitiae membra deauramus... Membra deauran-«tur, cum corpus terrena et coenosa concupiscen-«tiarum foeditate deforme, in splendorem commu-«tatur aeternae vitae: cum videlicet per sanctae «conversationis pulchritudinem radiat, quod in appe-«titum mundanae delectationis, peccatorum foetore «sordebat» [4]). Quin imo ipsa peccata nostra defleta,

[1]) Vitae c. VI. §. 2. (pg. 76). [2]) De diver. ser. III. n. 6. (P. l. CLXXXIII. 550A). [3]) I. Reg. VI. 5. [4]) In lib. Reg. expos. l. III. c. IV. n. 5. (P. l. LXXIX. 185AB).

quodammodo bene olent in oculis Dei. «Vide, in-«quit S. Chrysostomus, quanta sit misericordia Sal-«vatoris: peccata nostra mali odores sunt, putredo «sunt, tamen si agamus poenitentiam propter pec-«cata, si ploremus peccata nostra putrida, unguen-«tum efficiuntur» [1]).

Hoc ostendit P. Ludovicus de Ponte, Marinae de Escobar Virgini sanctissimae, post mortem apparens anno 1626 die 14. Februarii, cum haec dixit: «Vide misericordiam Dei, quod etsi culpae in «se consideratae, non possunt esse bonae pro ulla «re, tamen Dominus ex infinita sua caritate, occa-«sione illarum, scit animabus facere tam magnum «bonum». Hoc ipsa Marina mortua Vallisoleti [2]), in processu Informativo pro canonizatione P. Ludovici de Ponte, facto auctoritate episcopi Vallisoletani, coacta fuit, (etsi invita, prae modestia et humanitate) iureiurando coram notario Apostolico et testibus narrare. Merito ergo S. Dorotheus scriptum reliquit: «Non est possibile absque cordis com-«punctione malitiam deserere, aut virtutis quidpiam «omnino possidere» [3]).

Non mirum itaque, quod S. Climacus tanti fecerit hunc dolorem, ut scriptum reliquerit, «Moeren-«tium dolorem ac gementium, pluris aestimari quam «lacrymas, puto quod et Deus sic iudicet [4]). Cur? quia ut docet S. Thomas, «per se loquendo et sim-

[1]) In Marc. hom. VI. post modium (pg. 1061. t. II. ed. Paris 1588). [2]) Anno 1633). [3]) Doctr. I. c. IX. (P. gr. LXXXVIII. 1627C). [4]) Scala parad. gr. VII. post initium (P. gr. LXXXVIII. 807A).

«pliciter, potior est dolor interior, quam exterior» [1]). Et talem dolorem Deus Pater, coram S. Catharina Senensi appellavit, «ignitas atque cordiales lacrimas», dixitque, non esse efficaciae minoris, istum fructum ignitarum huiusmodi lacrimarum, quam sit ille lacrimarum oculorum, imo frequenter esse amplioris efficaciae, iuxta mensuram amoris [2]).

Frequens ergo recordatio peccatorum habenda est: «Si tu eius memor sis, inquit S. Chrysostomus: «Deus non erit memor... Fecisti malum? memor «esto, ut Dominus Deus tuus illud obliviscatur» [3]). Et alio in loco: «Nihil ita corrigit peccatum, sicut «perennis memoria: nihil ita segnem facit hominem «ad malum» [4]). Porro mentuendum non est, ne recordatio peccatorum nostrorum, dolorque ob illa conceptus nos moerore obruat vitamque nobis iniucundam reddat. Quia, ut ait S. Ioannes Climacus, «Ipsam compunctionis vim considerans, stupeo, «quonam modo ea, quae luctus et moeror dicitur «gaudium intrinsecus et laetitiam, veluti mel et «favum comesta possideat. Quid igitur ex hoc vo«bis innuitur? Id profecto quod proprie verum et «sincerum donum Dei huiusmodi compunctio est. «Est tunc in anima iucunda voluptas, Deo latenter «moestos et contritos corde consolante. Luctus «quippe certus fixusque dolor est animae peritae

---

[1]) I.II$^{ae.}$ q. XXXV. a. 7. ☉. [2]) Dial. c. LXXXVIII. (pg. 109). [3]) In Ps. L. hom. II. n. 5. (inter Spuria) (P. g. LV. 581). [4]) Ad pop. Ant. hom. XLI. (pag. 259. t. V. ed. Paris 1588).

«praecursor beatissimae tranquillitatis in plerisque «consumens omnem vitiorum silvam» [1]), et simul replens eam admirabili iucunditate. «Electi enim «Dei, inquit S. Gregorius Papa, ut ad Deum per- «veniant, infirmitatis suae incessanter excessus de- «plorant: quia et inde refectionis intimae dulcedi- «nem sentiunt, unde vim suavissimi amoris per la- «crimas emittunt» [2]). Sed et de alienis peccatis dolor ac gemitus et lacrimae sunt causa spiritualis laetitiae. «Idem, inquit S. Basilius, et quia ultroneo «moerore se afficiunt ob peccata proximorum, haud «per id laetitiam exinaniunt suam verius auctiorem «eam et cumulatiorem reddunt, ut qui perfrui me- «rentur Domini sui gaudio, ob lacrimas in gratiam «fratris effusas... Apostolus igitur, ut cum flentibus «et ipsi fleamus permittit (Rom. XII. 15): quod «eiusmodi lacrimae sunt seminium quoddam, quibus «aeternum illud gaudium increscit quotidie et cu- «mulatur» [3]).

Verum notanda sunt quaedam circa hunc dolorem de peccatis. *Primo,* monitum datum a Deo S. Catharinae Senensi: «Noli, inquit, ipsos defectus «in particulari considerare, sed in generali, ne mens «inquinetur sive contaminetur in recordatione parti- «cularium atque turpium peccatorum» [4]). Hoc sensu intelligendus est apud Cassianum Abbas Pinufius

---

[1]) Scala parad. gr. VII. post medium (P. gr. LXXXVIII. 811). [2]) In Psal. poenit. II. n. 8. (P. l. LXXIX. 503A). [3]) Hom. de grat. act. n. 4. (P. gr. XXXI. 226—7). [4]) Dialog. c. LXVI. (pg. 80).

dicens: «Praeteritorum memoriam de industria re-«tractare non oportet: quin imo, etiam si violenter «irrepserit, protinus extrudatur. Multum namque «retrahit mentem a contemplatione puritatis, eius «praecipue qui in solitudine commemoratur, impli-«cans eam sordibus mundi huius, et praefocans «foetore vitiorum. Et paulo post ait, a recordatione «peccatorum, ita resiliendum esse, sicut vir honestus «refugit procacis faeminae et impudicae in publico «amplexus» [1]). Haec doctrina, si ita accipiatur uti verba sonant, valde perniciosa est, et contraria praxi Sanctorum, qui etsi, ordinarie loquendo, non descendant ad recogitanda cum dolore peccata in particulari, tamen in genere, etiam sub certa specie peccatorum, ea deflent, aliqui vero magis defaecatum habentes cor, etiam in particulari eorum reminiscuntur, ut se coram Deo humilient et confundant, sine ullo tamen aut impuritatis sensu, aut contemplationis damno, quin imo, ex eorum recordatione in purissimos et suavissimos rapi solent contemplationis nitidissimae excessus, uti docent Magistri Theologiae misticae, et de se scribit S. Teresia, et id suis faciendum suadet. Et S. Catharina Senensis in orationibus suis in fine Dialogorum positis, expressit, et B. Angela de Fulginio, scriptum in Vita sua de se reliquit. Eo ergo modo, uti supra diximus, explicanda sunt verba Pinufii, iuxta monitum a Deo datum S. Catharinae Senensi.

Secundo, notandum est alterum monitum Dei

[1]) Coll. XX. c. 9. initium (XLIX. 1165).

Patris, ibidem eidem S. Catharinae datum. «Insuper «admoneo ne homines acceptent, sive retineant in se, «considerationem solummodo peccatorum, sive in «generali sive in particulari, sine consideratione at- «que memoria sanguinis et magnitudinis divinae «misericordiae, ne inde veniant in confusionem. «Quia si notitia sui, et consideratio peccatorum, «non condiretur memoria sanguinis atque miseri- «cordiae, permanerent homines in confusione sua. «Et cum ipsa simul et adversario daemone, qui sub «colore contritionis et displicentiae peccatorum, eos «adduxit in eam, ultimo pertingerent ad desperatio- «nem et aeternam damnationem» [1]). Quocirca bene docuerat S. Diadochus: «Nimius dolor, animam in «desperationem et diffidentiam proiicit». Quocirca non tantum desperatio vitanda est, sed etiam mi- nima tristitia, immo omnis moeror, cor constringens, pusillanimitatemque inducens, et defectum spei circa misericordiam Dei. «Abige, monet S. Ioannes Cli- «macus, abs te canem desperationis, qui tibi in summo «luctu, Deum inclementem immitem et implacabilem «fingit et subiicit» [2]).

Tertio, notandum est monitum S. Bernardi, tum aliis, tum tironibus, praesertim scrupulosis ac timi- dis, valde necessarium: «Ad Dominum, inquit, iam «conversos, non nimis cruciet praeteritorum con- «scientia delictorum: sed tantum humiliet vos, sicut

---

[1]) Dialog. c. LXVI. paulo ante med. [2]) Scala parad. grad. VII. in fine (P. gr. LXXXVIII. 817. et 818. a summo).

«et ipsum. *Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, «qui non sum dignus vocari Apostolus, quia per-«secutus sum Ecclesiam Dei* (I Cor. XV. 9). Ita «et nos humiliemur sub potenti manu Dei et fidu-«ciam habeamus, quia et nos misericordiam conse-«cuti sumus [1]). Et alio in loco suadet: Suadeo vo-«bis amicis meis, reflectere interdum pedem a mo-«lestia et anxia recordatione viarum vestrarum, et «evadere in itinera planiora serenioris memoriae «beneficiorum Dei, ut qui in vobis confundimini «ipsius intuitu respiretis... Est quidem necessarius «dolor de peccatis, sed non sit continuus... Inter-«poletur laetiori recordatione divinae benignitatis. «Misceamus absinthio mel, ut salubris amaritudo «salutem dare tunc possit, cum immixto temperata «dulcore bibi poterit» [2]). Deinde sicut omnia alia opera, dixi supra, offerenda esse in unione meritorum Christi, propter Deum pure amatum amore benevolentiae; ita et isti dolores moderati, de Christi Passione et morte, et de nostris ac alienis peccatis, propter idem motivum Divinae Caritatis, in nobis excitari debent.

Quarto notanda est utilis reprehensio quorundam spiritualium virorum, facta a Gersone [3]) cancellario Parisiensi, merito perstringente quosdam sui temporis devotulos, qui ambulantes in mirabilibus su-

---

[1]) In festo SS. Petri et Pauli ser. III. n. 1. (P. l. CLXXXIII. 412D). [2]) In Cantica ser. XI. n. 2. (Ibid. 824D). [3]) Epist. ad fr. Barthol. Cartus. passim.

per se, ita suorum obliviscebantur peccatorum, ut id solum tironibus et recens conversis relinquerent, se autem S. Paulo adiungebant, quasi in tertium volentes coelum ascendere, et nihil aliud crepabant, quam theologiae mysticae *anagogias, deificationes, in Deum raptus, extases, coniunctiones cum summo bono absque interventu medii, submersiones in abyssali profundo divinitatis amores annichilantes*, sic enim loquebantur, despicientes rerum divinarum considerationem per discursus pios et similitudines adiutam, a daemone rege superbiae, vel a proprio cerebro temeritate et praesumptione pleno, decepti. Et utinam etiam hoc nostrum saeculum, hoc spiritu imbutis careat.

Porro pro solatio eorum qui aliena peccata et sua deflent, adiungam hoc loco doctrinam a Deo Patre traditam S. Catharinae Senensi: «Hic est ultimus ille status, in quo consistit anima, beata simul et dolorosa. Beata quidem est, ex unione quam in me fecit per sensum, amorem gustando divinum. Dolorosa vero consistit ex offensionibus quas contra me fieri conspicit, quae sum aeterna bonitas, quam vidit et gustavit in cognitione sui atque mei. Nec impeditur ex hoc ille status unitimus, qui magnae dulcedinis lacrimas effundit, ex agnitione suimet in caritate proximi: ubi gemitum invenit amoris ex divina misericordia mea: et amaritudinem ex offensa proximorum, flendo cum flentibus, et gaudendo cum gaudentibus. Hi namque sunt viventes in caritate, de quibus anima laetatur, attendens a servis meis exhiberi nomini meo

«gloriam et laudem [1]). Et alias et dixit: Poena non »affligens, quia vera dilectio cum forti patientia oc»cidit omnem timorem, et amorem proprium unde »poena provenit. Sed haec est poena solum ex »offensa mihi facta et detrimento proximi, fundatur «in caritate sincerissima, pinguefaciens animam. Ita»que gaudet et in se laetatur, quia signum est aperte «demonstrativum, esse me per gratiam singularem «in anima» [2]).

Cum hoc dolore de peccatis alienis, coniungenda est ardens oratio pro conversione peccatorum, et diu continuanda, ut prosit. Qua de re infra agetur (c. X.).

CAPUT VIII.

De Renovatione Votorum.

Tertium genus affectuum esse potest iterata, sed fervens, renovatio votorum Religiosorum, vel aliorum, valde Deo et Sanctis accepta. Quod ita intellexit divinitus in quodam raptu Beata Maria Magdalena de Pazzis, uti scribitur [3]) in vita eius. «Quoties renovantur promissiones factae Deo fit «quaedam renovatio unionis cum Deo, et acquirit «anima dilecta unionem plus vel minus, secundum «caritatem quam habet in se. Et haec renovatio, «facta ab anima interius, est solatium SS. Trinitati,

[1]) Dial. c. LXXXIX. in med. [2]) Ibid. c. XCV. ipse finis. [3]) «C. 118».

«quoniam est renovatio complacentiae internae, quam «habet anima in se ipsa, et de se ipsa, cum tali «oblatione facta Deo, revocando semper primam «delectationem primae oblationis, cum nova com- «placentia, et nova delectatione. Et Mariae est tanto- «pere grata, quantum si ipsa renovaret votum puri- «tatis. Et est gloria Angelorum, quia vident adim- «pleri illas inspirationes, quae ab illis subministran- «tur. Est etiam exultatio Sanctis, quia vident suum «Creatorem habere sequaces per ipsorum vestigia. «Est solatium Choro Virginum, quae revocant can- «tum novum, videntes augeri illud, quod tanto cum «affectu exercuerunt. Praeterea illis accrescit gloria, «quia quoties fit haec renovatio, celebratur, ut ita «dicam, festum illarum. Et anima acquirit maximum «fructum: Siquidem in illa augentur gratiae, forti- «ficantur promissiones factae, nascitur in illa nova «pax et unio, cuius pacis fructus apparet in con- «versatione et operibus. O quantae dignitatis sunt «haec vota et promissiones Deo, in sancta pro- «fessione, quandoquidem earum renovatio facit tam «dignos effectus, et anima reportat tantos fructus. «Ideo mirandum non est, quod qui habet lumen, «uti facit, o Verbum, religio tui Sanctissimi nomi- «nis, (intelligebat religionem Societatis Iesu), cele- «bret dictam renovationem cum tanta solennitate «et festo, praesertim cum homines mundi tantifaciant «diem illum, in quo nascuntur, vel in quo recipiunt «aliquam dignitatem. Tanto magis nos debemus cele- «brare diem, in qua nos univimus Deo, per tam «magnum vinculum (quod nunquam solvi potest)

«cum festo et iubilo spirituali. Ideo ipsa quotidie «haec vota renovabat, ut ibidem scribitur, eo quod «illa reputaret tanquam rem divinam, ac tanquam «privilegia ac beneficia singularia facta a Deo ani-«mabus, quas vocat ad religionem, existimabat illa «tanquam thesauros et pretium Paradisi, et amabat «illa tanquam vincula unionis cum Deo, et tanquam «de talibus loquebatur. Ideo magna voluptate et «gustu fruebatur, quod se videret religiosam, liga-«tam his votis».

Sic et noster S. Franciscus Xaverius, saepe vota renovare coepit sua, ab eo tempore, quo se S. Ignatio Parisiis adiunxit: quemadmodum scribit Turselinus in eius Vita: «Experiebatur enim fre-«quenti votorum renovatione, mentis suae, sicut aquilae, inventutem renovari» [1]). Et inter alia, quae Societatis hominibus, tanquam res magni momenti commendabat, erat, «ut sub meditationem contra «satanae impetus, et insidias, vota renovarent quo-«tidie», teste Tursellino [2]). Qua in re supra fidem hominum excelluit noster P. Jacobus Cerrutus Ita-lus, vir sanctus, uti paulo ante mortem aedificatio-nis studio narravit. «Nam votorum eius renovatio, «quotidie, numerum trium millium attingebat: semel «vero in octava Epiphaniae, vota obtulit viginti «quatuor millibus vicibus: praeter oblationes et gra-«tiarum actiones, quae ad eum numerum pervenie-

[1]) L. I. c. 3. (pg. 18. ed. denip. 1752). [2]) Ibid. l. VI. c. 15. (pg. 533).

«bant, quem soli Deo notum aiebat»[1]). Obiit Romae in Collegio, anno 1573. 28. Aprilis.

Quam autem accepta sit Deo haec renovatio votorum, apparet etiam ex vita nostri sanctissimi Fratris Alphonsi Rodriguez, «qui quotidie renovabat «sua vota etiam postquam evectus erat ad gradum «Coadiutorum formatorum; et haec renovatio con-«servabat eum semper vividum et excitatum ad vota «implenda: et Dominus de se illi significavit, sibi id «placere, monuitque, ut se in hac renovatione voto-«rum exerceret, indicavitque simul, profectum, quem «inde anima eius erat perceptura, et dona, quae ei «eam ob rem concessurus erat. Dum ergo quodam «die Missam audiret, votaque renovasset sua, et Deo «gratias ageret, pro beneficio vocationis ad Socie-«tatem, eum in maiori fervore constitutum, lux «extraordinaria illustravit, quae ei visa est, infinito «intervallo superasse limites omnis creatae intelli-«gentiae. Agnovit tunc clarius magnitudinem bene-«ficiorum Dei ad hoc tempus perceptorum, suam «indignitatem et miseriam, tot oblationibus onera-«tam, impossibilitatem adaequandi gratitudine di-«vina beneficia: Quocirca pia verecundia repletum «cor sentiens, non audebat attollere faciem, et bene-«factorem aspicere: et silentio se debitorem osten-«dens, ac non esse solvendo, os aperire non aude-«bat. Sed Deus, cui humilium semper deprecatio «placuit, ostendit, se valde delectari hac nova gra-«tiarum actione, per silentium linguae, et voce

[1]) «Valtr. in Vita ejus M. S.»

«clarissima (quam etiam ipsis auribus percepit) illi «dixit: Alphonse ambula semper in hoc exercitio «(scilicet, renovationis votorum, et actionis gratia- «rum pro beneficio vocationis ad Societatem Iesu) «ante meos pedes, et omnia tibi succedent. Quod «et novae confusionis materiam praebuit. Et cum «metueret, suae indignitatis conscius, ne id a dae- «mone esset profectum: statim audivit a Domino: «Alphonse, quid metuis? nihil est hic quod timeas: «quia in hoc locus deceptionis non est: fac quod «tibi dico: persensitque interius id a Divino spi- «ritu manasse [1]). Ad hoc ipsum confirmandum va- let plurimum, quod ante quadraginta annos legi in Collectaneis pro Societatis historia scriptis, et Clau- dio Aquavivae Praeposito nostro Generali oblatis, a Patre Ioanne Antonio Valerino; cui ante Patrem Nicolaum Orlandinum, primum scribendi universam Societatis historiam provincia demandata fuit. «Cum «quidam magni iudicii et prudentiae humanae vir, «Societatem esset ingressus, omniaque ei in Socie- «tate placerent, sola votorum renovatio displicebat, «tanquam res impertinens et inutilis. Sed cum dies «renovationis votorum instaret, magnam difficulta- «tem in se sentiens vota renovandi, tandem, subiu- «gato iudicio, vota renovavit cum summa repugnantia «amoris proprii, ita ut sibi videretur, se nescire, «quo in loco esset. Deus ergo hunc eius actum ita «remunerari dignatus est. Postquam enim Sacerdos, «coram quo vota renovaverat cum aliis, conversus

[1]) «L. 1. c. 13. Vitae M. S.»

«est cum SS. Eucharistia, eam distributurus, Chri-«stum Dominum in ea vidit et eximia consolatione «repletus est ac lumine divino, a quo didicit, reno-«vationem votorum esse Deo valde acceptam. Totus «itaque effusus in lacrymas, agnovit errorem suum, «et detestatus est, plenusque coelesti voluptate, diu «ita permansit, prae abundantia divinae sese infun-«dentis gratiae, vocem in verba formare non valens».

CAPUT IX.

De Oblatione bonorum propositorum.

Quartum genus affectuum esse potest, renovatio aut oblatio bonorum propositorum seu desideriorum heroicorum. Hoc suadebat Thomas de Kempis praeter omnes alios magistros vitae spiritualis: «Omni «die renovare debemus propositum nostrum, et ad «fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad con-«versionem venissemus... Semper certi aliquid pro-«ponendum est, contra illa praecipue, quae amplius «nos impediunt» [1]). Talia proposita sunt:

Primo. Humiliando te infra omnes, etiam diabolos et damnatos et peccatores, ea adhibendo motiva, quae in Opusculo «De gradibus humilitatis» [2]), a me ex meo et aliorum sensu explicata sunt. Et cum hac humilitate nostri, ut ita dicam, comparativa, coniungenda est absoluta humiliatio, quae etiam in Christo et Beata Virgine fuit, et sita est,

[1]) De imit. l. I. c. XIX. n. 1. et 3. [2]) Cap. V.

in practico iudicio de nobis, qui quoniam creaturae sumus Dei, ex nobis nihil sumus, nihil valemus, nihil meremur, nihil possumus, sed quidquid boni in nobis est, totum a Deo nobis procedit, tanquam ab auctore naturae vel gratiae. Quae nostri humiliatio et frequens in memoriam revocatio nostri nihili, quod habemus ex nobis, usque adeo placet Deo, ut Christus Dominus dixerit B. M. Magdalenae de Pazzis: «Qualibet vice, qua habebis cognitionem tui nonesse, seu tui nihili — sicut creatura non potest sine corde vivere, ita tu non poteris esse sine me; quae cognitio quamdiu durabit in te, sis secura, te semper mihi fore unitam, et pax mea erit tecum, quamvis tibi videbitur, te perpetua bella gerere, ob tentationes, quae te, me permittente, invadent, quae tamen te non expugnabunt; et quo te oppugnabunt validius, eo magis superabundabit in te meum favens auxilium, quamvis non experieris praesentiam et gustum illius» [1]). Et infra: «Qui mihi servire volunt, debent servire cum tali humilitate, quae demergat animam usque ad centrum terrae. Sicut sagitta descendendo ex alto, non quiescit, nisi postquam pervenerit ad centrum terrae; sic spiritus meus non requiescit, nisi in illa anima, quam invenit in centro propriae annihilationis» [2]). Et alibi Deus Pater sic eam allocutus est: «Scala verborum mei Verbi est altior, quam scala Iacob, quia requiescit in anima, quae per humilitatem et propriam cognitionem est magis

[1]) «3. parte vitae pag. 3.» [2]) «Pag. 18».

«demissa et profundior abysso, in quo se demergit «per humilem de se opinionem et veram cognitio- «nem sui nihili, et pertingit usque ad intrinsecum «meum esse. Et haec est differentia inter hanc et «illam scalam: quia illa non pertingebat ultra coe- «lum, nec inferius perveniebat, quam ad superficiem «terrae; at haec scala, quo plus quis se humiliat «eo magis elevatur supra stellas. Et erecta est in «altum haec scala usque adeo, ut pertingat ad in- «trinsecum meum esse; ita ut eius demissio det «illi exaltationem; et quo profundius in imam par- «tem demittitur, eo altius in superiorem elevatur [1]).

Secundo. De fugiendis omni possibili conatu, et peccatis et imperfectionibus, volendo potius mor quam peccare. Necessarium est omnibus christianis efficax hac de re propositum. «Cum ergo causae «articulus venerit, inquit S. Augustinus, ut haec «conditio proponatur: aut faciendum esse contra Dei «praeceptum, aut ex hac vita migrandum, quorum «duorum homo cogatur alterum eligere, comminante «mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, «quam offenso vivere» [2]). Plus adhuc exigit S. Chrysostomus: «Si quis mente praeditus sit, is gehennam «magis tolerare malit, quam adverso Deo stare» [3]). Imo non tantum adversum Deum fideles Dei servi habere nolunt, sed ne quidem levissime offensum. Hanc ob causam noster frater S. Alphonsus Rodriguei

---

[1]) «Pagina 24». [2]) In Ioan. tract. LI. n. 10. in fine (P. l. XXXV. 1767). [3]) De Anna serm. V. n. 2. (P. g. LIV. 671.).

optabat potius detrudi sine culpa ad poenam aeternam inferni, quam deliberate Deum offendere ullo veniali peccato, quantumvis minimo [1]).

Tertio. De tolerandis Christi causa omnibus rebus, quaecunque tibi possunt esse molestae, idque iuxta tertium modum humilitatis a S. P. N. Ignatio in secunda hebdomada Exercitiorum positum, et iuxta praescriptum trium nostri Summarii regularum [2]). Hunc affectum S. P. Ignatius expressit in contemplatione Regni Iesu Christi, in secunda hebdomada Exercitiorum his verbis: «En o Rex supreme «ac Domine universorum, tua ego, licet indignissi«mus, fretus tamen gratia et ope, me tibi penitus «offero, meaque omnia tuae subiicio voluntati: atte«stans coram infinita Bonitate tua, nec non in con«spectu gloriosae Virginis Matris tuae, totiusque «Curiae coelestis, hunc esse animum meum, hoc «desiderium, hoc decretum, ut quam proxime te «sequar, et imiter in ferendis iniuriis et adversis «omnibus, cum vera tum spiritus, tum etiam rerum, «paupertate. Huius oratiunculae materiam S. Igna«tius ait esse, summi momenti in conspectu Crea«toris ac Domini nostri, et perfectionis gradum in «spirituali vita valde pretiosum appellat» [3]). Sane qui Christi mortem et Passionem bene penetravit, vellet illam in se quoque exprimere perfecte, similia tolerando: quod tamen adhuc ei valde parum videtur, spectato tanto discrimine, quod est inter

[1]) «L. 1. c. 3. vitae M. S.» [2]) Reg. 9, 10, 11. [3]) Exam. gen. c. IV. §. 44, 46.

nos et Personam Dei pro nobis passi. Unde bene dicit S. Climacus: «Etiamsi mille mortes pro Chri«sto pateremur, ne sic quidem satisfacere aut debi«tum nostrum implere possemus: alius quippe est «Dei, alius servorum sanguis (secundum dignitatem «dico, non secundum substantiam)» [1]).

Quarto. De amore inimicorum, et eorum a quibus aliquid passus es, vel pateris, vel in posterum patieris. «Patientiae virtus est, inquit Beatus Lau«rentius Iustinianus, coram hominibus, persecutores «tolerare, sed coram Deo, est ipsos diligere: quia «hoc solum Deus patientiae sacrificium accipit, quod «ante oculos eius, in altari boni operis, per dilectio«nem persecutorum, homo incendit» [2]). Quamquam spectatis rationibus aeternis, nullus est persecutor noster inter homines, nullus inimicus. «Ubi est vera «caritas, dicebat B. M. Magdalena de Pazzis, est «ut pellicanus, qui dat sanguinem suum pro omni«bus, et neminem reputat pro inimico» [3]). Sed esto, sit inimicus, uti iudicatur iudicio mundi, dilige illum, multum lucraberis, et diligendo et offerendo Deo proposita huius dilectionis; quia ut ait S. Augustinus: «per amorem inimici, efficeris amicus, imo «filius Dei» [4]).

Quinto. De donanda in primis Deo in perpetuum tota propria voluntate ac libertate, ita ut nihil un-

[1]) Scala parad. grad. XXIII. statim post medium (P. gr. LXXXVIII. 967D.). [2]) Lig. vitae, de patientia c. II. initio (pg. 44 I. t. I.). [3]) «4. parte vitae capite 19.» [4]) Ser. appendicis CCX. n. 6. (P. l. XXXIX. 2139).

quam velis velle, nil detrectare aut nolle, nisi iuxta voluntatem Dei, declaratam per superiores vicarios, Dei. Tales actus augent valde habitus praecipuarum virtutum et summopere, praesertim ultimus, placet Deo. Nam, ut ait S. Gregorius, ille veraciter Deum diligit, «qui sibi de se nihil relinquit» [1]). Nihil autem relinquet is, qui ex animo Deo talia desideria et proposita offert, et se quodammodo cum tota sua anima, praesertim voluntate, immolat. Et non scio, an perfectius sacrificium internum in hac vita possit Deo offerri, his oblationibus propositorum, praesertim, si fiant cum magno ardore animi, ob quem, ut loquitur S. Chrysostomus, «anima efficitur thuribulum, et ignem vehementem accendit... promptitudine, et animi alacritate, et ardenti, et ferventi animo» [2]). Hunc affectum ultimum posuit S. P. Ignatius in contemplatione de amore spirituali, in quarta hebdomada: «Suscipe Domine universam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, id mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco». In quibus omnibus verbis, summa exinanitio spiritus nostri, Deo offertur, si, prout verba sonant, homo ex corde totum id offerat Deo, quod verba prolata exigunt.

[1]) In Evangelia hom. XXXVIII. n. 10. (P. l. LXXVI. 1288B). [2]) In Psal. CXL. n. 3. in med. (P. g. LV. 431).

Nam in hoc affectu quasi radicem et totam arborem donamus Deo, ex qua procedunt omnes nostrae actiones Deo gratae, et omnes (ut ita dicam) passiones; quia qui talem resolutionem habet, habet perfectissimam indifferentiam, circa loca, circa personas, circa occupationes, circa gradus, et circa alia omnia. Et talis, animi proposito, est plane mortuus mundo, et facit se tanquam iumentum Dei, ut de illo disponant superiores pro libitu suo. Quod est perfectissimum genus incruenti sacrificii, et spirituale quoddam martyrium. Nam, ut ait S. Hieronymus, «devotae mentis immaculata servitus quotidianum martyrium est» [1]). Quanti autem meriti sint tales apud Deum, ipse Deus ostendit S. Catharinae Senensi: «Si peteres, inquit, a me, qui sunt isti, «tibi responderem (asserebat amabilis et omnipotens «Deus) ipsi sunt, alter ego: quia sponte perdiderunt «et abnegarunt eorum propriam voluntatem, facti «meae voluntati conformes et uniti: sunt eam in «omnibus induti» [2]). Unde et S. Ignatius, quam grata sit Deo illa liberalitas, quae exprimitur in affectibus ex contemplatione excerptis, ostendit his verbis, quae sunt postea posita in regula 19. Summarii: «Quanto se aliquis arctius Deo adstrinxerit, et libe«raliorem erga summam Maiestatem se praestiterit, «tanto eum in se liberaliorem experietur, et ipse in «dies magis magisque idoneus erit, ad gratias, et «dona spiritualia uberiora recipienda» [3]). Et hoc nos

[1]) Epist. CIX. n. 31. ad Eustoch. (P. l. XXII. 905).
[2]) Dial. c. I. in med. [3]) Constit. p. III. c. I. §. 22.

a Deo petere, dum in oratione Dominica dicimus, *fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra*, ait Abbas Isaac apud Cassianum, ut scilicet, sicut «voluntas Dei ab Angelis impletur in coelo, ita «etiam hi qui in terra sunt, non suam, sed eius «universam faciant voluntatem»[1]).

CAPUT X.

De orando pro variis Necessitatibus.

Quintum genus affectuum potest esse fervens oratio pro necessitatibus communibus mundi, praesertim pro spiritualibus. Placet haec Deo charitas, unde merito Onias, summus Sacerdos, apparens Machabaeo, *orans pro omni populo Iudaeorum*, indicavit eidem, *Ieremiam Prophetam ... multum orare pro populo et universa sancta civitate*[2]). Multi hoc charitatis affectu Sancti fervebant. Iis annumerari potest B. Petrus Faber, qui, ut de eo scribit Orlandinus in eius vita, «sine ullo discrimine sinus suos «erga omne genus hominum explicabat, et pro omnibus satagebat ante Deum, et quo quis perditus «magis ac profligatus, eo illum misericordia maiori «complectebatur ... Quo vero precum esset vis «acrior, erigebat eas, excitabatque et inflammabat «cogitationibus altissimis. Quorum causa instituerat «preces, eos proponebat sibi, ut pretioso redemptos

[1]) Coll. IX. c. 20. (P. l. XLIX. 292—3).
[2]) II. Mach. XV. 12—14.

«Christi sanguine, ut eiusdem haereditatem ac re-«gnum... Unde fiebat, ut simul excitaret studium «suum, personarum dignitatem ac pretium intuens, «simul optimo Deo, Christi Sanctorumque eius me-«rita, sensu maiore proponeret, ac demum assue-«sceret ipse, magnificam de unoquoque opinionem «animo genere» [1]).

In genere vero, inter necessitates aliorum, po-nendae sunt primo loco totius Ecclesiae Sanctae Dei. Ideo Deus Pater S. Catharinae Senensi dixit: «Valde sollicite debes orationes effundere pro crea-«turis omnibus rationalibus, et pro corpore mystico «Sanctae matris Ecclesiae, atque pro illis, quos tibi «tradidi, ut amore singulari diligas» [2]). Tales autem preces, quam sint Deo, Ecclesiae capiti ac Sponso, acceptae, divinitus intellexit S. Gertrudis: «Quicun-«que legit saltem unum *Pater noster* et *Ave Maria*, «vel aliam quamcunque orationem, vel psalmum, ex «parte, sive pro salute totius Ecclesiae; filius Dei «mox illud tanquam fructum suae perfectissimae «Humanitatis gratissime acceptans, pro ipso gratias «agens Deo Patri, benedicit, et ex illa benedictione «multiplicatum, distribuit universae Ecclesiae, ad «profectum salutis aeternae» [3]). Suadeo autem pro Sancta Ecclesia quotidie dicere illam orationem ex Missali Romano: «Ecclesiae tuae quaesumus Do-«mine preces placatus admitte, ut destructis adversi-«tatibus et erroribus universis, secura tibi serviat

---

[1]) Lib. II. c. 17. post init. [2]) Dial. c. CIX. init. [3]) Insin. div. piet. l. IV. c. 21. (pg. 487).

«libertate». Vel illam, quae mihi magis placet, quia potiora pro Ecclesia petit: «Omnipotens sempiterne «Deus, cuius Spiritu totum Ecclesiae corpus sancti-«ficatur et regitur, exaudi nos pro universis Ordini-«bus supplicantes, ut gratiae tuae munere, ab omni-«bus tibi gradibus fideliter serviatur». Et illam: «Custodi Domine, quaesumus, Ecclesiam tuam «propitiatione perpetua, et quia sine te labitur hu-«mana fragilitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur «a noxiis, et ad salutaria dirigatur, per Dominum «nostrum etc. Praeterea illa quoque, pro quibus paulo post dicam orandum esse, non absolute commendanda sunt Deo, sed cum respectu ad incrementum felix Ecclesiae, quod sequitur ex concessis illis gratiis, quas pro vivis et defunctis petimus. Hoc spiritu S. Paulus Apostolus valde orabat pro Ecclesia, ut ex eius epistolis apparet. Hunc imitatus S. P. N. Ignatius, hoc ipsum ardentissime quotidie faciebat, simul orans pro summo Pontifice, et pro regibus ac principibus, ex quorum felici gubernatione universae tranquillitas Ecclesiae pendet; ut scribit Ribadeneyra in eius vita [1]).

Caeterum descendendo ad particulares membrorum Ecclesiae necessitates, commendanda est Divinae Maiestati, idque saepe et ardenter:

Primo. Conversio illorum, qui sunt in peccato mortali, vel ob malam fidem (uti sunt gentiles, Iudaei, haeretici, schismatici) vel ob malam vitam, uti mali catholici. Hoc vehementer expetit Deus.

---

[1]) Lib. V. c. 1. sub fine (pg. 407. ed. Ingolst. 1590).

Hinc Deus Pater dixit S. Catharinae Senensi: «Ego «vos affectuose deprecor, ut assidue me rogetis pro «salute peccatorum, pro qua a vobis exigo sudores «atque lacrimosas orationes, ut eis impendam, ut «opto, misericordiam gratiosam. Quibus verbis illa «auditis, multum inflammata divina caritate, et tan«quam ebria, et quae semetipsam in se continere «non posset, dixit: «O divina misericordia, et aeterna «bonitas, non admiror, si de conversis peccatoribus «ad te redeuntibus dicis: «Ego non ero memor in«iuriarum, quas mihi fecistis», sed quod ita dicas «illis, qui sic erecta cervice te suis iniquitatibus «quotidie persequuntur: «Ego, dicis, volo quod me «pro illis affectuose rogetis, ut ego eis misericor«diam impendam, ut opto»[1]). Conformare nos igitur debemus tantae misericordiae Domini Dei nostri, adeo inimicorum suorum conversionem expetentis, et pro illa orare. Et alibi sic ei dixit: Delecteris in cruce, secum manducando cibum animarum ad «gloriam atque laudem Sancti mei Nominis, iugiter «emittendo mugitum cum cordis anxietate, super «morte generis humani: quia vides ipsum ad tan«tam miseriam adductum, quod lingua tua nesciret «exprimere. Cum huiusmodi mugitu et clamore meo«rum amicorum dispono mundo facere misericordiam. «Et hoc est, quod a te, nec non et ab aliis amicis «meis iugiter expeto; et hoc erit pro signo, quod

[1]) Dial. c. XXIX. ultima verba, et initium capitis XXX.

«in veritate me diligatis. Et ego promitto vobis, «vestra sancta desideria nullo modo contemnere»[1]).

Huc spectat a S. Paulo commendata *obsecratio*, id est, ut exponit Abbas Isaac, «imploratio remis-«sionis peccatorum»[2]). Ostendit Deus pluribus Sanctis, talem affectum sibi esse valde gratum. Nam cum S. Catharina Senensi loquens Deus Pater, sic conqueritur et monet: «Vide Filia, quantis «peccatis me percutiunt... specialiter amore proprio «sui ipsorum, unde omne malum procedit; quo «amore proprio, ut veneno, infecerunt totum mun-«dum,... quia amor proprius a superbia procedit, et «continet in se omne malum... Vos itaque servi mei, «praeparate vos cum multis orationibus et anxiis «desideriis, et cum dolore de offensa mihi facta, et «de damnatione ipsorum peccatorum, ut illi possint «evadere iudicium aeterni supplicii»[3]). Praeclarum huius rei exemplum reliquit B. Clara de Monte Falco ordinis Sancti Augustini. «Cum enim pro quodam «magnis onusto sceleribus, et conversionem ad ulti-«mos vitae annos differente orare coepisset, et semel «atque iterum sensisset se a quadam vi occulta re-«pelli ab oratione, et vocem internam audisset, ne «pro illo scelesto oraret, quippe non exaudienda; «tertio ad orationem rediens, illius conversionem «impetravit hoc modo: Constituit se ante iudicem «Christum, quasi onusta omnibus illius hominis

[1]) Dial. c. CVII. post med. usq. fin. [2]) Coll. IX. c. 11. (P. l. XLIX. 783). [3]) Dialog. c. XVII. passim.

«peccatis, et tanquam talis obligavit se ad satisfa-«ciendum pro illo, et ad recipiendam totam illam «poenam quam vellet, et quam exigeret ordo di-«vinae Iustitiae, dummodo animam illam divina «convertere bonitas dignaretur. Hic actus adeo pla-«cuit Domino, ut subito obstinatus ille antea pecca-«tor, conversus fuerit, et deinceps pie vixerit». Ita scribit in vita B. Clarae, Baptista Pergilius [1]).

Atque haec fuit causa ob quam S. Teresia sua pro monialibus monasteria fundaverit, quemadmodum ipsamet scribit: «Ut cum tam multi sint, «qui Deum offendunt, moniales suae pro illorum «conversione orarent, nec non assidue pro defenso-«ribus Ecclesiae, pro concionatoribus, aliisque viris «doctis ipsam propugnantibus» [2]). Ipsa vero, ut scribit Didacus Yepesius in eius vita, «noctes integras «consumebat orando et flendo pro conversione ani-«marum, praesertim haeresi infectarum; et dedisset «mille vitas, si posset unam tantum animam con-«vertere. Et fere quadraginta annis, quos exegit in «orationis exercitio, nihil magis a Deo petebat, «quam dilatationem divinae gloriae et Sanctae Eccle-«siae augmentum: nec curabat diutius haerere in «purgatorio (quod procul dubio experta non est, «tam ignita caritate ardens dum viveret) dummodo «Deus magis cognosceretur ab hominibus et ama-«retur» [3]). Quod ipsum S. P. N. Ignatius adhuc saecularis, dum orans a terra in altum elevaretur,

[1]) «2. par. c. 5.» [2]) Via perfect. c. I. (pag. 6. ed. Col. Agripp. 1626). [3]) Lib. III. c. 25.

divina virtute, et coelesti splendore circumfusus radiaret, petebat a Domino.

Sic et B. M. Magdalena de Pazzis, teste eius confessario Puccino, «valde commendabat suis monialibus, ut ardenter orarent pro salute animarum, «et conversione peccatorum. Et hoc exercitium dicebat esse valde Deo gratum, et propriae saluti «proficuum [1]). Qui zelus magis procul dubio in ea crevit, postquam S. P. N. Ignatius a B. Virgine ad eam missus, de humilitate praeclara monita ei traditurus, suum de humilitate sermonem sic concludit: Quemadmodum Verbum incarnatum constituit Apostolos piscatores hominum, ita constituit «suas Sponsas, ut faciant praedam animarum» [2]), quod circa absentes, non nisi precibus ignitis possunt praestare, et oblatione Sanguinis et meritorum Christi Domini, quo modo Beata ista multorum conversionem impetravit a Deo.

Cum Pater noster Iulius Mancinellus solitus esset saepissime orare pro conversione gentilium, et haereticorum, in quadam visione, quam habuerat 28. Augusti anno 1603. per angelos, intellexit, debere eum etiam pro conversione Hebraeorum orare [3]). Non mirum Deum optare, ut pro conversione inimicorum suorum oremus, quia, ut ait S. Chrysostomus, «nihil est quod ita Deum exhilaret, atque «conversio nostra, et a peccato ad virtutem regres-

[1]) «4. par. vit. cap. 33». [2]) Parte II. c. VII. n. 222 (Boll. t. XIX. 235). [3]) «Sic scriptum est ab ipsomet in lib. 1. Sensuum spiritualium pag. 115».

«sus» [1]). Porro, uti bene monet B. Laurentius Iustinianus, libro «De compunctione et complanctu Christianae perfectioni», «pro peccatoribus eo usque ora«tionibus et lacrimis insistendum est, atque divina «misericordia imploranda, quousque qui fuerant mor«tui audiant interius praeceptoris vocem et revivis«cant, et ad se redeuntes, propria errata deplorent, «confiteantur delicta, eademque largis eleemosinis «redimant. Nullum prorsus tam grave delictum est, «quod non eleemosinis et oratione purgetur» [2]).

Secundo. Commendanda est Deo liberatio animarum ex purgatorio. Extat magni solatii promissio a Christo Domino facta S. Gertrudi virgini: «Qui «pro peccatoribus et animabus purgandis devote ora«verit, hoc tam dignanter acceptabo, ac si ad me «incarceratum crebrius veniendo, blandis consolatio«nibus suis, desolationem meam sublevasset». Et adiecit Dominus: «Si quis in praedictis se quotidie «pro amore meo exercitaverit» (inter praedicta vero erat etiam, omni die studere aliqua aedificatoria verba Sacrae Scripturae recitare, legere aliquid ad confirmationem vel devotionem excitandam, in aliqua virtute quotidie se exercere, alicui vitio vel tentationi ressistere), «et specialiter tempore quadra«gesimali, — hunc indubitanter cum tota divina sua«vitate mea, regali gloria, nec non amicabili fidelitate «dignanter remunerabo, sicut hoc incomprehensibi-

[1]) In Genes. hom. XXV. n. 3. post init. (P. gr. LIII. 221). [2]) Altera pars. i. e.: «Qualiter a. refor. etc.» post. medium (pag. 17 II ult. verba t. II).

«lem omnipotentiam et inscrutabilem sapientiam, «dulcissimamque benevolentiam meam, unquam libe«ralius decet adimplere» [1]). Et alia vice, orante S. Gertrude, et petente, quam acceptus esset Domino «labor earum in recitando psalterio pro defunctis; «respondit Dominus: «Tam acceptus certe, ac si me«metipsum toties suo pretio a captivitate liberassent, «quoties aliqua liberatur anima per orationes earum. «Et hoc ipsis indubitanter restituam in tempore «opportuno, secundum omnipotentiam meae libera«lissimae pietatis». Hinc illa: «Et quot animas, in«quit, dignatur tua clementia cuiuslibet orationibus «donare absolutas?» Respondit Dominus: «secun«dum quod cuiuslibet affectus meretur» [2]).

Pro mortuis noster B. Petrus Faber, inquit Orlandinus, «singulares ipse Deo preces et hostias «sollicitus offerebat.... Optabat aliquando vim sen«tire dolorum Christi, quos Passionis suae tempore «pro sua misericordia ex tot animarum cruciatibus, «ante oculos iam tum positos sentiebat. Ergo ipsius«met Christi Filii cruciatus ad Patrem, pro earum «cruciatibus, angores pro angoribus, dolores pro do«loribus allegabat. Et ipsi nominatim Christo Do«mino supplicabat, per illam eius charitatem atque «misericordiam, qua latroni in cruce pendenti dixit: «*Hodie mecum eris in Paradiso:* neque enim mi«nore illas animas necessitate urgeri.... Porro in «animis iuvandis ad indigentiam cuiusque accommo-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 18 (pag. 480—1).
[2]) Ibid. l. V. c. 21 (pag. 756).

«dabat precandi rationem: ut veniam a Deo cuique «peteret pro eis maxime rebus, in quibus quisque, «habita personarum munerumque ratione, potuisset «aliquando peccare.... Versabantur ante oculos men- «tis, animae illae simplices, quas longe acriore cru- «ciatu mala omnia poenaeve perstringerent, quam si «suis essent praeditae et vestitae corporibus. Longe «quippe interiorem profundioremque putabat esse «dolorem, qui animo sine corpore, quam qui per «corpus inseritur: quod mortali corpore intermedio «distrahitur quodammodo dolor atque dividitur, ne «totus penetret et feratur in animum: animus autem «ipse nudus ac simplex, tanquam veste detracta, «omnem doloris actum, omnem sensum poenarum «excipiat. Quamvis enim post novissimum iudicii «diem nihil illi ex corporis societate de dolore de- «cedat, quin etiam augeatur, et duplicatus accedat, «tamen hoc, quod gerimus corpus, longe aliter affec- «tum, non parum alleviat et obtundit dolores, qui «animum tangunt». Nec dissimile est, quod S. Abbas Dorotheus sermone sexto docuit: «animam vitiosis «affectibus, quos hinc deportat obnoxiam, vehemen- «tius solutam corpore, quam coniunctam, ab iis uri «atque incendi. Quia sola est, inquit, cum cupidi- «tatibus suis, a quibus inflammatur et ardet, nec «est aliquid intermedium, quo retardetur, ac veluti «retusus hebescat dolor. Atque haec Fabro cogi- «tatio, et misericordiam acuebat et preces; quas alia «insuper cogitatio non mediocriter incitabat: quanti «demum interesset, et ad honorem gloriamque Dei «et ad commune Ecclesiae bonum subsidiumque

«vivorum, vel unius animae missio ex illis ignibus »pervolantis in coelum. Quamdiu enim in iis est, «eam ut in compedibus vinctam esse, ne aspirare «possit illuc, ubi vel Dei gloriam, tam amanter et «avide curet, vel nostras agitet apud Deum causas «atque rationes: quorum utrumque sanctae animae, «simul ac in coelum evolant, intenta mente procu«rant» [1]).

Tertio. Commendari Deo potest emendatio in melius iustorum tepide Deo servientium. Tepor enim talium perducit eos ad magna scelera. Ideo S. Chrysostomus ait, Davidem etsi virum secundum cor Dei, «quia parumper neglexit, in ipsum praecipita«tum esse peccati barathrum». Hinc ibi infert: «si «iustus ille, paululum torpefactus, talia accipit vul«nera, quid patiemur nos, si negligentes fuerimus?» [2]). Quocirca magnum charitatis christianae opus est, orare pro talibus, ne sint negligentes et tepidi, sed ferventes in obsequio Divinae Maiestatis.

Quarto. Commendandus est Domino profectus cum perseverantia finali, in sanctitate, et multiplicatio Sanctorum. Non potest perseverantiam ullus de condigno mereri, uti tanquam dogma fidei, meliores docent theologi [3]), sed potest de congruo [4]), uti potest et solet precibus iustorum assiduis et

[1]) Lib. II. c. 17. ante med. [2]) Ad pop. hom. LXXVII. (pag. 398 II B et 400 II. D. editio Paris. 1583. [3]) *S. Thom.* I.II^{ae} q. CXIV. a 9; et in l. II. sent. dist. XXVIII; *Tann.* t. II. disp. VI. q. VI. dub. IX. n. 225. [4]) *Tann.* ibid. n. 228 et citati ab eo: *Vega, Valentia, Zumel, Vasquez.*

ardentibus impetrari, ut iidem docent ex S. Augustino, libro «De bono perseverantiae» (capite sexto). Nam, ut bene docet S. Gregorius Papa, et ex eo S. Thomas: «perennis regni praedestinatio, ita est «ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi pro «labore perveniant, quatenus postulando mereantur «accipere, quod eis omnipotens Deus ante saecula «disposuit donare» [1]). Quod orationi tribuunt etiam alii sancti Patres [2]). Quocirca etiam hanc ob causam merito appellari potest oratio, «clavis coeli, sicut eam appellat S. Augustinus [3]); aperit enim coelum, et impetrat necessaria pro coelo, et altum in coelo locum. «Noveris filia charissima, ait Deus Pater S. Catharinae Senensi, «quod in oratione humili, «continua, et fideli, cum vera perseverantia, lucratur «anima perfectionem et omnem virtutem» [4]): proinde et perseverantiam finalem. Quam ad rem facit praeclarum solatium datum a S. Thoma, et receptum a theologis, ac in sacra Scriptura fundatum: «Si,

---

[1]) *S. Greg. M.* Dial. l. I. c. 8 (P. l. LXXVII. 188 B); *S. Thom.* II.II^ae q. LXXXIII. a. 2. ⊙. [2]) *S. Basilius M.* Hom. in mart. Julittam n. 9 (P. gr. XXXI. 254); *S. Aug.* De ser. Dom. in monte l. II. c. IX. n. 35 (P. l. XXX. 1285); et idem ser. LXXIII appendicis, alias CCXXX de temp. n. 2. (Ib. XXXIX 1887); *S. Bern.* De modo bene viv. c. XX n. 58 (P. l. CLXXXIV. 1236); *S. Cypr.* De orat. dom. c. XXVI fin. (P. l. IV. 555); *S. Joan. Dam.* De fide orth. l. III. c. 24 init. (P. gr. XCIV. 1090D). [3]) Ser. appendicis XLVII (olim de temp. CCXXVI) n. 1. (P. l. XXXIX. 1838). [4]) Dial. c. LXVI. ipsum initium.

»inquit, id quod petitur sit utile ad beatitudinem »hominis, quasi pertinens ad eius salutem, meretur »illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo. Et infra: »Ponuntur, inquit, quatuor con»ditiones, quibus concurrentibus, semper aliquis im»petrat quod petit: ut scilicet pro se petat, neces»saria ad salutem, pie, et perseveranter« [1]). Commendanda est ergo precibus nostris, non nostra tantum, sed et aliorum salus, perfectio, et perseverantia finalis; idque eo securius et ardentius, quia iuxta certam S. Thomae [2]) et aliorum theologorum doctrinam [3]), homo non potest sibi ipsi de condigno, seu infallibili merito promereri reparationem post lapsum, imo nec de congruo, in sententia S. Thomae supra citati, et Caietani, Medinae, Conradi, Alberti, Valentiae, Vasquez (quamquam etiam contraria sit probabilis quoad hanc secundam partem, et tenetur a S. Bonaventura, Scoto, Gabriele, Vega, Bellarmino [4]), Suarezio [5]), Tannero [6]). Potest tamen homo iustus alteri de congruo (non infallibiliter) promereri reparationem post lapsum: scilicet, tum auxilia actualia gratiae ad conversionem opportuna et congrua, tum ipsam gratiam sanctificantem, atque etiam gloriam, per ordinaria tamen media reci-

---

[1]) II.I^{ae} q. LXXXIII. a. 15. ad 2; *Tann.* loco superius cit. n. 232. [2]) I.II^{ae} q. CXIV. a. 7. [3]) *Tann.* ut supra, n. 212 et 218. [4]) Disp. de controv. fidei. t. III. De justif. l. V. c. 22. [5]) De gratia, lib. XII c. XXXVIII. n. 8 post med. (pag. 260 t. X. ed. Paris. 1858). [6]) Tomo II. disp. VI. q. VI. dub. IX. n. 218, 221.

piendam, ut docet S. Thomas [1]) ex communi et certa doctorum sententia, quam etiam tradit S. Augustinus [2]), et probat bene ex Scriptura Tanner» [3]).

Quinto. Petendum est a Deo adiutorium eorum, qui sunt in angustiis et necessitatibus ac tribulationibus variis, tum spiritus tum corporis, positi. De B. Fabro in eius vita scribit Pater Orlandinus: «Augebat dolorem moeroremque commiserantis Fa«bri, quod de suis rebus atque miseriis referre ad «Deum plerique nescirent, et humanis freti praesidiis, «divina negligerent. Quae res pietatem hominis acri«ter stimulabat, ut alienas ipse Deo clades et aerum«nas exponeret, eique pro omnibus omnium angus«tiis, perturbationibus, calamitatibus, egestatibus, se «supplicem exhibebat: ut vehementer cuperet, velut «alter Moyses, posse omni tempore sustinere manus «elatas, ut hominibus tot inter praelia constitutis, «totque inter dolores, sive vivis, sive mortuis, auxi«lium ac levamentum afferret. Descripserat sibi in «animo varias hominum vexationes, et calamitates, «morbos, perturbationes, angores, fames, desperatio«nes, egestates, et alia id genus innumera: ut tan«quam bonus sedulusque sacerdos, qui, ut ait S. «Chrysostomus, «quasi communis quidam totius ter-

---

[1]) I.II^{ae} q. CXIV. a. 6. ⊙. [2]) Quaest. in Pentat. l. II q. 149 (P. l. XXXIV. 646); et Contra Faust. l. XX. c. 21 ante medium (Ib. XLII. 385); et De civ. Dei. l. XXI. c. XXVII. n. 5 (P. l. XLI. 750). [3]) Disp. VI. de grat. q. VI. dub. VII. n. 179, 180.

«rarum orbis Pater» [1]), singulas causas ageret apud «Deum. Et studio ardebat incredibili, ut ministrum «sibi esse liceret liberatoris et vindicis Christi, per «eumque in suis cuique periculis, et aerumnis opi«tulari, etiam in his, si audere fas est, quae cum «sint extra fines terminosque naturae, corrigi, sana«rique, sine vi divina miraculoque non possent» [2]).

Sexto. Necessitates benefactorum nostrorum, id est qui in temporalibus nos iuvant, et in spiritualibus, inter quos sunt adversarii, qui dant occasionem meritorum pro coelo, datis occasionibus humiliationis et patientiae. Haec oratio pro benefactoribus fusa, gratissima est Deo. Ideo bene dixit S. Agnes S. Birgittae: «Nihil est pulchrius, aut «acceptius Deo, quam laedentem diligere, et pro «persequentibus exorare» [3]). Quod eos facere ait Abbas Chaeremon, apud Cassianum, «qui ad ima«ginem et similitudinem Dei pervenerunt, et filii «Dei nuncupantur, et visceribus Dominicae longa«nimitatis induuntur» [4]). Tales in iudicio ultimo triumphabunt. «Iubemur, inquit S. Chrysostomus, «pro inimicis Dominum orare, ut salutis illorum «curam gerat. Hoc enim nobis potissimum in die «illo terribili patrocinabitur, et redemptio maxima erit peccatorum nostrorum, si sic affecti fuerimus adversus inimicos nostros» [5]).

---

[1]) In Epist. I. ad Tim. hom. VI. ipsum initium (P. gr. LXII. 529). [2]) Lib. II. c. 16 post init. [3]) Revel. l. IV. c. 124 (pg. 353 G I). [4]) Coll. XI. c. 10. (P. l. XLIX. 857 B). [5]) In Gen. hom. IV. n. 7 in medio (P. gr. LIII. 46).

Quod si quaeras, cur oratio pro inimicis nostris, seu potius pro veris amicis, nobis coronarum coelestium acquirendarum materiam suppeditantibus, adeo sit nobis utilis? Potest responsio peti ex eodem S. Chrysostomo, alio in loco hanc rem ita describente: «Ea res tibi pro martyrio imputabitur, «si insidias molientem, inter bene meritos numera«ris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando, «ut illi fiat propitius» [1]). Cum Pater Iulius Mancinellus videret gloriam magnam in coelo S. Laurentii Martyris, inter alia, quae tunc accepit coelestia lumina, fuit et hoc: «debere nos serio orare pro be«nefactoribus, non solum propter res, sive bona tem«poralia collata, verum etiam ob affectum charitatis, «quo donaverunt, qui pluris est aestimandus: et utri«que reponendum; scilicet et rebus, cum labore et «assiduitate orando et affectui charitatis, eodem modo «eos diligendo, et bona a Deo illis impetrando. Deni«que responderi divino honori et dilectioni, quoniam «illi dederunt res suas intuitu Dei. Similiter nos ad «recompensandam talem reverentiam, amorem et «pietatem eorum erga Deum in elargitione elecmo«synarum, debemus bene illis velle, et a Deo petere, «ut ex recompensatione gratiarum in Deo, promo«veantur ad Deum honorandum per talia opera chari«tatis» [2]). Eidem Patri Mancinello divinitus revelatum fuit, tanquam commendatione dignum, et Deo accep-

---

[1]) De Davide et Saule hom. III. n. 3 ipse finis (P. gr. LIV. 699). [2]) «Sic in libr. Sens. Spirit. pag. 72».

tum, eum esse unum e septem, qui in Ecclesia Dei militante, prae caeteris, pro aliis oraret.

Septimo. Qui perfectioni acquirendae serio incumbunt, orant Deum ardentissime, ut illos affligi in hac vita faciat quam maxime, sine eius offensa et sine impedimento eius gloriae. Quod enim licet optare, licet et petere a Deo: Sancti autem omnes eximii, optabant perpetuis crucibus adversitatum onerari. Ideo S. Iob dicebat, non ex taedio sed ex desiderio et amore crucis: *Quis det, ut veniat petitio mea, et quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui coepit ipse me conterat, solvat manum suam, et succidat me: et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat* [1]). Et vir secundum cor Dei David, ut ponderavit Abbas Theodorus apud Cassianum [2]), orans pro salutari emundatione, quam parit tribulatio, petebat a Deo: *proba me Domine, et tenta me, ure renes meos, et cor meum* (Ps. XXV. 2). Ieremias quoque: *corripe me Domine.* (Jer. X. 24). Similia his petebat S. Franciscus, teste S. Bonaventura in eius vita. Et noster S. Xaverius cum Bononiae, ante iter Indicum, Deo revelante per S. Hieronymum apparentem, cognovisset se multas cruces in Indiis portaturum, exclamavit: «Plus Domine, plus» [3]). Ita sapiebant ei persecutiones; uti et S. Teresiae quae dicebat, non aliam ob causam se velle vivere diutius, quam ut pateretur plura. Hinc ei hoc erat in

---

[1]) Job. VI. 8, 9, 10. [2]) Coll. VI. c. 11 (P. l. XLIX. 661A). [3]) «Lucena in Vita».

ore: «Aut pati aut mori». Petendae ergo sunt cruces a Deo pro nobis crucifixo. Ab illo Deo, qui dixit: *Qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus* [1]). Et alibi: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* [2]). Ideo Apostolus iis delectabatur, et dicebat: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo* [3]).

Octavo. Orari potest, pro Beatis, ut illorum gloria accidentalis augeatur. Exempli gratia, quilibet religiosus potest orare, ut eius ordinis religiosi sancte vivant, et aliqui suo tempore canonizentur: ut alia beneficia a Deo et hominibus percipiant, et hinc fundator gaudium accidentale percipiat, ex hac re vel in Deo visa, vel per revelationem a Deo ipsi ostensa. Id petunt sacerdotes in Missa quotidie: «Suscipe S. Trinitas... ut prosit Sanctis ad «honorem (scilicet accidentalem) nobis autem ad «salutem...». Unde Innocentius III Papa, «plerique «inquit, reputant non indignum, Sanctorum gloriam «usque ad iudicium augmentari: et ideo Ecclesiam «posse augmentum glorificationis eorum (accidentalis) «optare» [4]). Idque docet Bellarminus [5]), Suarez [6]), Vas-

[1]) Luc. XIV. 27. [2]) Matth. X. 38. [3]) I. Cor. XII. 10. [4]) Gestorum l. V. ep. 121 paulo ante finem (P. l. CCXIV 1122—3). [5]) Tomo I. Controv. VI. (de Purg.) l. II. c. 18. Prima diff. [6]) De Euchar. disp. LXXVIII. sect. III. n. 8 init. (pag. 708, t. 21 ed. Paris. 1861).

quez [1]), Ioannes Sanchez [2]) et alii. Et tale gaudium accidentale est illud Angelorum [3]), qui gaudent «de «peccatore poenitentiam agente», ut ait Sotus [4]). Atque hoc sensu B. Virgo Maria revelavit S. Thomae Cantuariensi Archiepiscopo, «suam gloriam «semper in coelis nova sumere incrementa, hoc est, gaudium accidentale semper illi novum et novum accedere, ex bonis operibus iustorum, praesertim eius clientum. Idem peti potest pro aliis Beatis, ut ab hominibus pie colantur et honorentur modis in S. Ecclesia usitatis, qui procul dubio eis a Deo revelati, sunt eis nova accessio gaudii, atque ita gloriae accidentalis. Sicut iidem Beati toties gaudium accidentale percipiunt, quoties fidelis Eucharistiam accipit: ut revelatum fuit S. Gertrudi [5]), et observavit Ioannes Sanchez [6]) in suis «Selectis disputationibus».

CAPUT XI.

De multiplici Gratiarum Actione.

Virtus gratitudinis, quam Deo ex multis capitibus debemus, ob beneficia in nos collata et promissa et conferenda, quinque actus habet, bene ex-

---

[1]) De Euchar. disp. CCXXVII. c. V. n. 41 ante med. [2]) Selecta de Sacram. disp. XXV. n. 12. in med. [3]) Luc. XV. 10. [4]) In IV. senten. dist. XLV. q. II. a. 2. post 3. concl. [5]) Insin. div. piet. l. III. c. XVIII. §. 15 in fine. [6]) Disp. XXV. n. 11.

plicatos a nostro Theophilo Raynaudo [1]), in aureo opere «De virtutibus et vitiis», quod praeclaris sacrorum et profanorum doctrinis velut gemmis ornavit.

«*Primus* actus est, aestimatio beneficii interna «cum memoria eius coniuncta. *Secundus,* acceptio «benigna, declarata in externa testificatione aestima«tionis internae, beneficii a Deo collati. *Tertius* est, «gratiarum actio ad benefactorem directa, ob aesti«matum interne et acceptatum beneficium. *Quartus* «est, beneficii commemoratio. *Quintus,* beneficii re«pensio» [2]).

Nos hic de tertio actu, gratitudinis agemus.

Sextum ergo *genus* affectuum est, gratiarum actio pro beneficiis divinis, «quae quisquis ad plenum «pandere conatus fuerit, similis esse censendus est «illi, inquit B. Laurentius Iustinianus, qui latissima «maris fluenta in vase minimo concludere moliretur. «Utrumque enim quamvis impossibile hominibus sit, «facilius tamen (si dicere liceat) aequoris undae con«cluderentur in vasculo, quam innumerabilia Dei «dona humano valerent promulgari eloquio. Caete«rum quamvis ex sui multitudine, magnitudine, et «incomprehensibilitate ineffabilia sint, nequaquam «tamen sunt aut tegenda silentio, seu prae propa«landi impossibilitate spernenda. Confitenda quippe «sunt ore, corde veneranda, atque religione colenda, «prout parvitati datur mortalium: qui etsi non

[1]) Lib. IV. sect. II. n. 144. (fusius). [2]) *S. Ambr.* De offic. min. l. II. c. XXV. n. 127 (P. l. XVI. 145); *Seneca,* De benef. l. II. c. 22, 23, 24.

«sufficiunt explicare verbo, pio tamen eadem, et di-«latato cordis fateantur affectu. Ipsa siquidem aeterni «nostri Conditoris summa clementia, non quod va-«leat homo, sed quid agere concupiscat, approbare «cognoscitur. Non enim in actu tantummodo operis, «verum etiam in desiderio apud Altissimum, iusto-«rum merita subsistunt voluntatis» [1]). Huius dilatatae voluntatis effectus praecipuus, est gratiarum actio pro beneficiis divinis, commendata nobis ab Apostolo Paulo: *In omnibus gratias agite* [2]). Et alibi: *Implemini Spiritu Sancto, gratias agentes semper pro omnibus* [3]). Quod ne fiat, diabolus, ut ait S. Basilius, «assidue suis artificiis nos circumvenire, et mundialis istius vitae illecebris inescans, omni co-«natu efficere studet, ut datorum nobis beneficio-«rum, Deique ipsius memoriam ex animis nostris revellat» [4]). Valde enim gratiarum actio pro divinis beneficiis Deo placet, et nobis plurimum prodest. Et quidem prodest, tum quia merita nostra auget, tum quia, ut infra videbimus, dona Dei nova nobis conciliat, et quodammodo exigit a liberali Dei manu: tum quia, ut dixit Deus Pater S. Catharinae Senensi, «manus amoris est affectus, qui implet me-«moriam beneficiorum, a me gratiose sibi concesso-«rum: ita ut iugiter in me delectetur. Quorum affec-«tuosa memoria, facit eum sollicitum atque gratum,

[1]) Lib. de obedientia, c. XXVIII. (pag. 357 I). [2]) I. Thess. V. 18. [3]) Ephes. V. 18. 20. [4]) Reg. fusius. tract. Interrog. II. c. 4 (P. g. XXXI. 915. sed alia versio).

«et omnino vitare facit hominem esse negligentem «et ingratum» [1]): hae autem sunt magnae utilitates nostrae.

Deo vero adeo placet haec beneficiorum eius recordatio et pro iis gratiarum actio, ut inter fines instituti et relicti nobis a Christo sacrificii SS. Eucharistiae, hic unus fuerit: «Corpus meum, inquit «Christus Dominus S. Birgittae, quotidie nunc in «altari immolatur, ut tanto amplius me homo dili«geret, et frequentius beneficia mea recoleret» [2]). Maius autem est, gratias agere Deo pro beneficiis, quam tantum eorum meminisse. Quod autem plurimum prosit gratiarum actio, experientia confirmat, et Sancti docent. «Felix, inquit S. Bernardus, qui «ad singula dona gratiae, redit ad eum, in quo est «plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro «acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis «facimus gratiae, ut maiora adhuc accipere merea«mur» [3]). Et alio in loco: «Loquere Deo in gratia«rum actione, ut ampliorem invenias gratiam in «praesenti» [4]). Te profecto, ait B. Laurentius Iusti«nianus, si de collatis gratum viderit esse mune«ribus, tibi ubique potiora largietur» [5]). Non enim minus est liberalis Deus, quam homines, qui tamen, si ingenui sint, gratitudine nostra moventur, ad

[1]) Dialog. c. LI inter init. et med. [2]) Rev. l. I c. 1. (pg. 1 B). [3]) Ser. de diversis XXVII. n. 8. (P. l. CLXXXIII 616A). [4]) Ser. in nativ. B. V. M. n. 15. (Ibid. 445 D). [5]) Lib. de obed. c. VII ipse finis (pag. 314 I. t. II).

maiora beneficia nobis praestanda. Quod ponderans S. Chrysostomus ait: «Si beneficium aliquod ab ho«minibus accipimus, atque id celebramus, promptio«res eos ad bene de nobis merendum reddimus; «multo magis Dei beneficia praedicantes, ad maio«rem benevolentiam ipsum attrahemus» [1]). Et Deus in quodam raptu revelavit B. M. Magdalenae de Pazzis, ut scribit in eius vita eius confessarius Puccinus, «gratiarum actionem reddere nos aptos, ad recipienda in maiore abundantia Dei dona, et gra«tias a summa liberalitate Verbi» [2]). Unde talibus Deus dare solet donum praesentiae huius, de qua agimus, et e contra. Cum enim Sanctus Basilius interrogasset: «Cur quis excidat a iugi recordatione Dei?» Respondet: Si quis sit immemor beneficiorum «Dei, et adversus bene de ipso meritum ingratus «existat» [3]). Merito ergo S. Theodorus Studita nos excitat, ut semper ei agamus gratias, mente fer«vida, et qua par est acrimonia, quo auctiorem eius «benevolentiam paremus» [4]). Et quidem haec gratiarum actio semper deberet esse in nobis, uti monet S. Bernardus, quia semper aliqua beneficia recipimus a Deo, saltem conservationem donorum naturae et gratiae, quae ab eo accepimus: sed cum hoc status huius vitae non permittat, saltem frequentissime versari debemus in actione gratiarum, et

---

[1]) In Epist. II. Cor. hom. II. n. 4 in fine (P. gr. LXI. 398). [2]) «3. p. §. 2». [3]) Reg. brev. tract. CCXCIV (P. g. III. 1290). [4]) Catech. ad discip. ser. XLIII initium (P. gr. XCIX. 507).

fervore in singulis, compensare perpetuitatem, quam non possumus adhibere. Extat pulchra et quasi poetica cogitatio apud Philonem Hebraeum, qui in libro quodam [1]), ex traditione maiorum ait: Deum creato mundo, interrogasse angelos et prophetas, quid sentirent de suo opere; et ab eorum uno dictum esse, hoc solum ad complementum tam magni et perfecti operis desiderari, ut crearetur vox quaedam fortis, potens, harmonica, quae perpetuo omnes mundi partes suo repleret sono; et quae, neque die neque nocte unquam cessaret celebrare laudes, et gratiarum actiones pro incomparabilibus beneficiis tuis... Hoc affectu plenus S. David [2]) ferventer excurrit in gratiarum actiones, pro beneficiis Dei, et ipsas creaturas cum sanctis illis pueris Babylonicis [3]) invitat ad laudandum Deum pro eius beneficiis; et ipsas creaturas, quasi Deum laudantes suis naturis facit: «Coeli enarrant gloriam Dei...» Magis ergo nobis, qui cognitione ad Dei beneficia agnoscenda praediti sumus, incumbit assidua (quantum fas est) gratiarum actio. In qua usque adeo se exercebat N. P. Didacus Martinez, regni Peruani, (ob res praeclare et mirabiliter gestas) appellatus ab incolis Apostolus, ut quotidie quadringentis, interdum sexcentis vicibus (quas globulis rosarii numerabat) haec verba proferret: «Gratiae Deo», vel: «Deo gratias». Et ut alii quoque facerent, eos indu-

[1]) De plantatione Noë. post $^2/_3$ partes hujus libri (pag. 141 t. III. ed. Erlang. 1820). [2]) Ps. CXLVIII. 3, 4, 7, 8, 9, 10. [3]) Dan. III. 51, 59, et sq.

cebat: dicebatque, nullam aliam orationem esse breviorem, atque magis Divinis oculis acceptam, si ex affectu puri erga Deum amoris frequentetur, uti ille frequentabat: nam quotidie ad multorum millium numerum, actus amoris erga Deum, quos eliciebat, perveniebant: uti scribitur in Summario Processus ex Indiis Romam missi, pro impetranda eius canonizatione. Didicerat id a Sanctissima Dei Genitrice Maria, quae, ut scribit S. Bonaventura, «sine intermissione benedicebat Deum: et ne forte in salutatione sua, a Dei laudibus tolleretur si quis eam «salutabat, illa pro salutatione sua, «Deo gratias» «respondebat. Denique primum ex ipsa exit, ut dum «salutantur homines sancti, «Deo gratias», dicant» [1]). Cum ergo, perpetuo Divina percipiamus beneficia, perpetuo in gratiarum actione versemur, praesertim cum per eam ad virtutum studia valde accendamur. Nam, ut ait S. Chrysostomus, si continuo beneficiorum Dei, quae in nostrum genus contulit, recordemur, et ipsi grati erimus, et ad virtutis viam «magna erit exstimulatio. Quippe manifestum, quod «beneficia Dei secum recogitans, operam dat, ne illis «indignus videatur, sed tanti studii et gratitudinis «est, ut et alia consequenter mereatur. Ita liberalis «est Dominus noster, ut quando videt nos bene et «cum gratitudine uti his, quae iam nobis concessit, «ultro nos potioribus maioribusque muneribus cumulet» [2]).

---

[1]) Medit. vitae Chr. c. III. prope finem. [2]) In Genes. hom. XV. n. 5 post initium (P. gr. LIII. 124).

Et quidem tanto diligentius in assidua gratiarum actione occupari debemus, divinorumque beneficiorum aestimatione et recordatione, quanto minus possumus Deo pares gratias referre, obruti magnitudine, et multitudine et assiduitate beneficiorum ab eo tanquam perenni et inexhausto fonte in nos emanantium. Quocirca bene scripsit S. Gregorius Nyssenus: «Existimo, inquit, si per totam vi«tam, orando atque gratias agendo, sermocinationem «cum Deo continuemus, tantum ab ea, quam fieri «par esset, retributione abfuturi simus, quantum si «nec omnino quidem ab initio remunerari benefacto«rem in animum induxissemus. In tres partes spa«tium temporis dividitur: in praeteritum, praesens, «et futurum. In tribus beneficium Domini depre«henditur. Si quod praesens est consideraveris, per «ipsum vivis: si futurum, ille tibi earum rerum, «quae sunt in expectatione spes est: si praeteritum, «non esses, nisi ab illo factus esses. Idipsum quod «natus es, ab illo beneficium accepisti. Ac postquam «natus es, beneficio afficeris, dum per illum et vivis «et moreris, ut inquit Apostolus. Rerum futurarum «spes ex eodem beneficio pendet. Tu vero solius «praesentis compos es. Itaque si vel per omne vitae «tempus gratias agere Deo non intermiseris, vix «praesentis temporis gratiam explebis: cum interim «nullam rationem excogitare possis, qua vel futuri, «vel praeteriti temporis debita compensentur» [1]).

[1]) De orat. dom. or. I. inter init. et med. (P. gr. XLIV. 1123 D).

Quod si haec sola beneficia naturae cum bestiis communia non possumus pari gratiarum actione Deo rependere, quanto minus praestantiora gratiae et gloriae munera et dona? Conemur ergo quantum possumus in gratiarum actione versari, his fere modis gratias agendo:

Primo, pro communibus beneficiis. «Primum, pro «universo terrarum orbe omnibusque commodis gra«tias agimus, inquit S. Chrysostomus: nam etsi «communia Dei beneficia sunt, tamen tu quoque in «communi es salutem consecutus. Eoque nomine, «tum ex privata tua, communem gratiarum actio«nem debes; tum pro communi, privatam Deo lau«dem abs te offerri aequum fuerit» [1]). Talem pro beneficiis communibus actionem gratiarum Christus Dominus appellat «monile sponsae suae». Nam instruens S. Birgittam, quam in Sponsam suam acceperat, quomodo se ornare deberet, ait: «Debet Sponsa «habere signa Sponsi sui in pectore, hoc est, atten«dere beneficia et opera, quae pro te feci. Scilicet «quam nobiliter te creavi, dando tibi corpus et ani«mam. Quam nobiliter te dotavi, dando sanitatem «et temporalia. Quam dulciter te reduxi, cum pro «te mortuus fui, et haereditatem tibi restitui, si vo«lueris eam habere» [2]).

Hoc solemne erat nostro Beato Petro Fabro, de quo sic Orlandinus in vita eius: «Non privata

---

[1]) In Epist. II Cor. hom. II. n. 5 paulo post initium (P. gr. LXI. 398). [2]) Rev. l. I. c. 2 in medio (pag. 5 J).

«solum ut multi, sed communia, ut pauci, Dei be-«neficia, .. grata recolebat memoria; haud ignarus, non «minus propter illa, quam propter haec, divinae se «liberalitati debere. Ac dolebat in id genus beneficiis «non animadverti ipsam bene merentis Dei volun-«tatem. Nam inter homines id usu venire, ut quod «quisque operis moliatur, in eo caeteri attenta inspi-«ciant mente, ecqua ipsorum habita ratio sit: ecqua «memoria, et cogitatio fuerit: quam honorifice, quam «benevole sint accepti. In donis autem muneribus-«que divinis raro quemquam mentem advertere ad «aeternam illam optimi illius et maximi Principis «voluntatem, ad illudque placitum charitatis et digni-«tatis immensae, quo in suis operibus maximis, in «condendo mundo, in redemptione gentis humanae, «in caelesti gloria praeparanda, privatim nomina-«timque ipsum respexit, ac tantopere honoravit» [1]).

Verumenimvero in hac gratiarum actione pro beneficiis communibus, servanda est praeclara doctrina Philonis: «Quoties, inquit, subit tuum animum «voluntas agendi Deo gratias propter mundum con-«ditum, age et pro universo et pro integris eius par-«tibus, tanquam animalis perfectissimi, atque, ut cla-«rius loquar, pro coelo, pro luna caeterisque vel «fixis vel erraticis sideribus. Deinde pro terra, cum «suis animantibus et stirpibus, pro mari, ac peren-«nibus torrentibusque fluviis, et his quae victum in «eis sibi quaerunt. Denique pro aëre ac huius par-«tibus; nam hiems, aestas, ver, autumnus, anni tem-

[1]) Lib. II. c. 2. inter init. et med.

«pora tuendae vitae necessaria, mutationes sunt «aëris, commodae rebus sublunaribus. Quod si «quando gratias agis pro hominibus, id non in genere «tantum fieri oportet, sed speciatim iuxta distinctio-«nes praecipuas: pro viris ac mulieribus, pro Grae-«cis ac Barbaris, pro insularibus aeque ac pro conti-«nentem colentibus. Item si pro uno viro vota facis, «dividenda sunt non in minutias, sed in ea quae «sunt potissima, ut res animi ac corporis, et ratio-«nis atque sensuum. Non est enim ingrata Deo, pro «his singulis gratiarum actio vel deprecatio».

Porro tanto alacrius gratiae sunt agendae Deo pro beneficiis collatis aliis hominibus, quia talis gratiarum actio, est causa ut iisdem nova beneficia conferantur a Deo. Observavit hoc pie S. Chrysostomus, ponderans illa verba Noë, filio Sem impertientis benedictionem, quam non tam ad filium quam ad ipsum Deum dirigebat: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem*. «Hoc forte quis dixerit, «non est benedicere Sem, — imo vero valde benedi-«xit eum. Quando enim Deus benedicitur, et agun-«tur illi gratiae ab hominibus, tunc uberior ab illo «solet istis benedictio dari, propter quos ipse bene-«dicitur. Itaque benedicens Deum, debitorem ipsum «fecit maioris benedictionis, auctorque fuit Sem, «maioris retributionis, quam si ipse per se bene-«dixisset» [1]).

Ad hoc caput referenda est gratiarum actio pro

[1]) In Genes. hom. XXIX. n. 7. in medio (P. gr. LIII. 271).

beneficiis a Deo concessis Humanitati Christi Domini, et Beatissimae eius Matri, ac omnibus aliis Sanctis, tum dum viverent, tum iam beatis. Quod quam acceptum sit et illis Sanctis, et ipsi Deo, nobisque utile, vel hinc potest disci, quod S. Gertrudis audiverit a Domino inter alia mira sibi promissa: «quot vicibus aliquis Deum cum devotione «laudaret, aut gratias ageret Domino pro beneficiis «Gertrudi collatis, tot virtutibus sive gratiis spiri«tualibus Dominus ipsum laudantem vellet ditare, «si non in instanti, certe tamen tempore congruenti» [1]). Idem B. Petrus Faber, ut ibidem scribitur «pro «ipsis quoque beatis hominibus, proque angelis, «plurimum gratulabatur, assidue perpendens animo, «beneficia in eos profecta divinitus, et singillatim «magno sensu gratias de iis, eorum nomine, agens. «Quod sane officium, pro immenso illo gratiarum «agendarum debito, quo sese obstrictos ac pene «oppressos coelites vident, haud dubie ipsis gratis«simum accidit, ac nobis est summe frugiferum. «Denique nullum erat in quemquam divinae monu«mentum beneficentiae, cuius non se debitorem «arbitraretur. Quidquid cuipiam bene eveniret, vice «cuiusque, vicarius omnium, prosiliebat illico ad «benedicendum. Quidquid videret, audiretve, prospe«rum ac laetum, in easdem voces prorumpebat con«fessionis et laudis. Cum villarum amoenitatem, «agrorum foecunditatem, olivetorum speciem, vinea«rum pulchritudinem, oculis, peregrinando lustrabat,

---

[1]) Insin. div. piet. l. V. c. 31. (pag. 792).

«erecta protinus ad Deum mente, pro possessori-«bus ac Dominis gratias agebat» [1]). Hoc S. Chrysostomus docuit: «Aequum est, ut pro aliorum vir-«tute gratias agas» (eadem autem est ratio, de aliis bonis a Deo collatis in alios), «eo quod per alios «nobis multa contingunt bona. Nam si decem iusti «reperti fuissent in Sodomis, haudquaquam passi «fuissent quae passi sunt (Gen. XVIII. 32). Ergo «pro aliena quoque fiducia gratias agamus. Eaque «consuetudo iam olim in Ecclesia plantata est. Sic «et Paulus gratias agit pro Romanis, proque Co-«rinthiis, proque universo terrarum orbe. Neque vero «mihi dixeris: non est hoc meum benefactum; ete-«nim utut tuum non sit, tamen debes agere gratias, «quod tale est tuum membrum. Quamquam et alio-«qui, quod alienum est, tuum facis per gratiarum «actionem, efficerisque coronae particeps, et ob eam «rem capies et ipse donum» [2]).

Secundo. Pro personalibus. Si ingratus est, qui pro communibus beneficiis Deo non agit gratias, multo magis, qui personalium et propriorum ostendit sese immemorem. Hoc in novem leprosis a Christo curatis valde improbabat S. Bernardus: «Heu! heu! non invenitur, qui redeat et agat gra-«tias Deo, nisi hic alienigena: *nonne decem mun-«dati sunt, et novem ubi sunt?* (Luc. XVII. 17), «meministis verba Salvatoris haec esse, novem illorum «ingratitudinem arguentis. Bene siquidem orasse,

---

[1]) Loco superius cit. post med. [2]) In Epist. II. ad Cor. hom. II. n. 5 post init. (P. g. LXI. 398—9).

«obsecrasse, postulasse leguntur, qui levaverunt vo-«cem, dicentes: *Iesu Fili David miserere nostri* «(ibid. v. 13); sed defuit illis quarta, quam adiecit «Apostolus: gratiarum actio — quando non redierunt, «nec egerunt gratias Deo» [1]).

Porro inter personalia beneficia, praecipuum locum obtinent ea, quae S. Bernardus recenset, et gratiarum actione prosequi iubet: «In quotidianis, «inquit, exercitiis et bellis quae nulla hora pie in «Christo viventibus desunt: a carne, a mundo, a dia-«bolo, sicut *militiam esse vitam hominis super «terram* (Job. VII. 1), incessanter experimini in «vobismetipsis, — quotidiana necesse est cantica, pro «assecutis victoriis innovari. Quoties tentatio supe-«ratur, aut vitium subiugatur, aut imminens pericu-«lum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehen-«ditur, aut annosa et inveterata quaecunque animae «passio, semel perfecteque sanatur, aut multum diu-«que concupita, et saepius petita virtus, tandem «aliquando Dei munere obtinetur, quid nisi toties «iuxta prophetam, personet *gratiarum actio, et vox «laudis* (Isai. LI. 3), et ad singula quaeque beneficia «benedicatur Deus in donis suis? Alioquin ingratus «reputabitur cum discussio venerit, qui non poterit «dicere Deo: *Cantabiles mihi erant iustificationes «tuae, in loco peregrinationis meae*... (Ps. CXVIII. «54). Et ad singulos profectus vestros, iuxta ascen-«siones, quas quisque in suo corde disposuit, sin-

---

[1]) Ser. de diver. XXVII. n. 5. (P. l. CLXXXIII. 614D.).

«gula sunt cantica depromenda, ad laudem et gloriam promoventis»[1]). Verumenimvero, suadeo omnibus Deo servientibus ferventer et fideliter, peculiari quodam affectu et efficacia gratae mentis, Deo gratias agere, saltem quater in die. Nimirum: mane in matutina meditatione; deinde ante prandium, in examine conscientiae, vel alio tempore simili; tum tempore sacrificii Missae; denique ante somnum. Praeter alia beneficia divina personalia, uti sunt: conversio ad sanctam fidem, vel ad bonam vitam, vocatio ad statum religiosum vel sacerdotalem, et his similia — gratiarum actione honoranda est divina misericordia pro his beneficiis:

Primo loco, quia te vel ab haeresi ad fidem Catholicam, vel catholicum a vita improba et peccatorum coeno ad vitam meliorem et castam traduxit, et forte saepius, tanquam canem redeuntem ad vomitum, a sordibus peccatorum sacra confessione abluit. Docuit hoc Christus D. S. Birgittam, quam cum accepisset in Sponsam, dixit: Ad Sponsam pertinet paratam esse, quando Sponsus voluerit nuptias facere, ut sit ornata decenter «et munda. Tunc bene mundaris, si cogitatio tua «sit semper circa peccata tua» (hoc est, semper, certis temporibus ad hoc a te destinatis, paulo superius a me commemoratis): «quomodo te in baptismo «de peccato Adae mundavi: quoties in peccata lap«sam, te supportavi et sustinui»[2]).

---

[1]) Ser. in Cantica I. n. 9, 10. (P. l. CLXXXIII. 788 D., 789AB). [2]) Rev. l. I. c. 2. (pag. 5GJ).

Secundo, pro prolongatione vitae et sanitatis. Cum enim, ut ait S. Bernardus, «quamlibet horam nobis «ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, «ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, «miseratio Conditoris indulgeat» [1]), et cum vita haec appelletur a S. Gregorio Nazianzeno, «vita merca«tus [2]), a S. Chrysostomo, tempus seminandi [3]); et «quidem tale, ut die sola liceat pariter et semina «spargare, et messem facere virtutum», ut idem alibi dixit, — eximium Dei beneficium est, diu vivere, et sanitate frui, ad congregandos innumeros thesauros meritorum, innumeras gloriae coronas allaturorum. «Quia enim in hac vita, inquit S. Gregorius Papa, «nobis est discretio operum» (quae plura esse necesse est, ubi est longior vita bene traducta) «erit «in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo «hic alius alium merito superat, illic alius alium «retributione transcendat» [4]).

Tertio, pro humiliationibus praeteritis et praesentibus uti sunt: calumniae, seu falsae accusationes, sinistrae et iniquae interpretationes nostrorum verborum, et factorum, et omissionum, et intentionum, famae denigrationes apud aequales vel inferiores, et his similia, amori proprio immortificato molesta. Magnum enim Dei beneficium est, vel

---

[1]) Ser. de divers. XVII. (De tripl. cust.) n. 3. (P. l. CLXXXIII. 584B.). [2]) Carminum l. I. sect. II. poëma XXXIII. v. 33. (P. gr. XXXVII. 930). [3]) In Gen. hom. XXXIV. n. 3. (P. gr. LIII. 316). [4]) Moral. l. IV. c. XXXVI. n. 70. initio (P. l. LXXV. 677).

saepe vel perpetuo humiliari et deprimi ab aliis, et non promoveri ad gradus et officia speciosa mundi iudicio. Ideo talis status cui contingit Deo permittente, maximum beneficium est, ob ingentes occasiones meritorum, et post mortem altissimae gloriae in coelo consequendae. Sicut enim iudice Christo, *qui se humiliat exaltabitur*, ita quo quis se hic magis humiliat, tolerando res sui humiliativas, magis exaltabitur in coelo, ibique magis sui exaltatione, et virtutibus maioribus, Deum magis glorificabit.

Quarto, pro tali statu (si in eo sis) in quo ob tui accusationes vel infamationes, non possis quidquam expectare pro te honorificum, sed redditus sis plane, iudicio aliorum, ineptus ad omnia honorifica et speciosa officia. Beata est talis anima, quam Deus in tali statu seu conditione collocavit.

Quinto, pro patientia Dei, qua te toties, et alios peccantes toleravit, non punivit statim, etsi id mererēris, diu expectavit ad poenitentiam et conversionem: quod peccatoribus magnum est Divinum beneficium. Sane, pie quaedam sancta et illustris matrona Hispana dicebat, teste P. Martino de Roa: «si divinis attributis aliquod templum a se erigen«dum esset, se velle illud erigere Divinae Patien«tiae» [1]). Loco autem templi, quod semel erigitur, tota vita, a nobis saepius in die offerenda ei est humilis et ardens gratiarum actio.

Sexto. Peculiari affectu age gratias Deo pro te praeservato et liberato a multis malis culpae et

---

[1]) «In eius vita».

poenae, hoc est, a variis casibus adversis et a peccatis, quae non commisisti. Hoc ingens et multiplex Dei beneficium est, a paucis ita aestimatum uti esse deberet. Sane ethnicus, Antoninus imperator agnoscit singulare fuisse Dei beneficium, «quod «occasionibus peccati fuisset subductus».

Septimo. Pro tribus aliis beneficiis divinis veluti generalibus, quibus te affecit et afficit quotidie: *U*num, est divina electio, qua te elegit et separavit a massa infidelium, Iudaeorum, haereticorum, impiorum. *A*lterum, divina providentia, qua te in hac vita veluti circumduxit paterne per varios status, loca, officia, prospera et adversa, in omnibus exhibendo tibi suos coelestes favores. *T*ertium, divina liberalitas, quam ostendit in tot donis naturae et gratiae tibi concessis, et quotidie concedi solitis.

Octavo. Agendae sunt gratiae pro iis beneficiis quae non cognovimus, vel non cognoscimus. «Per «singulos dies, inquit S. Chrysostomus, unusquisque «intra se computet, non tantum communia beneficia, «verum et proprie sibi collata, non tantum omni«bus manifesta, sed etiam multos latentia» [1]), «et, ut «ait alio in loco, quae ignorantibus nobis confert. «Quandoquidem enim pro nostra salute sollicitus «est, multa etiam in nos nescios beneficia confert, «saepe etiam e periculis eripit, atque alia beneficia «praestat. Fons enim est clementiae, sua fluenta «semper humano generi profundens [2])». De B. Petro

[1]) Hom. in Gen. IX. n. 5. (P. gr. LIII. 80). [2]) Hom. in Gen. XXVI. n. 5. ante fin. (P. gr. LIII. 238).

Fabro in eius vita scribit Orlandinus: «Aiebat, inquit, «illa divina beneficia, quae nobis nec petentibus, nec «sentientibus conferuntur, ea in primis gratis animis «agnoscenda, quale est: inter christianos et catho«licos nasci, et per Ecclesiae fidem atque parentum «cum luce in lucem suscipi» [1]). Sed et ea beneficia, quae nobis iam natis, et ad aetatem maturam provectis, occultis modis largitur Deus, gratiarum actione honoranda sunt: saepissime enim sunt maximi momenti, licet a nobis non agnoscantur. Inter ea numerari possunt illa divinae gratiae et providentiae auxilia, per quae nos retinet quodammodo, ne in ea sive loca, sive personas, sive occasiones incidamus, per quas, in damnum aliquod grave, vel animi vel corporis incauti prolaberemur.

Et ut tirones sciant practice, quomodo pro personalibus, hoc est propriis beneficiis a Deo collatis gratias agere debeant, ponam hic formulam gratiarum actionis, quam quidam ex nostra Societate, simplex fraterculus, usurpabat aliquoties in die, a quo eam immediate extorsi. Poterunt alii ad huius imitationem facere meliorem, vel hac uti, mutatis mutandis: «Sanctissime et dilectissime ac dulcissime «Domine Deus et Pater meus, ego tuae divinae «maiestati gratias, in unione meritorum et omnium «actionum D. N. Iesu Christi, pure propter te, pro «his beneficiis, sine meritis meis, immo cum demeritis meis, a te mihi collatis: Pro beneficio creationis et conservationis, redemptionis, sanctae fidei,

[1]) Lib. II. c. 2.

«vocationis ad Societatem, conversionis ad bonam «vitam, tuae patientiae intoleratis, et non punitis «tot meis peccatis, pro liberatione et praeservatione «mei a tot malis culpae et poenae. Pro tua mei «electione et segregatione a tot peccatoribus te non «curantibus, pro divina providentia tua, qua me «hactenus in variis itineribus, locis, occupationibus, «per prospera et adversa direxisti. Pro magna libe-«ralitate tua, quam sine meritis meis, immo cum «demeritis, demonstrasti mihi, in tam multis gratiis «et beneficiis mihi concessis. Pro tribulationibus «variis, a te mihi partim immissis, partim per-«missis. Pro detractionibus, infamiis, accusationibus, «degradationibus, aliisque humiliationibus mei. Pro «pecuniis, quando iis pro tua gloria indigebam, «suppeditatis; pro felici successu negotiorum a me «tractatorum; pro gratia, quam habeo apud homi-«nes, eam non quaerens. Pro bono oris habitu; pro «felicitate exonerandi corpus quotidiana; pro proro-«gatione vitae, memoriae, et sanitatis; pro sanatio-«nibus mei in variis infirmitatibus. Pro beneficiis «hodie mihi collatis N. N., pro beneficiis tuis natu-«ralibus et supernaturalibus, mihi ignotis, et a te «mihi concessis nescienti, non petenti, non deside-«ranti, sed iis indignissimo. Sed maxime pro illo «benevolo tuae divinae dilectionis et misericordiae «erga me affectu, ex quo omnia tua beneficia divina «in me indignissimum hactenus emanarunt. Gloria «Patri et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat in «principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculo-«rum. Amen».

Et sic alia particularia Dei beneficia, etiam minutissima, recolenda sunt, et gratiarum actione prosequenda. Quae gratitudo erga Deum, miram et inexplicabilem conciliat Dei liberalitatem erga eum, qui se ita gratum ei ostendit.

Tertio. Pro adversitatibus et calamitatibus communibus et universalibus. «Et poenae et supplicia, inquit «S. Ioannes Chrysostomus, beneficia sunt, et Dei erga «hominem providentiam declarant, et misericordiae «magis sunt quam poenae . . . Et mens sobria, ac «vigilans non solum cum feliciter res succedunt, sed «etiam quando praeter sententiam nostram omnia «adversa eveniunt, non minus gratias agit, nihilo- «que ex rerum vicissitudine remissior sit, sed magis «roboratur, et ineffabilem Domini misericordiam «considerat, qui cum sit dives et potens, etiam per «res adversas, quamvis hoc intelligere non possi- «mus, suam declarat providentiam» [1]). Nam et has Deus pro bono nostro immittit, seu ut his purget nostra peccata, ne nos in altera vita magis puniat, seu ut a peccatis praeservet, uti facit medicus, praeservando sanos a morbis, dans medicinas amaras, et inurens cauteria. Unde S. Chrysostomus, «quemadmodum, inquit, medicum non solum nu- «trientem, sed et fame excruciantem,... et urentem, «et secantem observamus,... ita etiam oportet Deum «laudare pro omnibus, et cum punit» [2]): sive ut

---

[1]) In Genes. hom. XXVI. n. 1 in med. et 5 ipse finis. (P. gr. LIII. 230 et 238). [2]) In Ps. CXLVIII. n. 3. in medio (P. g. LV. 489).

probet virtutem, quemadmodum probavit Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse erat, ut tentatio probaret te* [1]), dixit Angelus Raphaël Tobiae seniori. Sive ut det occasionem meritorum, et bonorum exemplorum aliis, ut Spiritus S. dicit de Tobia: *Hanc tentationem ideo permisit Dominus venire illi ut posteris daretur exemplum patientiae eius, sicut et S. Iob*)[2], qui tot calamitatibus pressus, quot nullus nostrum unquam premitur, tamen gratias egit Deo: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* [3]). Quam gratiarum actionem S. Chrysostomus ait, «maius bonum esse, quam elee«mosynam dare pauperibus» [4]): et haec verba, dixit, «superare omne sacrificium» [5]). Ideoque talis gratiarum actio pro calamitatibus et adversis, fuse commendatur a S. Basilio [6]). Et hic affectus, ut ait Abbas Isaac apud Cassianum, commendatus est nobis a Christo, dum iubemur dicere: »*Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.* Quod nemo «ex affectu dicere praevalebit, nisi is solus, qui «Deum credit omnia, quae videntur, vel adversa, «vel prospera, pro nostris utilitatibus dispensare «magisque eum pro suorum salute et commodis

---

[1]) Tob. XII. 13. [2]) Tob. II. 12. [3]) Job. I 21. [4]) Hom. ad pop. I. n. 10. (P. g. XLIX. 29). [5]) Fragm. in B. Job. c. I. vers. 21. (P. gr. LXIV. 546B.); in Ps. XLIX. n. 5. (P. gr. LV. 248.). [6]) Hom. in martyr. Julittam. n. 6. (P. gr. XXXI. 251).

«providum atque sollicitum, quam nos ipsos esse «pro nobis» [1]). Et ita S. Leo Papa iubet agere gratias pro sterilitate et mala messe [2]). Et quidem S. Basilius, «tunc uberiores gratias agere vult christia«num, ut qui plane noverit, quia *quem diligit, eru«dit et castigat, flagellat autem omnem filium «quem recipit* [Hebr. XII. 6] [3]). Sic David, mortuo filio parvulo, procul dubio gratias acturus Domino, pro poena (quam ei minatus erat, praedicta per Nathan prophetam morte filioli ob peccata commissa) *ingressus est domum Domini et adoravit* [4]). «Merces calamitatum, adoratio : inquit S. Chrysostomus [5]). Sic docemur facere apud Isaiam : *Et dices in die illa : Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* [6]) Ut autem grato animo accipiamus adversitates omnes, et communes aliis, et nostras proprias, considerandum est, eas accidere ex divina providentia id volente. Unde cum Maria Diatia, magnae sanctitatis femina S. Teresiae familiaris, discipula P. Balthasaris Alvarez, «quodam die co«ram SS. Sacramento tremeret, ac de frigoris seve«ritate quereretur; dixit illi Dominus: «Ego id fa«cio, et tu conquereris?» [7]). Idem nobis dici putemus a Deo, cum nos aliquid adversi sive in cor-

---

[1]) Coll. IX. c. 20. (P. l. XLIX. 793). [2]) Ser. XII. (de Ieiun. I.) c. 3 passim. (P. l. LIV. 171). [3]) Hom. in Ps. XXXIII. n. 1. (P. gr. XXIX. 354). [4]) II. Reg. XII. 14, 20. [5]) In Job. ser. III. n. 3. paulo ante finem (P. gr. LVI. 574). [6]) XII. 1. [7]) Vita P. Alvar. c. X. §. 2. (pag. 111. ed. Col. Agripp. 1616).

pore sive in animo cruciat. Proinde gratias agamus Deo, quia in bonum nostrum talia dirigere dignatur.

Hos imitatus est noster Beatus Petrus Faber, quemadmodum legimus apud Orlandinum in eius vita: «Gratias putabat agendas, easque agebat ex «animo Divinae Maiestati, pro publicis animadver-«sionibus atque suppliciis, pro annonae caritate, et «fame, pro armorum strepitu atque bellorum, pro «terrarum motibus et eluvionibus, pro pestilentia, «pro vastitate, pro aliis denique huiusmodi coelestis «irae flagellis; dolebatque vehementer quod ea ho-«mines non agnoscerent, nec in Dei beneficiis, qui «ea disciplinae gratia immittit hominibus, numera-«rent» [1]). Et ut idem alio in loco, de eodem scribit: «Alienis angoribus angebatur, et magis dolen-«tibus condolebat, quod bonum sui mali, pauci «perpenderent, nec calamitatem a Deo, sentirent «invectam boni sui causa» [2]). Ita, gratitudo Fabri erga Deum, solis beneficiis prosperis non pascebatur, quia erat perfecta gratitudo. Nam, ut ait S. Antiochus, «hoc insigni argumento internoscitur, «qui nihil fucate gratus est, dum inter medias de-«prehensus calamitates, toto pectore gratias agit «Deo» [3]). Porro S. Chrysostomus non tantum pro afflictionibus, ait Deo esse agendas gratias, «sed «etiam pro ipsa gehenna, pro poenis et suppliciis «quae sunt illic, ea enim res valde iuvat eos qui

---

[1]) Lib. II. c. 2. in medio. [2]) Ibid. c. 16. initio. [3]) Hom. CXVII. in medio (P. gr. LXXXIX. 1799).

«animadvertunt. Pro fraeno, metus gehennae impo-«natur cordibus nostris» [1]).

Verum si comparemus inter se gratiarum actionem pro beneficiis prosperis, et aliam pro adversis, haec videtur esse praestantior, authore S. Chrysostomo. Nam, ut ait, «in bonis gratias agens, reddidisti debitum: qui male affectus gloria afficit, «debitum acquirit» [2]). Utilius autem est et gloriosius, Deum acquirere debitorem, quam Deo solvere creditori; Deo dare, quam reddere. Siquidem, ut ait S. Basilius, Deus «gratiarum accionem, quae ab «accipientibus rependitur, loco habet beneficii» [3]). Aliam huius rei causam dat S. Hieronymus: «Christianorum propria virtus est, etiam in his quae adversa «putantur, referre gratias Creatori». Nam «in beneficiis «Dei, quae nobis accedunt, gratulari, hoc et gentilis «facit et Iudaeus... sed iuxta Apostolum, haec virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis, Deo gratiae referantur, et semper dicamus: «Benedictus Deus, minora me scio sustinere quam «mereor: haec ad mea peccata parva sunt: nihil «mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est; «hic crucem suam tollens, sequitur Salvatorem» [4]). Porro hae gratiarum actiones fieri possunt brevissimis orationibus iaculatoriis, sed fiant ferventer. Nam Cassianus de aegyptiis monachis scribens,

[1]) In Epist. II. ad Thess. hom. II. n. 4. (P. gr. LXII. 477—8). [2]) In Ps. IX. n. 1. ante medium (P. g. LV. 122). [3]) Hom. in mart. Julitt. n. 7. (P. g. XXXI. 254). [4]) Comment. in ep. ad Ephes. l. III. c. V. v. 20. (P. l. XXVI. 562D—3A).

ait: «Utilius censent breves quidem orationes» (scilicet privatas), «sed creberrimas fieri: illud quidem, «ut frequentius Dominum deprecantes, iugiter eidem «cohaerere possimus; hoc vero, ut insidiantis diaboli iacula, quae infligere nobis tunc praecipue, «cum oramus, insistit, succincta brevitate vitemus» [1]). De iisdem brevium orationum affectibus saepe iteratis, et operi manuum adiungi solitis, ultra horas canonicas, quas per temporis intervalla recitabant, loquens, dixit: «Preces et orationes per singula mo«menta miscentes, totum diei tempus absumunt... «et plus est id quod incessanter offertur, quam quod «per temporis intervalla absolvitur; et gratius est «voluntarium munus, quam functiones quae cano«nica compulsione» (scilicet horae canonicae obligatoriae) «redduntur; pro hoc quoque David gloriosius «aliquid exsultante, cum dicit: *Voluntarie sacrifi«cabo tibi* (Psal. LIII. 8) et: *voluntaria oris mei «beneplacita sint tibi Domine* [Psal. CXVIII]» [2]).

Similia docet Abbas Isaac: «Frequenter, inquit, «sed breviter est orandum, ne immorantibus nobis, «inserere aliquid possit cordi nostro insidiator ini«micus» [3]). Quem morem commemorat et probat in monachis Aegypti S. Augustinus [4]). Et S. Benedictus monet: «Brevis debet esse, et pura oratio, «nisi forte ex affectu inspirationis Divinae gratiae

[1]) De coenob. instit. l. II. c. 10. finis (P. l. XLIX. 99). [2]) Ibid. l. III. c. 2. (ibid. 115). [3]) Coll. IX. c. 36 initium (P. l. XLIX. 817). [4]) Epist. CXXX. (ad Probam) c. IX. n. 18. et 20. (P. l. XLV. 501).

«protendatur» [1]). Quod, ait Turrecremata, de privata oratione intelligendum esse.

Quocumque ergo beneficio excitetur gratiarum actio, sive dulci, sive amaro, Deo grata est, frequentanda est, meritoque a S. Chrysostomo appellatur: «gratiarum actio, magnus thesaurus, magnae «divitiae» [2]). Et a S. Theodoro Studita, «evidens «Divini amoris indicium» [3]). Qui Sanctus tanti fecit hunc gratiarum actionis affectum, ut dixerit: «Cum «salute nostra molienda complures modos largitus «est Deus, tum unus primusque est: gratiarum actio», idque confirmat Apostoli authoritate: «Ait enim, «inquit, Apostolus: *Primum gratias ago Deo meo «per Iesum Christum pro omnibus vobis* . . . «(Rom. I. 8.) ac nusquam non ostenditur, non agens «gratias. Quin extat et in scala (Climaci) praemitti «gratiarum actionem precibus oportere» [4]). Quod etiam docet S. Basilius [5]).

Quinto. Pro minimis etiam gratiae agendae (quamquam nulla Dei beneficia sunt minima, sed spectata nostra vilitate et indignitate, ac Supremi Numinis infinita Maiestate, omnia sunt maxima), uti monet S. Chrysostomus: «Non pro magnis solum, verum «etiam pro minimis gratiae agendae sunt» [6]). Idque

---

[1]) Regulae c. XX. (P. l. LXVI. 480). [2]) Hom. ad pop. I. n. 11 in fine (P. g. XLIX. 32). [3]) Catech. ad discip. ser. LXXXIX initio (P. gr. XCIX. 625A.). [4]) Ibidem. ser. XXIX initium (Ibid. 547C.). [5]) Constit. monast. c. I. n. 2. (P. gr. XXXI. 1330). [6]) In Matth. hom. LV. (al. LVI.) n. 6 post init. (P. gr. LVIII. 547).

cum magno affectu, uti docet S. Bernardus: «Fe«lix, inquit, si se alienigenam reputans, etiam pro «quibusvis minimis beneficiis, non minimas refert «gratias, gratuitum esse non dubitans, neque dissi«mulans, quod alieno impenditur et ignoto» [1]).

Idem alibi: «Nulla Dei dona, debita gratiarum «actione frustrentur, non grandia, non mediocria, «non pusilla. Denique iubemur colligere fragmanta «ne pereant (Ioan. VI. 12): id est, nec minima «beneficia oblivisci» [2]).

Scribitur in vita B. Baptistae Veranae Franciscanae, Christum Dominum ei dixisse: «Si nun«quam peccavisses, et plures poenitentias faceres tu «sola, quam fecerint omnes Beati, et tot lacrimas «spargeres, ut faceres aliud mare, et tot poenas pa«tereris, quod posses pati; non sufficeret id ad gra«tias agendas mihi, pro minimo beneficio, quod tibi «unquam feci» [3]). Eadem alibi scribitur dixisse: se divinitus intellexisse certo et clare, «Gloriosam Dei «matrem, simul cum tota natura angelica et hu«mana, non esse sufficientem, ad gratias agendas «caritati Divinae, pro creatione unius minimi floris, «qui est super terram, producti pro nostra utilitate; «ob respectum eius infinitae excellentiae et nostrae «vilitatis» [4]). Cum ergo non possimus pro ullo mi-

---

[1]) Ser. de diver. XXVII. «Contra pess. vit. ingrat.» n. 8. (P. l. CLXXXIII. 616A.). [2]) Ser. in Cant. LI. n. 6. initio (Ibid. 1027D.). [3]) Vitae c. VII. n. 61. (Boll. t. XX. pag. 486F.); et Chron. fran. t. II. l. VII. c. 24. (edit. Barth. Cimarelli). [4]) Chron. fran. t. II. l. VII. c. 10.

nimo beneficio Dei, tantas quantas meretur, gratias agere, agamus saltem, quantas possimus: quod etiam in nostram redundabit utilitatem. Nam bene monuit S. Barlaam discipulum Iosaphat, teste S. Damasceno: «An nescis, quod, quemadmodum exiguum «pharmacum, e magnis plerumque morbis hominem «eripit, eodem modo, etiam ob parvas res, Deo gratias agere, bona ingentia conciliat» [1]).

Qua in re excelluit valde noster Beatus Petrus Faber, qui, ut scribit Orlandinus: «non modo ma«gna, verum etiam minima ac tenuiora beneficia,... «nec privata solum, ut multi, verum etiam commu«nia, ut pauci, et quae spectant ad universos, ea «proinde ac sibi uni collata, grata memoria recole«bat. Haud ignarus, non minus propter illa, quam «propter haec, divinae liberalitati se debere». Et infra: «Habebat in ore, in quovis Dei munere, tria «praecipue ponderanda: *quis, quid, quo studio* largi«retur; inde enim fore, ut nullum non magni aesti«maretur. Atque haec nimirum causa est, cur bea«tus ille animus, tanta undique divinorum munerum «copia redundabat: quia cum sit Deus bonitatis «pelagus inexhaustum, non potest eius liberalitatis «fons exarescere, ubi memorem et gratum animum, «quo se effundat ac derivet, invenit» [2]). Quamquam, spectata infinita illa Dei Maiestate, quidquid ab illo derivatur, maximum est. Si dignitas Datoris

[1]) Vita Barl. et Jos. c. XVI. ante finem (P. gr. XCVI. 1003). [2]) Lib. II. c. 2 post initium.

«inspicitur, inquit Thomas de Kempis, nullum da-«tum parvum, aut nimis vile videbitur» [1]).

Quinto. Pro beneficiis futuris etiam gratiae agendae sunt. Qua de re Ambrosius, «tripartitum, ait, «est tempus: praeteritum, praesens et futurum: quo «admonemur, quod nec praeteritorum beneficiorum «Dei, vel praesentium, vel futurorum irrepere debet «ulla oblivio, sed tenax gratiae memoria perseve-«rare» [2]). Hinc Dominus docuit S. Gertrudem, gra-«tias agere pro beneficiis etiam futuris» [3]).

Sexto. Pro iis, quae Deus conferret, si non impediremus nos nostris peccatis effusionem eius beneficentiae. Magnum enim beneficium est habere Deum ita propensum ad benefaciendum nobis, ut, teste S. Chrysostomo, «quemadmodum parturiens cupit eniti foetum, ita ille cupiat effundere misericor-«diam» [4]): et quod, ut Christus Dominus dixit S. Birgittae, «paratior sit dare, quam aliquis petere» [5]) Ex altera parte, cum, uti dicebat S. Pater noster Ignatius, «perpauci sint ac fortasse vix ullus, qui «perfecte intelligat, quantum Deo volenti in eo ope-rari, ipse impedimento sit, quantumque Deus in «nobis efficeret, nisi a nobis ipsis impediretur» [6]), — merito gratiarum actione tenerrima debemus honorare hanc Dei erga nos propensionem, eámque loco

[1]) Lib. II. c. X. n. 5. [2]) De Cain et Abel. l. I. c. VIII. n. 30 (P. l. XIV. 349). [3]) Insin. div. piet. l. IV. c. 25 (pg. 507). [4]) De B. Philogonio (hom. VI.) n. 3 fere in medio (P. gr. XLVIII. 754). [5]) Rev. l. I. c. 15 initio (pg. 25G.). [6]) *Ribadeneira* l. V. c. 10 paulo ante finem (pg. 483).

beneficii habere, (uti solemus hominum benevolentiam erga nos, instar muneris colere) et praevenire Dei laudatione illa beneficia, quae in nos conferret, ni ipsi nostra socordia obsisteremus.

Septimo. Agendae sunt postea gratiae, pro quibus antea non egimus gratias. Ideo Beatus Petrus Faber deplorabat, et suam› [etsi immerito suam, quia, ut ibidem scribit Orlandinus, ‹perpetuo divinorum recordatione munerum replebatur os eius laude, et mens eius semper nova cogitabat argumenta gratiarum‹] [1]) deplorabat, inquam, suam, et caeterorum hominum in retractandis tot Dei donis incuriam: eam sacrificiorum procuratione nonnunquam pie ac naviter expiabat. Ut enim in se, sic et aliis in hunc memorem animum adamabat, immemorem non ferebat [2]). Hanc ob causam idem Beatus Petrus Faber, ut legimus in eadem vita eius, cum beneficia aliis a Deo collata, sensibus se eius obiicerent, actis Deo pro illis, nomine ‹dominorum et possessorum eorum, gratiis, pro eisdem ‹petebat veniam, ne forte sui largitoris obliti, velut ‹abiectae ad pabulum pecudes, unde bona illa acciperent, non sentirent‹ [3]). Merito hac de re vir sanctus fuit sollicitus. Haec enim omissio gratiarum actionis, pro acceptis a Deo beneficiis, occludit fontem gratiarum coelestium, nobis mendicis summe necessarium. Qua de re praeclare disserit S. Bernardus: ‹Omnino movet me, Fratres mei,

[1]) L. II. c. 2. ante med. [2]) Ibid. paulo superius. [3]) Ibid. prope fin.

«quid sibi velit, quod minus erga nos nunc libera-«lis divina clementia videatur, ut quibus tanta con-«tulit non rogantibus, non desiderantibus, imo et «fortasse recusantibus, nunc orantibus, obsecranti-«bus, postulantibus, saepissime, imo continue, mi-«nora videtur negare? Quid enim putamus, caris-«simi? abbreviata est manus Domini, an forte the-«sauri gratiae defecerunt? Quid, inquam, putamus, «utrum voluntas mutata sit, an immutata, facultas? «Neutrum sane de eo aestimare licet. Neutrum fas «est credere de omnipotenti et immutabili Maiestate. «Quid sibi vult ergo, quod incessanter orantes, ob-«secrantes, postulantes, non exaudit, quibus tantam «et tam gratuitam misericordiam praerogavit?» Et post multa: «Ideo, ait, nos non exaudiri, quia «sumus ingrati, quia non agimus gratias Deo pro «beneficiis acceptis» [1]).

Octavo. Pro quibus non tantas egimus antea gratias, quantas deberemus vel possemus, nunc, velut id compensando, agamus. Et quod S. Thomas Aquinas in Prosa illa Ecclesiastica de SS. Eucharistia scriptum reliquit, hoc de omnibus aliis beneficiis usurpare possumus: «Quantum potes, tantum aude, «quia maior omni laude, nec laudare sufficis». Spectata enim infinita Dei Maiestate, et nostra vili conditione, ac demeritis tam multis, singula Dei beneficia, infinitam quodammodo exigunt a nobis gratiarum actionem, cui praestandae impares cum

[1]) Ser. de diver. XXVI. n. 4 ab initio, et n. 5 in fine (P. l. CLXXXIII. 613—4.).

simus, conari debemus, ut quam maximas gratias agamus. Hinc de Beatis in coelo spiritibus scribens B. Laurentius Iustinianus, «omnis, inquit, laudatio, cuncta ipsorum exhibitio gratiarum, votis «eorum impar est: seque ultra se, affectu extendentes, «quantum valent, actu laudant: plus vero affectu, «quam laude perficiunt» [1]). Ideo B. Petrus Faber «commovebatur animo vehementer, quod cum tam «multis variisque modis sese ei divina bonitas clargiretur, non is quoque totum sese Deo dederet et «effunderet». Et id quidem ille prae humilitate et modestia de se sentiebat; vidimus enim eximia argumenta rarae eius adnodum gratitudinis, qua divina beneficia omnia, et communia et propria, et parva, et magna, et prospera, et adversa, prosequebatur.

Nono. Pro iis, quibus abusi sumus, vel non tam bene usi ut possemus, vel deberemus, nostrae vel superbiae, vel negligentiae, vel ingratitudinis vitio, agendae sunt gratiae. Magnum debet esse incitamentum ad significationem grati animi, memoria summae ingratitudinis nostrae, quam abusus beneficiorum Dei, non semel in nobis prodit. Nostro enim vitio fit, ut, quemadmodum ait Spiritus Sanctus, *Creaturae Dei, in odium factae sint, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium* [2]). Quod merito deplorans S. Bernardus: «de magnis, inquit, bonis, mala oriri non «minima solent, cum facti eximii de bonis Domini,

[1]) De casto connub. c. XIX. versus finem (pag. 236 II. t. I). [2]) Sap. XIV. 11.

«utimur donis, tamquam non datis, non damus glo-«riam Deo. Ita profecto, qui maximi videbantur «pro accepta gratia, pro non retributa minimi re-«putantur apud Deum; ... pessimi dixisse debueram. «Nam vere absque dubio, eo quisque pessimus, quo «optimus, si hoc ipsum, quo est optimus, adscribit «sibi, nempe, pessimum hoc. Quod si dicat quis: «absit, agnosco, gratia Dei sum id, quod sum: stu-«deat autem captare gloriolam pro gratia quam «accipit, nonne fur est et latro? Quid nequius servo «usurpante sibi gloriam Domini sui?» [1]).

Decimo. Pro iis quoque prosperis beneficiis, quae in somno percepimus, partim veris partim imaginatis, de quibus somniavimus (hoc est, quae etsi re ipsa non percepimus, tamen somniando, in somniis nos percepisse somniavimus), Deo sunt agendae gratiae. Vera beneficia sunt, quiete dormire, sine ullo morbo, vel dolore, nullis daemonis illusionibus coinquinari, sed illis resistere. «Nonnulli, inquit S. «Ioannes Climacus, in ipsis quoque somnis, acce-«dentes ad se daemones, ignominiis et contumeliis «castigant, impudicasque mulierculas de castitate «admonent» [2]). Ideo S. Augustinus grato animo id coram Deo commemoravit: «Domine memores man-«datorum tuorum, etiam in somnis resistimus». Sic S. Franciscus Xaverius obiecta in somnis spe-

[1]) Ser. in Cant. LXXXIV. n. 2 totus (P. l. CLXXXIII. 1135). [2]) Scala parad. grad. XXVII. circa finem (P. gr. LXXXVIII. 1115 B).

cie mulieris se contingere tentantis, adeo exhorruit, ut magnam sanguinis copiam e naribus profuderit, pudicitiae cultor eximius [1]). Imo inter rara doni castitatis divinitus concessi signa, recensetur concupiscentiae motus et titillationes impurae libidinis, somni tempore non exurgentes [2]). Alia beneficia per somnium imaginata sunt dum contingit nos somniare, quasi oraverimus, Missae sacrificium celebraverimus, vel SS. Eucharistiam acceperimus, vel a periculo aut infortunio aliquo liberati, vel praeservati fuerimus, vel aliquem insignem actum virtutis, in periculosa aliqua occasione per somnum nobis representata, ediderimus. Vel dum, postquam evigilavimus, agnovimus nos liberos esse ab illo infortunio, quo dormientes videbamur oppressi. Sic dum somniavimus nos aliquid male vel indecenter fecisse, et expergefacti agnovimus, non rem sed merum somnium fuisse, id ipsum gratiarum actionem meretur, quod Deus nos praeservaverit, ne re ipsa tale quidpiam indecens committeremus: et his similia, quae si ex gratitudinis affectu, grata memoria recolantur, valde Deo placent, eiusque divinum cor excitant, ad uberiora beneficia in nos conferenda re ipsa, quando videt, ex sincero nostro grati animi affectu, etiam speciem ipsam et umbram beneficiorum eius, grato a nobis animo

[1]) *Tursel.* vitae l. VI. c. 6. (pg. 469. ed. Aug. Vind. et Oenip. 1752). [2]) *Cass.* De coenob. instit. l. VI. c. X, XX, XXII; et Coll. VII. c. 2 (P. l. XLIX. 229. 289, 291 et 669.

acceptari. Praeterea, cum in talibus laetis somniis, solatium quoddam sentire soleamus, hoc solum, exposcit gratiarum actionem, quia verum et reale beneficium Dei est, uti fuit et illud, etsi praestantius, quod Salomoni somnianti contigit [1]). Quamquam et pro rebus tristitiam in somno generantibus, gratiae agi possunt, quia talia somnia, vel ad cautelam, vel ad expianda peccata immittuntur. Dixi, talia immitti ad cautelam, quia, qui vere humiles sunt, et ex instinctu humilitatis, semper se ipsos timent, ex omnibus rebus sumunt occasionem caute procedendi, emendandi emendanda, ac perficiendi perficienda. Ad expianda quoque peccata conducunt talia somnia, a quacunque tandem causa oriantur, dum homines eorum occasione excitant se, divinae gratiae beneficio, ad dolorem de peccatis, quae omnium nostrorum malorum sunt causa.

Undecimo. Agi possunt gratiae, imo debent, si quae vel male facta aut dicta a nobis sunt, scandali tamen aliis occasionem et mali specimen exempli, Dei beneficio non dederunt. Sic noster Beatus Petrus Faber, uti de eo scribit in eius vita P. Nicolaus Orlandinus, «agebat Deo gratias, quod, cum «tam multa, ut sibi videbatur (ex humilitatis affectu), «tot in locis ac circulis deliquisset, nihil tamen «a quoquam, quantum ipse nosset, animadversum «notatumque esset, unde posset offendi» [2]).

Duodecimo. Age quoque gratias Domino, pro

[1]) III. Reg. III. 5. et seq. [2]) Lib. II. c. 12 post init.

beneficiis, quae praestat creaturis irrationalibus, maxime animalibus, in eorem productione, educatione, conservatione, multiplicatione, a contrariis defensione, infirmantium curatione, recreatione. Cum enim haec omnia beneficia praestet benignissimum cor Domini Dei tui, suis creaturis, ex amore paterno erga genus humanum, aequum est, ut nos filii eius, gratitudinis ergo, pro illis ei gratias agamus. Occasiones autem has gratias agendi esse possunt duae: *Prima*, cum nobis non occupatis alia pia cogitatione, incurrunt in oculos. *Secunda*, cum eas videmus se recreare. Exempli gratia, saltantes vel ludentes equulos, haedulos, oviculas, catellos, cantantes aviculas, et his similia. Non potest credi quantopere placeat Deo hic gratitudinis affectus, ex amore eius procedens. Et hic est unus modus practicus, per creaturas ascendendi ad Deum.

Ceterum in omnibus istis actibus, quibus gratias agimus Deo pro beneficiis eius, peculiari studio intendendus est animus ad gratitudinis demonstrationem, i. e. magis ad gratias Deo agendas pro benevolo affectu, quo movet creaturas, ut nobis benefaciant, quam ad ipsum donum et beneficium quod a creaturis percipimus. Quia maius beneficii Dei est, quod Deus tanta Maiestas, tam vilibus et indignis creaturis suis dignetur aliquid velle conferre et benefacere per creaturas, quam ipsum donum eius, ut receptum a nobis. Ideo Deus Pater S. Catharinae Senensi dixit: «Anima quae pervenit ad «statum amoris perfecti, cum a me recipit munera «et gratias, non respicit solummodo donum meum,

«sed oculo intellectus intuetur meae caritatis affec-«tum, qua sibi munus contuli« [1]). Sic fecit S. Daniel Propheta, viso prandio sibi per Habacuc angelica manu portatum, allato: *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te* [2]). Hoc sensu dixit S. David: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* [3]). Sic S. Iob: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos* [4]).

Decimotertio. Agende sunt Deo gratiae pro beneficiis collatis eius inimicis. Hi sunt: daemones, animae damnatorum ad poenas aeternas inferni, haeretici, schismatici, Iudaei, Mahometani, ethnici, catholici sceleste viventes, reprobi ad poenas inferni, ob praevisa eorum scelera ab iis vera poenitentia non expianda, destinati. Cum enim omnes horum classes, magnis beneficiis a Deo affecti fuerint et sint (inter quae est hoc, quod Deus ad infernum detrusos, minus punit quam sint promeriti, et ut theologi loquuntur, punit eos «citra condignum»), et ante suam damnationem et post damnationem, Deo gratias non agant pro perceptis beneficiis; et cum ii qui vivunt in mala fide et vita, aut non agant gratias, aut non tam Deo acceptas, uti sunt gratiarum actiones iustorum, recta fide et vita pia Deum colentium; — ideo ex amore et reverentia erga Divinam Maiestatem, aequum est, ut reddantur a iustis, per modum cuiusdam supplementi et

— — —

[1]) Dialog. c. LXXII. (pg. 99). [2]) Dan. XIV. 37. [3]) Psal. VIII. 5. [4]) Job. XIV. 3.

compensationis, gratiarum actiones. Placet enim valde Deo haec sollicitudo bonorum eius servorum, ex amore et reverentia erga illum profecta. Sic S. Davidi magnopere placuit, humilis deprecatio Abigail bonae uxoris mali Nabal, cum ei iratus esset David [1]), ob male expeditos famulos suos, victus penuria laborantes, et a Nabal subsidium petentes, ob eo negatum iis, non sine convitio et contumelia.

CAPUT XII.

De multiplici sacra Adoratione.

Septimum genus affectuum esse potest, adoratio Dei, et aliarum rerum propter Deum, sed magno cum discrimine: Deo enim debetur adoratio, quae vocatur a theologis *Latria*; B. Virgini *Hyperdulia*; Sanctis aliis, *Dulia*. «Reliquias autem eorum, «inquit Bellarminus [2]), minore cultu veneramur, quam «Sanctos spiritus, nedum quam Deum ipsum, uti «olim respondit S. Hieronymus Vigilantio haeretico, «earum cultum improbanti». Eorum vero imagines non eodem cultu per se, et proprie adorantur, quo ipsum exemplar colitur, inquit Bellarminus [3]), et probat. Itaque nullo modo per se et proprie debetur eis latria (uti nec cruci Christi, nec clavis,

[1]) I. Reg. XXV. totum. [2]) Tomo I. Contr. VII. (de Eccl. triumph.) l. II. c. 2 fin. [3]) Ibid. c. 24 totum.

nec spinis) aut hyperdulia, aut alius, qui debetur naturae intelligenti, sed inferior, et varius, pro varietate imaginum, ut bene dicit Bellarminus [1]), et fuse ostendit in disputatione de adoratione imaginum [2]). Hic positis, dico:

Variis actibus internae adorationis, seu potius honoris, posse pios affectus excitari in mente, et foveri Dei praesentiam:

Primo. Adorando ipsum Deum, tanquam tibi praesentem, et in toto mundo; adorando eum:

Modo in coelo Sanctos Spiritus praemiis afficientem.

Modo in inferno et limbo, iustitiam exercentem.

Modo in purgatorio disponentem animas ad beatitudinem.

Modo in locis et corporibus peccatorum, eos ad poenitentiam expectantem.

Modo in iustis tepidis, eos ad fervorem excitantem.

Modo in iustis ferventibus et sanctis, eorum probitatem gustantem.

Modo in iis locis, in quibus Christus Dominus opera Patris sui et redemptionis nostrae, per tot annos peragebat, ea oculo benigno aspicientem.

Modo in SS. Eucharistiae speciebus existentem per concomitantiam.

Modo in locis in quibus eum offendimus, nostram satisfactionem, pro peccatis commissis praestolantem.

---

[1]) Ut superius. c. 25 initio. [2]) Quaestio VIII. c. 6. et 10.

Modo in tot partibus mundi praecipua, ubique vero communia beneficia praestantem.

Modo in amentibus et usu rationis carentibus, infantibus et adultis, dormientibus, aut nihil meritorium operantibus, eos non abiicientem a suo patrocinio et protectione, sed in ea benigne conservantem.

Secundo. Adora Christi Humanitatem in coelo, et in omnibus SS. Sacramenti speciebus, per tot templa mundi existentem. Et ita S. Franciscus, rogantibus fratribus, ut eos doceret orare, dixit, ut scribit S. Bonaventura: «Cum orabitis, dicite, Pater noster... Et: Adoramus te Christe, ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum» [1]). Sic et noster Beatus Petrus Faber, uti scribit Orlandinus, mirifice venerabatur SS. Christi Humanitatem. «Et, quemadmodum ea, quae sunt in Deo, sunt ipse Deus, ita, quae in Christi Humanitate essent, longe praestantissima atque pulcherrima esse, argumentabatur, ideoque curandum et orandum, ut ad suam nos memoriam dignetur admittere, ut in ea constituti, Deo placeamus, et inde quoque existat in nobis lumen et claritas, unde vicissim contemplari ac diligere ipsum Deum, ac Iesum Christum in aeternum possimus» [2]).

Noster Pater Didacus Martinez, eximiae vir sanctitatis in provincia Peruana, appellatus illarum re-

---

[1]) Vitae c. IV. n. 42. (Boll. t. L. pag. 751).
[2]) Lib. II. c. 3. prope init.

gionum Apostolus, miraculis in vita et post obitum clarus, solebat Christum pro nobis natum, in parvuli Iesu statua, oculis suis in cubiculo perpetuo exposita, centies in die adorare; uti legitur in summario processus, facto pro eius canonizatione, a rege Hispaniarum et clero illius regni, ab Urbano VIII. per literas expetita.

Tertio. Beatissimam Dei Matrem Virginem in coelo, adora et cole omnibus, quibus potes et licet modis; quos capite sequenti enumerabo, et causas varias afferam adorandae Deiparae Virginis Mariae.

Quarto. Sanctos Angelos et Sanctorum animas in coelo; eas praesertim, et modo has, modo illas, quae dum essent in mortalibus corporibus, peculiare aliquod beneficium in Dei Ecclesiam contulerunt. Hanc ob causam Beatus Petrus Faber, ut scribitur in eius vita, B. Gregorium Papam multis amandum et adorandum nominibus dicebat, «sed «hoc praecipue, quod ignis purgatorii doctrinam «tam luculenter dilucideque tradiderit — praecipuo «studio sibi colendum putavit. Existimabat enim, «nisi tam multa pius ille Doctor de mortuorum «animis, qui deportatas hinc maculas igne purgant, «tam disertis verbis atque dilucidis disputasset, fu«turum fuisse, ut minus adhuc multi sua reperiren«tur aetate, uos qmortuorum ulla tangeret miseratio. «Quocirca maiore in posterum studio apud se sta«tuit in eorum commemorationibus atque suffragiis, «eius meminisse Doctoris; atque id ipsum praedi«care ubique et commendare, ut, qui in hunc pii «esse vellent, eadem opera officiosi essent in mor-

«tuos; et qui in hos essent officiosi, eodem vicissim «pietatis officio, tanti Pontificis vota, et piam eius «apud Deum commendationem expeterent» [1]). Merentur hunc cultum coelestes illi Spiritus angelorum et hominum, tum ob gradum summae felicitatis, quem assecuti sunt, tum ob beneficia in nos collata, et conferenda, quibus magis et libentius afficiunt eos, a quibus honorantur magis et coluntur. In beata enim fruitione Dei (ut eorum statum pulchre describit B. Laurentius Iustinianus), «in Verbo «aspiciunt intelligentiae oculo, et recipiunt ab ipso «universarum notitiam creaturarum, per ideas, quae «in ipso sunt... Hunc intuentes librum, omnium, in «momento sciunt creaturarum virtutes, causas et «effectus. Animae rationalis excellentiam, naturae «perspicatiam, intelligentiae profunditatem, et lumen «in Verbo agnoscunt gloriae. Naturae quoque an«gelicae contemplantur in ipso dignitatem, essentiae «subtilitatem, liberi arbitrii facultatem, et discre«tionis personalitatem, virtutes et officia singulorum, «et (quod his omnibus est mirabilius), eiusdem na«turae divinae Verbi et humanae evidentissime in«telligunt sacramentum: ad quantam provecta sit «gratiam ipsa Humanitas, maxima cum iucunditate, «mentis acie cernunt: se in ipso vident et ipsum «in seipso, et omnia in ipso. De hoc Verbi con«vivio nimia exuberantium pascuntur laetitia vo«luptatum. Experiuntur completum esse, quod ve«ritas in carne passibili Patri dixerat: *Pater quos*

[1]) Lib. II. c. 17 ad finem.

«*dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint* «*mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti* «*mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mun-*«*di... Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati* «*in unum.* (Ioan. XVII. 24, 23). Haec in Verbi «visione, et sapientia econtemplatione. De bonitatis «autem et divinae caritatis torrente, quis valet edi-«cere, quis capere, quid hauriant Sancti, qualemque «hinc concipiant dilectionis affectum? Proximorum qui-«dem anhelant salutis desiderio, videntes illos in «plorationis loco inter innumeros mortis laqueos «graviter laborare. Clamant, ne deficiant: orant, ut «vincant, et percipiant, quod ipsi possident: quate-«nus divina laus ex laudantium aggregatione augea-«tur, et divina imago in eis non pereat, atque ipso-«rum accidentalis cumuletur gloria. Eo quidem ho-«rum amplius accenduntur desideriis, quo in cari-«tate perfectiores sunt. Pro seipsis quanto exultant «tripudio quo uruntur affectu: qua perfruuntur lae-«titia, nemo intelligit, cum se fluctuantis saeculi pro-«cellas, et teterrimum inferni chaos, atque intolera-«bilia poenarum genera evasisse cognoscunt; cum «se in tanto felicitatis culmine positos, in regia di-«gnitate confirmatos, aeternaliter sciunt. Resolvuntur «dulcedine, gaudio liquefiunt, caritate languent, et in «gratiarum se ineffabiliter dilatant actione... Omnium «quae laudabiliter gesserunt, cunctarumque suarum «illi gratias referunt victoriarum. Hoc expressit Io-«annes cum diceret: *Et adorabant viventem in sae-*«*cula saeculorum, et mittebant coronas suas ante* «*thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus no-*

«ster *accipere gloriam et honorem et virtutem* (Apoc. IV. 10, 11)... De ipso quoque divinae bo-«nitatis torrente inenarrabilem suavitatem hauriunt, «cum tam singulariter, tantoque se vident amore «diligi, atque delectabilis vinculo caritatis amplecti. «cum se supernae Hierusalem cives esse conspiciunt. «Cum gloriosissimorum triumphis militum participes «fiunt: cum Angelorum sanctorum aequales esse «merentur: cum Humanitati Verbi similes, cum di-«vinae naturae consortes se esse intuentur dignos: «ponunt ante mentis oculos (sine timore tamen) uni-«versa, quae ex divinae bonitatis miseratione eva-«serunt pericula: cuncta absque rubore, quae com-«miserunt, scelera: omnia sine dolore, quae passi «sunt, supplicia: ut iucundius valeant Domini mi-«sericordias in aeternum cantare. Ardent ex his, «dulcis amoris flamma: caritatis nimiae calore flam-«mescunt, atque (ut sic dicam) quasdam rutilant ex «se dilectionis scintillas: unde aliquam in seipsis «reportant imaginem caritatis. Sed cum suae con-«templationis aciem in *luminum Patrem* dirigunt, «*apud quem nulla est transmutatio, nec vicissitudi-«nis obumbratio:* ipsumque originale principium sine «principio esse intelliguntm; irabili detinentur stupore. «Ab illo autem, tanquam a fontali omnium bono-«rum plenitudine emanare cernentes cunctarum dona «creaturarum: nec non ad ipsum universorum affec-«tus, modulatas laudes, actionesque gratiarum re-«fluere, veluti ad mare flumina, nec tamen redundare, «quandam admirationis soliditatem, et fruitionis irre-«flexibilitatem concipiunt, a qua vehementi appre-

«hensionis dulcedine in aeternum non divelluntur. «Ex hac contemplationis specie, Sanctorum animae, «quae in aeterna iucundantur felicitate, quoddam «in se deiforme exemplar repraesentant, et similli-«mam imaginem Trinitatis... Haec est perfecta glo-«ria Sanctorum, per Verbum et cum Verbo regnan-«tium» [1]); ob quam merentur multiplicem adorationem et cultum.

Quinto. Reliquias eorum per tot templa mundi adora. Sic S. P. N. Ignatius docens applicationem «sensuum ad meditationes transactas, iubet in spiritu osculari vestimenta personarum sacrarum, quarum meditamur actiones et verba [2]). Adoratio autem earumdem reliquiarum est quiddam simile osculis sacris, animo transmissis ad lipsana spirituum Beatorum. Merentur hanc adorationem, nam, ut ait S. Chrysostomus, «Sanctorum non modo corpora, «sed ipsi loculi et monumenta spirituali gratia con-«ferta sunt» [3]). Si Daniel Propheta orans, convertebat faciem versus templum Hierosolimitanum a se procul distans [4]), ita et nos decet mentem convertere ad colenda corpora Sanctorum, quae, adhuc peccatis obnoxia dum viverent, appellata sunt ab Apostolo *templum Spiritus Sancti* [5]): quanto magis nunc a peccatis libera?

Sexto. Adora imagines miraculis celebres in va-

---

[1]) De casto connub. c .XIX. sub finem (pag. 236. col. I, II et 237 I. tomo I). [2]) Exer hebd. II. dies 1-a contempl. 5. punc. 4. [3]) In S. Ignat. M. n. 5 sub fin. (P. gr. L. 595). [4]) Dan. VI. 10. [5]) I. Cor. VI. 19

riis mundi partibus collocatas. «Imaginis enim honor, inquit S. Basilius et alii Sancti Patres, ad exem-«plar primum refertur» [1]).

Septimo. Adora imagines quae occurrunt nobis in locis, quae incolimus, publicis vel privatis in locis appensae, aut depictae. Qua in re excelluit magna sanctitate praeditus Pater Iacobus Ledesma laudatus a Patre Sacchino [2]). Nam hic Pater Ledesma totum suum cubiculum circumquaque simplicibus sacris imaginibus ornaverat, et adorationis causa identidem eas circumeundo, singulas osculabatur [3]). Nos eius exemplo, saltem adoratione interna eas honorare possumus, ob Dei gloriosi in Sanctis suis reverentiam et amorem, et in detestationem haeresum, cultui sanctarum imaginum detrahentium; et, dum non videmur ab aliis, vel caput coram eis aperiendo, vel modice inflectendo.

Octavo. Adora loca omnia in quibus Christus Dominus fuit, opera nostrae redemptionis peragens, ea deosculando in spiritu: uti faciendum monet S. P. N. Ignatius in «secunda hebdomada», tradens modum applicandi sensus ad praeteritas meditationes [4]). Qua ex re, indicat fieri in nobis maiorem accessionem devotionis, vel alterius boni. Nam, ut ait apud Theodoretum S. Simeon Eremita, «ii, qui «ardenter amant, non solum eos, qui amantur desi-«derant, sed etiam illis loca grata sunt et iucunda,

[1]) De Spirit. S. c. XVIII. n. 45. (Pg. XXXII. 159). [2]) Hist. Soc. par. II. l. I. n. 64, 65. [3]) «Valtr. Hist. M. S.» [4]) Loco sup. cit.

«in quibus ii fuerunt praesentes, et in quibus versati «sunt» [1]). Et S. Chrysostomus: «Qui amat, non eum «tantum videre desiderat quem amat, sed vel solam «eius domum, sed et vestibulum, neque vestibulum «tantum aedium, sed vel angiportum, vel vicum, et «si vel vestem vel calceamentum viderit eius quem «amat, ipsum se videre arbitratur quem amat.»

Nono. Honora ipsum pavimentum, quod calcant alii, quasi vestigia pedum eorum, pio quodam interno affectu honorando, ob respectum et reverentiam Dei, cuius proximi nostri sunt imago, et Christi, cuius sunt membra, et Spiritus Sancti, cuius sunt templum, teste Apostolo [2]). Quibus affectibus adiungenda est profundissima humiliatio tui, quod sis indignus calcare eorum vestigia: quae devotio solet esse causa maximae pietatis, et fervoris et Deo summopere placet; et commendatur a Sancto Patre nostro Ignatio, loco paulo ante citato. Sic S. Catharina Senensis, beneficii loco reputabat osculari vestigia sacerdotum transeuntium, maxime eorum qui se animarum conversioni impendebant, uti sunt concionatores et confessarii.

Decimo. Honora intimo affectu cubicula superiorum et confessariorum praeteritorum, dum ea transis, ob amorem et reverentiam Dei, cuius vices obeunt, et obiverunt; et hoc valde acceptum est Deo.

Undecimo. Loca illa, quae incolunt praedestinati, ad complendam extrinsecam Dei in coelestibus cho-

---

[1]) Relig. hist. c. VI. post med. (P. gr. LXXXII. 1362B). [2]) I. Cor. VI. 19.

ris Curiae Coelestis gloriam, sed magis ipsos praedestinatos, uti grata tabernacula Dei, et membra Christi, et templa Spiritus Sancti.

Duodecimo. Honora loca, in quibus Sancti eliciunt mente, et elicuerunt exterius, actus heroicos, vel passi sunt pro Deo. Qui actus adorationis faciendi sunt breviter, sed magna cum teneritudine affectus ferventis, ex puro Dei amore, quod sit motivum eorum, seu Deus ipse, pure propter se amatus amore benevolentiae, et speciatim propter hunc respectum, quia in talibus creaturis peculiari modo Divina Maiestas glorificabatur, et in aliquibus adhuc glorificatur. Replent autem tales breves affectus incredibiliter devotione eximia et magno fervore animam, et gustu Deum. Ideo tales breves affectus suadebant olim Sancti, et in more habebant; ut scribit Cassianus [1]), et S. Augustinus [2]), S. Chrysostomus, S. Thomas [3]), S. Climacus [4]), et commendat Abbas Isaac apud Cassianum [5]); et ipse S. Chrysostomus Cassiani magister, dicens: «Oportet orantem non longos extendere sermones, et iugiter orare» (loquitur de oratione, ut petitio est et ut diversa est a meditatione proprie sumpta), «breves enim et frequentes orationes fieri Christus «et Paulus praeceperunt, parvis ex intervallis. Nam

[1]) De coenob. instit. l. II. c. 10 in fine (P. l. XLIX. 99). [2]) Epist. CXXX (ad Probam) c. 9. (P. l. XXX. 501). [3]) II. II^{ae} q. CLXI. a. 2. ad 2. [4]) Scala parad. gr. XXVIII post initium (P. gr. LXXXVIII. 1131B). [5]) Coll. IX. c. 36 initium (P. l. XLIX. 817—18).

«si sermonem in longum extenderis, in negligentiam «frequenter lapsus, multam diabolo subrependi fa«cultatem dederis, supplantandi atque abducendi co«gitationem ab his quae dicuntur. Si vero continuas «et crebras orationes facias, totumque tempus inter«polans frequentia, facile poteris esse sobrius et vigi«lans, et ipsas orationes, cum multa facies solertia» [1]). Et alibi: «Nec mihi quispiam dicat, quod nequeat «homo saecularis, affixus foro, continue per diem orare, «potest enim quam facillime et affixus tribunali. «Ubicumque sis, potes altare tuum constituere si «mentem tantum ferventem exhibeas, orationis per«fectionem consummaveris. Ubicumque sis, ora: tem«plum es, ne locum quaeras. Non enim Deus locum «veretur, sed unum exquirit, fervidam mentem et «continentem animam» [2]).

CAPUT XIII.

De multiplici Adoratione et Cultu B. V. Mariae.

Merito cultu *hyperduliae* adoranda est Beatissima Virgo Maria, tanquam Dei Mater, sanctitate et gloria superans omnes Beatorum spirituum angelicos, et humanorum choros, innumeris beneficiis, omni hominum statui collatis summe commendata. Ideoque merito a Sanctis celebrata, eximiis laudi-

[1]) De Anna, ser. II n. 2 ante finem (P. gr. LIV. 646). [2]) Hom. LXXIX. ad pop. (pag. 405 I C. et 406 II C. ed. Paris. 1583.)

bus, et cultu multiplici honorata. «Quis Deum non «honoret in Virgine, inquit B. Laurentius Iustinianus, qui Virginem, Dei voluit esse Genitricem, reparatricem saeculi, lucem mundi, speculum sanctitatis, fidei magisterium, peregrinationis solatium, immaculatum templum, et foederis arcam divinis manibus fabricatam? pudicitiae ornamentum, virginitatis gratiam, humilitatis formam, exemplar continentiae, sapientiae thronum; magistram virtutum, «decus bonorum, laetitiam Angelorum, omnium Sanctorum merita transcedentem, quam universa supernorum civium multitudo veneratur, colit et «laudat» [1]). Quae, ut idem alibi ait, «est paradisi scala, ianua coeli, daemonum fuga, interventrix «mundi, peccatorum spes, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei et hominum «verissima mediatrix» [2]). In quam, ut dixit S. Ildephonsus, «quod per partes aliis datum est, tota «simul venit... gratiae plenitudo [3]); quam, ut veram suam Matrem ostenderet, verum se hominem «patiendo tormenta monstravit. Quam sic Deus «exaltavit, inquit S. Anselmus, ut omnia secum possibilia esse donaverit: ut si illa velit, nequaquam fieri non poterit». Quae, ut ait S. Thomas, totam sibi hauserat Spiritus S. gratiam» [4]). Unde

[1]) Ser. in Nativ. Gl. V. Mariae (pag. 78 I. t. II). [2]) Ser. in Annunt. B. M. V. (pag. 42 II. t. II.). [3]) Ser. III. de Assumptione B. M. Virg. ante med. (P. l. XCVI. 256A). [4]) Catena aurea. Ad Lucae c. I. v. 47.

merito a Sancto Ioanne Damasceno appellatur «gratiarum pelagus, et conceptaculum potentiae di-«vinae [1]); sanctitatis thesaurus, et officina immen-«sorum bonorum, omnem mentis captum et intelli-«gentiam superantium [2]); gratiae abyssus» [3]). Cui, teste S. Bernardo, «data est omnis potestas in «coelo et in terra [4]); et nihil est impossibile, cui «possibile est desperatos in spem beatitudinis rele-«vare» [5]). Quae, ut habet S. Gregorius Thaumaturgus, «supercoelestis laetitiae vas est, atque receptaculum: «et per quam gaudium omni dispensatur creaturae, «genusque humanum antiquam dignitatem recupe-«rat» [6]). In qua, ut vult S. Bernardus, «Deus totius «boni plenitudinem posuit, ut proinde si quid spei «in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab «ea noverimus redundare... Totis ergo medullis cor-«dium, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, «quia sic est voluntas eius, qui totum me habere «voluit per Mariam» [7]). Est enim, inquit S. Epiphanius, «Sponsa Trinitatis, coeli et terrae mediatrix,

[1]) Hom. IX. (de Dorm. B. V. M. II.) n. 16 in fine (P. gr. XCVI. 743—6 D A); et hom. VIII. (respective I.) n. 13. (Ibid. 719A). [2]) Hom. VIII. (de Dorm. I.) n. 1. (Ib. 699A). [3]) Hom. IX. (resp. II.) n. 2 prope fin. (Ibid. 726C). [4]) In antiph. «Salve Reg. ser. I. n. 1. (P. l. CLXXXIV. 1061C). [5]) *S. Petrus Damianus*, Ser. XLIV. (sive I. de Nat. B. V. Mariae). prope fin. (P. l. CXLIV. 740B). [6]) Hom. II. in Annunc. B. V. M. post init. (P. gr. X. 1158A). [7]) Ser. in Nativ. B. M. V. n. 6. 7 (P. l. CLXXXIII. 441BC).

»et thesaurus dispensationis plane arcanus« [1]). »Coeli »fenestra, ut inquit S. Fulgentius, et scala coelestis, »quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mercantur ascendere ad coelos« [2]). Quae est, ut ait S. Ildephonsus, signaculum fidei nostrae, quam, velut ignis ferrum, Spiritus S. totam »decoxit, incanduit, et ignivit, ut in ea Spiritus S. flamma tantum videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris« [3]). »Quae est, ut scribit S. Cyrillus episcopus Alexandrinus, pretiosa margarita orbis »terrarum, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, »sceptrum orthodoxae fidei, templum indissolubile, »continens eum, qui nusquam contineri potest: mater et Virgo, per quam Trinitas sanctificatur, per »quam crux pretiosa celebratur et adoratur in toto orbe terrarum; per quam exultat coelum, laetantur Angeli et Archangeli; fuganter daemones et »homo ad coelum revocatur, per quam omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum Baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum extructae sunt ecclesiae. Qua adiutrice gentes veniunt ad »poenitentiam, per quam unigenitus Dei Filius, vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris et umbra »mortis; per quam Prophetae praenuntiarunt, »per quam Apostoli salutem gentibus praedica-

[1]) Hom. V. (In laudes S. M. Deiparae) prope initium (P. gr. XLIII. 490A). [2]) Ser. de laude Mariae (appendicis XXXVI). in medio (P. l. LXV. 899B). [3]) Ser. I. de Assumpt. B. V. M. post init. (P. l. XCVI. 212B).

«runt» [1]). De qua Deus Pater haec dixit S. Catharinae Senensi: «Mariae, unigeniti Filii mei Genitrici «Gloriosae concessum est a bonitate mea, propter «incarnati Verbi reverentiam, quod quicumque iu«stus vel peccator, qui recurrit ad eam cum devota «reverentia, nullo modo diripietur, vel devorabitur «ab infernali daemonio. Nam ipsa est a me velut «esca dulcissima collocata, et electa pro capiendis «hominibus, et animabus praecipue peccatorum» [2]). «Illa est, ut orans dicebat S. Catharina Senensis, tem«plum Trinitatis, portatrix ignis: administratrix mi«sericordiae, germinatrix fructus,... mare pacificum, «donatrix pacis, terra fructifera, planta nova, de «qua habemus florem odoriferum, Verbum videlicet «unigenitum Dei... Currus ignis: quae vestivit ignem «absconditum et velatum sub cinere suo, qui cinis «est nostra humanitas. Vas humilitatis, in quo vase «viget et ardet lumen verae cognitionis; quo lu«mine levavit se supra se, et ideo placuit aeterno «Patri, et sic illam rapuit, et traxit ad se amore «praecipuo, diligendo eam ipso lumine et igne «caritatis suae». Et infra: «Maria facta est liber, «in quo est descripta regula nostra, in ea enim «hodie» (i. e. die Annuntiationis) «est descripta Sa«pientia Patris aeterni. In ea hodie ostenditur «dignitas, fortitudo et libertas hominis» [3]), cui

[1]) Hom. XI. post init. (P. gr. LXXXII. 1031D. passim). [2]) Dial. c. CXXX in med. [3]) Oratio XI. ab initio et inter init. et med. (Vide ibi reliqua pulcherrima pro meditatione, pro concione, et pro colloquio spirituali. [Nota auct.]).

quidquid necessarium est et utile, Deus praestare potest, et solet per Mariam; quae, ut ait Bernardus, «est magnifica gratiae inventrix, mediatrix salutis, restauratrix saeculorum, reverenda Angelis, Patriarchis Prophetisque praecognita, electa ex omnibus, praelata omnibus, exaltata supra choros Angelorum [1]), eorum Domina et Mater, et regina coeli [2]), Domina, advocata et mediatrix nostra [3]), Regina misericordiae, Domina mundi, Regina coelorum, Virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen coecorum, iustorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatrix, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis,... cui data est potestas in coelo et in terra, et in cuius manibus vita et spiritus nostri,... quae Christianis dat escam gratiae (qua plena est) in tempore opportuno... virtutum auctrix, et scientiarum scientia sanctarum; quia sicut sol universa coeli lumina praecellit praerogativa claritatis eximiae, sic ipsa totam rationalem creaturam (post Filium) praecellit splendore virtutis ac scientiae [4]); quae plus multo gratiae divinae accepit, quam Apostoli [5]); lignum vitae, quod solum dignum fuit portare fructum salutis; virga sublimis, verticem sanctum sublime erigens, usque ad

[1]) Epist. CLXXIV. n. 2 (P. l. CLXXXIII. 333B). [2]) «S. de lament. Mar.» [3]) De adventu Dom. ser. II. n. 5 (P. l. CLXXXIII. 43). [4]) In antyph. «Salve Reg.» ser. I. n. 6. et 1. (P. l. CLXXXIV. 1065AB et 1061C). [5]) Super «Missus est» hom. III. n. 2. (P. l. CLXXXIII. 72A).

«Dominum maiestatis [1]). Hortus conclusus, sancto-«rum areola aromatum a coelesti consita pigmen-«tario, virtutum omnium speciosis floribus delecta-«biliter vernans; tribus praesertim, quorum odore «suavissimo totam domum Domini replet: viola hu-«militatis, lilio castitatis, rosa caritatis... Paradisus «Dei est, quia lignum vitae mundo protulit, de quo qui manducaverit, vivet in aeternum [2]). Haec est, «quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem «omnium impetravit... Longitud o misericordiae eius «usque in diem novissimum invocantibus eam sub-«venit universis. Latitudo eius replet orbem terra-«rum, ut eius quoque misericordia plena sit omnis «terra. Sublimitas eius, civitatis supernae invenit re-«staurationem. Profundum eius sedentibus in tene-«bris et umbra mortis, obtinuit redemptionem. Per «eam enim coelum repletum, infernus evacuatus est, «instauratae ruinae coelestis Hierusalem, expectan-«tibus miseris vita perdita data» [3]) «Mariae virgi-«neae lampadis irradiata fulgore, ipsa iam coelestis «patria clarius rutilat [4]). In Maria habitavit Pater «et Filius, ut Creator in Mundo, Imperator in Re-«gno, Paterfamilias in Domo, Pontifex in Templo, «Sponsus in Thalamo [5]). In Maria Angeli laetitiam, «iusti gratiam, peccatores veniam invenerunt in ae-

[1]) De Adventu Dom. ser. II n. 4. (Ibid. 43A et 42D). [2]) De B M. Virgine sermo paneg. n. 4. (P. l. CLXXXIV. 1012A). [3]) In Assump. B. M. V. ser. IV. n. 8 (P. l. CLXXXIII. 429). [4]) Ibid. ser. I. n. 1. (Ibid. 415B). [5]) Ser. de B. M. V. n. 2 (P. l. CLXXXIV. 1015D).

«ternum. Merito ergo in illam respiciunt oculi to-«tius creaturae, quia in illa, benigna manus Omni-«potentis quidquid creaverat recreavit» [1]). Non mirum, *Quia in illa habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter.* Et ideo incredibile non est, quod scripsit S. Antoninus [2]), citans S. Anselmum dicentem non posse damnari, quem Maria respicit suis misericordibus oculis: et quod S. Bonaventura [3]) ait: non esse ullum peccatorem ita desperatum, cui non obtineat salutem Maria, si recurrerit ad eam pro auxilio; et quod ipsamet SS. Virgo Maria dixit coram S. Birgitta: «Ego, quantumcunque homo peccat, si «ex toto corde et vera emendatione ad me rever-«sus fuerit, statim parata sum recipere revertentem» [4]). Et alibi: «Nullus est tantus peccator, nec in tam «vili opere positus, quin, si invocaverit me in ad-«iutorium ego iuvabo eum» [5]). Et: «Ego exhibeo «gratiam meam omnibus eam in necessitate ha-«bere volentibus» [6]). Haec est, «in qua vexilla vir-«tutis effulserunt, in qua tota Maiestas Deitatis «versatur [7]), quae inter omnia opera aeterni Opificis, «post operationem illam, quae naturae nostrae uni-«tus est Filius eius, speciale opus fuit Dei, qui ad «hoc illam fecit, ut quod de primo opificio fuerat

[1]) In festo Pentec. ser. II. n. 4. (P. l. CLXXXIII. 328B). [2]) Parte IV. tit. XV. c. XIV. §. 7. [3]) «In stim. p. 3. cap. 15». [4]) Revel. l. II. c. 23 initio (pag. 141G). [5]) Ibid. l. VI. c. 116 (pg. 571K). [6]) Ibid. Extravag. c. LXXX (pag. 783H). [7]) *S. Hildef.* De partu Virg. in fin. (P. l. XCVI. 223B).

deformatum, per Mariam reformaretur [1]), tanquam per generis humani bonum» [2]) «et virgam consola-«tionis» [3]), «quam Deus sibi sacravit templum pudo-«ris, honestatis, puritatis» [4]), «quae fuit pretiosus to-«tius orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona «virginitatis» [5]); «in cuius utero confectus est commu-«nis nostrae libertatis libellus, in cuius ventre ad-«versus diabolum fabricata sunt arma, quae est «templum, in quo Deus ipse factus est sacerdos, «naturam non demutans, sed eum qui est secundum «ordinem Melchisedech per misericordiam induens» [6]). «Illa est quae signum sacrae virginitatis extulit et «intemeritatae virginitatis pium Christo vexillum «erexit» [7]); «est novus liber in quo inenarrabili modo «Deus Verbum citra omnem manus operam, inscrip-«tus est» [8]) «illa universos martyres (immo et sanctos «omnes) tantum excedit, quantum sol reliqua astra» [9]). «Est nutrix sanctitatis, cuius lacte omnes qui unquam «fuerunt eruntque iusti et sancti aluntur» [10]), «est ma-

---

[1]) *Idiota*, De B. Virg. c. IV. init. [2]) *S. Greg. Naz.* Christ. patiens, v. 2431 (P. g. XXXVIII. 326). [3]) Ser. XL inter med. et fin. (P. l. CXLIV. 721C). [4]) *S. Ambr.* De inst. virg. c. V. n. 33 (P. l. XVI. 328). [5]) *S. Cyrill. Al.* Hom. diver. XI. post init. (P. g. LXXVII. 1031D. [sed alia versio]). [6]) *S. Proclus* Or. I. de laud. S. Mariae c. III. (P. gr. LXV. 683B). [7]) *S. Ambr.* De inst. virg. c. V. n. 35 (P. l. XVI. 328). [8]) *S. Joan. Damasc.* Hom. II. in Dorm. B. V. M. n. 16. (P. gr. XCVI. 746A). [9]) *S. Basil. Seleuc.* Orat. XXXIX. (de Annunc.) n. 5 initio (P. gr. LXXXV. 442C). [10]) *S. Bonav.* Psalterium B. M. V. Ps. XVII.

«ter perpetua virginum» [1]); «est arca sacramentorum «Dei,... in qua intus omnis custodia legis et manna «fuit» [2]). «Orthodoxae fidei expressa imago» [3]), «rectae fidei sceptrum et norma, renovatio rerum antiquarum» [4]), «pulchritudinis diadema» [5]), «corona virginitatis, sceptrum rectae doctrinae». «Sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideo microcosmos, sic in reformatione mundi in Maria collecta est omnis Ecclesia, et Sanctorum perfectio, unde microcosmos Ecclesiae dici potest. Quidquid in quolibet Sancto illustre fuit, in illa fuit. In illa «patientia Iob, mansuetudo Moysis fides Abrahae, «castitas Joseph, humilitas David, sapientia Salo«monis, zelus Eliae» [6]). «Illa est cuius praesentia to«tus illustratur orbis, adeo, ut ipsa iam coelestis «patria clarius rutilet, virgineae lampadis irradiata «fulgore» [7]). «Illa est scientiarum sanctarum scientia» [8]), «fax fidelium« [9]). «Cuius cor fuit clarissimum speculum

[1]) *S. Hier.* Advers. Jovin. l. I. n. 31. (P. l. XXIII. 265D). [2]) *S. Hildef.* Ser. I. de Assumpt. B. M. V. (P. l. XCVI. 246—7). [3]) *S. Proclus*, Orat. VI (de laud. S. Mariae) c. XVII in fine (P. gr. LXV. 758). [4]) *S. Germ. Const.* Or. VI (in Praes. B. V. II) post med. (P. gr. XCVIII. 315B [sed alia versio]). [5]) *S. Andr. Creten.* Orat. IV. (in Nativ. B. V. M.) paulo post initium (P. g. XCVII. 863C). [6]) *B. Thom. a Villan.* De Nativ. B. V. M. conc. III. prope fin. [7]) *S. Bern.* Ser. I. in Assump. B. V. M. n. 1. (P. l. CLXXXIII. 415B). [8]) *Idem*, In antiph. «Salve Reg.» ser. I. n. 2. (P. l. CLXXXIV. 1062A). [9]) *S. Methodius M.* Ser. de Simeone et Anna c. X. paulo post init. (P. gr. XVIII. 371C. [sed alia versio]).

«passionis Christi et perfecta mortis eius imago» [1]). «Illa est ager in qua thesaurus Angelorum, imo «Dei Patris absconditus est, unde felix qui vendit «omnia quae habet, et emit agrum illum» [2]). «Est sem- «per vigens immortalitatis paradisus in qua lignum «vitae plantatum, cunctis immortalitatis fructus sup- «peditat: haec virginum gloriatio et matrum iubila- «tio» [3]). «Hortus conclusus deliciarum, reparatio vitae, «ianua coeli, decus mulierum, fastigium omnium vir- «ginum» [4]). «Esca hami, in qua spiritualis fuit hamus, «Divinitas» [5]); «umbraculum Spiritus S.» [6]), «laus mar- «tyrum, norma principum, iustitia regum». «Haec «Virgo purissima, chyrographum abolevit decreti, «et protoparentum abstulit opprobrium; quaerenti «saeculo stillicidia gratiae irroravit, et ipsum foe- «cunda ditavit fruge, et pereunti ac aquarum dilu- «vii inundanti, portum salutis aperuit». «Ipsa non so- «lum in plenitudine sanctorum detinetur, sed in «plenitudine sanctos detinet, ne eorum plenitudo «minuatur; detinet nimirum virtutes ne fugiant, de- «tinet merita ne percant, detinet daemones ne no- «ceant, detinet Filium ne peccatores percutiat» [7]), «est

[1]) *S. Laur. Just.* De triumph. Chr. ag. c. XXI. inter med. et fin. (pag. 413 II. t. I). [2]) *S. Bonav.* Specul. B. M. V. lect. VII. plenitudo 7. [3]) *S. Greg. Thaum.* Ser. II. de Annunt. B. V. M. post init. (P. gr. X. 1159B). [4]) *S. Hildef.* Ser. I. de Assump. B. V. M. prope init. (P. gr. XCVI. 212B). [5]) *S. Epiph.* Hom. V. (de laud. B. M. V.) post init. (P. gr. XLIII. 490D). [6]) *S. Method.* Ut supra c. XIV. (ut supra, pag. 382B). [7]) *S. Bonav.* Specul. B. M. V. lectio VII. plenit. 6.

«columna nubis, quia tanquam nubes protegit ab «aestu divinae indignationis, protegit etiam ab aestu «diaboli et tentationis; est columna ignis, illuminans «nos, imo illuminans mundum multis suae mise«ricordiae beneficiis» [1]), «est gloriae radix» [2]). «Coelum «et terra iam dudum ruissent si non Maria preci«bus sustentasset. Illa est officina medicinae aegro«tantibus, fons perennis curationum» [3]). «Recte velleri «comparatur, de cuius fructu salutaria populis ve«stimenta texuntur. Vellus plane Maria est; siquidem «de molli eius sinu agnus egressus est, qui et ipse «matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne «enim peccati vulnus, Christi lana suffunditur, Chri«sti fovetur sanguine; et ut sanitatem recipiat, Chri«sti indumento vestitur» [4]). «Haec est credentium fir«mamentum, et piorum perfectum exemplum» [5]). «Est «vitis semper vigens, quae animas eam glorifican«tium laetificat» [6]). «Huic Reginae servire, regnare est, «et inter illius mancipia numerari, plus quam re«gnum». «Nomen Mariae renascentibus, salutare vir«ginitatis insigne, pudicitiae decus, collegium san«ctitatis, virtus hospitalitatis». «Maria mare est: gratia «affluendo et amara Filio compatiendo, diabolum

[1]) *S. Bonav.* Spec. B. V. M. lectio III. post medium. [2]) *S. Epiph.* Hom. V. (in laud. B. V. M.) non procul ab init. (P. gr. XLIII. 491A). [3]) *S. Damasc.* Hom. in Dorm. B. V. M. n. 17. (P. gr. XCVI. 746B). [4]) *S. Ambr.* Ser. V. n. 7. (P. l. XVII. 635). [5]) *S. Greg. Thaum.* Ser. II. de Annunt. B. V. M. post init. (P. gr. X. 1159B). [6]) *Idem,* Ser. I. de Annunt. post med. (P. gr. X. 1151B).

«submergendo, quemadmodum mare Rubrum ama-«rum fuit Aegyptiis in ipso submersis» [1]). «Illa est «paradisus deliciarum, totiusque amoenitatis, lignum «vitae, clavis regni coelestis, fons totius consola-«tionis» [2]). «Nemo est cui donum concedatur, nisi per «Mariam castissimam, nemo est, cuius misereatur «gratia, nisi per honestissimam Mariam» [3]). «Haec «est flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium «convallium, per cuius partum mutatur natura pro-«toplastorum, deletur et culpa» [4]).

Finiam sermonem de laudibus Sanctissimae Virginis Mariae Dei Matris, quae in virginitate sua et Dei maternitate continet omnia dona, quae purae creaturae a Deo summe amatae, et supra omnes creaturas in terra et in coelo exaltatae concedi poterant, quae a nullo mortalium recenseri et explicari possunt. Nam, ut bene ait S. Joannes Damascenus: «Etiamsi omnes hominum toto orbe dispersorum linguae in unum coëant, non possent eius «laudes oratione consequi, cum ipsa omnium enco-«miorum leges excedat» [5]. Imo «cui praedicandae, «nec Angelorum laudes sunt satis» [6]). Eo quod «eius

[1]) *S. Bonav.* Spec. B. M. V. lect. III. «Maria amarum mare» initio, et n. 3. [2]) *S. Ephr.* Ser. IX. (de laud. Dei Gen. M. II.) n. 4, 5, 6 (pag. 438, t. IV. ed. Caillau.). [3]) *S. Germ. Const.* Or. IX. (De zona et fasc.) post medium (P. gr. XCVIII. 379B). [4]) *S. Aug.* Ser. suppos. CXCIV (de Annunt. II.) n. 1. (P. l. XXXIX. 2105). [5]) Hom. IX. (in Dormit. B. V. M. II.) ipsum init. (P. gr. XCVI. 722C). [6]) *S. Epiph.* Or. V. (de laud. B. V. M.) non procul ab init. (P. gr. XLIII. 487B).

«perfectio soli Deo cognoscenda reservata est» [1]). Ideo «solius Dei est, eam pro dignitate laudare» [2]). Nec mirum: quia, ut bene docet S. Thomas: «Beata «Virgo, ex hoc quod est Mater Dei, habet quandam «dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est «Deus, ita ut ex hac parte non possit aliquid fieri «melius ea, sicut non potest aliquid melius esse «Deo [3]). Ideo «soli Deo cognoscenda reservatur eius perfectio» inquit S. Bernardinus Senensis [4]); «Unde sequitur, Dei tantum esse, laudare eam pro «dignitate, qui, iis quibus novit rationibus in ea «fecit miracula», ut ait Andreas Cretensis [5]).

Nunc accedamus ad tractandos modos colendi Sanctissimam Dei Matrem. Sed cogor hoc loco dicere cum S. Methodio: «Si Arcae quae sanctitatis tuae imaginem tantum in se gerebat, tantus a Deo honos habitus fuit, ut nemini, nisi sacerdotali dignitate ad illa, «quae in ipsa recondita erant cognoscenda, ingressus «concederetur: velo, quod eidem obtendebatur, tanquam reginae cuiuspiam vestibulum distinguente «custodienteque: quis tandem, et qualis venerationis «cultus a nobis, qui minimi sumus, tibi debetur? «Tibi, inquam, quae vere Regina es, quae vere Legislatoris animata arca: quae vere capax coelum, ad Deum, «qui nusquam alioqui capi potest, recipiendum facta?» [6]).

[1]) *S. Bernardin. Senen.* T. II. ser. 51. art. c. 1 sub fin. [2]) *S. Andr. Cret.* Or. XIII. (de Dorm. B. V. II.) in fine (P. gr. XCVII. 1090). [3]) I[a] q. 25. a. 6. ad 4. [4]) Loco sup. citato. [5]) Orat. XIII (de Dorm. B. V. II.) in fine (P. gr. XCVII. 1090). [6]) Ser. de Sam. et Anna (sive de Purif. B. V.) c. V. in med. (P. gr. XVIII. 359A).

Dicendum tamen mihi est de modis colendi nostram et coeli Reginam ac Matrem. Ego, ne actum agam, nolo hic commemorare modos diversos colendi Beatissimam Dei Matrem Mariam, ab aliis pie et diligenter tractatos, — quibus hos addo, quos in aliis recentioribus authoribus, dum haec scriberem, non legi, nec vidi, sed postea aliquos, aliter tractatos ab aliis reperi.

Primus modus. Dum solus es, vel etiam cum aliis et non es impeditus locutione aut alia re simili, quae totam mentis tuae attentionem exigat, salutationes illas, in Ecclesia solitas, offer Beatae Virgini, dum audis in templis, mane et in meridie, et vesperi ad eam salutandam quotidie pulsari. Ea intentione id ad singulorum templorum pulsum faciendo, ut si forte alii tunc non salutaverint Beatam Virginem prope illud templum manentes, tu eorum vices suppleas; vel si illi eam salutant, te quoque illis associes: siquidem, ut ait S. Ambrosius, «multi... minimi dum congregantur unanimes, fiunt magni, et multorum preces impossibile est, ut non impetrent» [1]). Nam, ut ponderans illa Christi verba: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est* [2]), S. Cyprianus scripsit: «Si duo «unanimes, tantum possunt, quid si unanimitas apud «omnes esset?... Iam pridem de divina misericor«dia impetrassemus, quod petimus, nec tamdiu in

[1]) In Epist. ad Rom. c. XV. v. 30, 31 (P. l. XVII. 186—7). [2]) Matth. XVIII. 19.

«hoc salutis et fidei nostrae periculo fluctuaremus [1]). «Si unius oratio, inquit S. Chrysostomus, tantam «vim habet, longe magis eam, quae ore multorum «proveniat, valere consentaneum est» [2]), idque ibi probat exemplis.

Alter modus colendi Beatam Virginem, qui mihi vehementer placet, est ille, quem tradidit ipsa Sanctissima Virgo Maria, his ipsis verbis S. Birgittae: «Sic laudare debes me:

Primo. «Benedictus sis tu Deus Creator omnium, «qui in uterum Mariae Virginis descendere digna«tus es.

Secundo. «Benedictus sis tu Deus, qui cum Ma«ria Virgine esse, sine gravamine voluisti, et de ea «immaculatam carnem, sine peccato sumere digna«tus es.

Tertio. «Benedictus sis tu Deus, qui ad Mariam «cum gaudio animae eius et omnium membrorum «venisti, et cum gaudio omnium membrorum eius «sine peccato de ea processisti.

Quarto. «Benedictus sis tu Deus, qui Mariam Virginem Matrem tuam post Ascensionem tuam «crebris consolationibus laetificasti, et per te ipsum, «eam consolando visitasti.

Quinto. «Benedictus sis tu Deus, qui corpus «et animam Mariae Virginis Matris tuae in coelum «assumpsisti, et supra omnes Angelos iuxta Deita-

---

[1]) Epist. VII. c. 3 fin. (P. l. IV. 248). [2]) De incompr. Dei nat. hom. III. n. 6 (P. g. XLVIII. 726).

«tem tuam honorifice collocasti. Miserere mei pro-«pter preces eius» [1]).

Hinc apparet, non placere Beatae Virgini talem eius cultum, quo illa sola colitur, multis precibus ad eam directis, vix autem Deus, etsi id fiat quaerendo eius intercessiones ad Deum. Utrumque enim fieri debet; sed plus ad Deum, et ferventius.

Tertius modus Sanctissimam Virginem colendi, est traditus ab ea S. Gertrudi, per oratiunculam hic ponendam, «Ave candidum lilium...», quam si quis devote diceret, promisit se appariturum in exitu animae ipsius:

«Ave candidissimum lilium fulgidae semperque «tranquillae Trinitatis, rosaque praefulgida coelicae «amoenitatis, de qua nasci, et de cuius lacte pasci, «Rex coelorum voluit, divinis influxionibus animas «nostras pasce [2]).

Quartus modus scribitur in «Spiritualibus gratiis» [3]) S. Mechtildis, a Beata Virgine edoctae; situs est, in recitanda salutatione Angelica, cum certa oratione hic afferenda, quem modum servanti B. Virgo, promisit se ei in hora mortis adfuturam.

Recitato primo «Ave Maria», subiicies hanc oratiunculam:

«O Domina mea Sancta Maria, sicut Deus Pater «per omnipotentiam suam, te potentissimam effecit, «ita mihi quaeso adsis, nunc et in hora mortis meae, «expellendo a me omnem contrariam potestatem».

---

[1]) Revel. l. I. c. 8 totum (pag. 12). [2]) Insin. div. piet. l. III. c. 19 (pag. 224—5). [3]) Spir. grat. seu Revel. l. I. c. LV. n. 1 (pag. 117. ed. Cracov. 1639).

Secundae salutationi subdes:

O Domina mea S. Maria, sicut Filius Dei «tanta te cognitione et claritate dignatus est, ut totum coelum illumines, ita nunc et in hora mortis meae animam meam cognitione fidei sic illustres «et corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia per«vertatur».

Post tertiam salutationem dicas:

O Domina mea Sancta Maria, sicut Spiritus S. «suum amorem tibi plene infudit, ita tu nunc et «in morte mea dulcedinem amoris divini mihi in«stilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur sua«vissima».

Quintus modus cultus, maxime acceptus B. Mariae, est, ex amore erga Deum, cui illa cupit quam maximam gloriam, et quem illa amat magis quam ulla pura creatura, — imitari eius virtutes, per quas Deus maxime glorificetur in coelo et in terra, et in quibus maxime resplendeat fructus Passionis, et meritorum Filii eius dilectissimi: cuius merita, illa cupit quam maxime dilatari in animabus, ab eo tam pretioso sanguine redemptis; quem sanguinem cum eius meritis non vult esse otiosum, sed quamplurimis, et quam maxime utilem et salutarem. Sicut enim Deus magis probat cultum sui per opera quam verba, unde dicit: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est;* [1]) ita et B. Virgo, magis se coli vult vita

[1]) Matth. VII. 21.

sancta, ob Dei gloriam ad eius imitationem instituta, quam per preces multas sine bona vita; qualis non reperitur in multis, qui multa rosaria recitant, et vix aliquod aliud opus bonum faciunt. Bene enim ait B. Laurentius Iustinianus: «Tunc veraciter Sanc«tos colimus, cum eorum vitam conversando imita«mur» [1]). Et, ut S. Augustinus monuit: «Ab eis, Sanc«torum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui «ipsorum exempla sequuntur... ut imitari non pi«geat, quod celebrare delectat» [2]). Et haec SS. Virginis imitatio, non tantum verum, eique acceptum cultum continet, sed eius quoque patrocinium conciliat. «Si enim tanquam bonus et devotus filius, «eam in omnibus pro posse studueris imitari, inquit S. Bonaventura, tunc procul dubio te sibi tanquam «matri veraciter exhibebis, et ipsa te tanquam suum «filium veraciter adiuvabit, et quae digne ab ea pe«tieris, tibi dabit, et in omnibus tibi necessariis ad «salutem simpliciter ministrabit, et tandem in coelesti «gloria te apud se feliciter collocabit». Quod ultimum etiam S. Ambrosius promisit: «Quicunque sibi «Mariae optat proemium, imitetur exemplum» [3]). Itaque, qui maxime vult colere SS. Virginem Mariam, imitetur eius intuitu, ad Dei maiorem gloriam, humilitatem illius, obedientiam, castitatem, devotionem, patientiam, vitam exemplarem, et irreprehensibilem,

---

[1]) Ser. in festo OO. Sanct. (ad calcem) (pag. 94 II t. II. [2]) Sermo appendicis CCXXV. n. 1. (P. l. XXXIX. 2161). [3]) De virgin. l. II. c. II. n. 15. (P. l. XVI. 222).

conscientiam ab omni peccato mundam, modestiam exteriorem, morum gravitatem, mansuetudinem, passionum dominium, amorem proximi et Dei ardentissimum, conformitatem cum divina voluntate in omnibus adversis, amorem crucis, zelum gloriae divinae, intentionem rectam in omnibus dictis et factis, affectiones omnes puras et coelestes, summam considerationem et circumspectionem in loquendo, omnes corporis motus et gestus sanctimoniam redolentes, ab omni levitate et fastu et impuritate alienissimos. Haec enim magis illi placent, quam multa rosaria: quanquam et haec illi placent; sed non aeque ut illa.

Sed praestat videre quae virtutes in Beatissima Virgine Maria fuerunt S. Birgittae divinitus ostensae, et ab aliis Sanctis commemoratae, quas in ea potissimum imitari debeamus:

«Omnia temporalia ei erant quasi mortua... «Divina charitate erat ardens, et fervida interius et «exterius... fuit in ea humilitas... timor... obedien«tia... patientia... stabilitas, mititas; quia mitis est, «dare omnibus petentibus... misericordiam in ne«cessitatibus... Non fuit virtus aliqua in aliquo, «quin ipsa hanc eandem virtutem haberet excellen«tius... nulla macula peccati unquam inveniri in ea «poterat» [1]). Et alio in loco: «Sensus et intellectus «Virginis in coelorum celsitudinem frequenter ascen«dens, Deum constanter per fidem apprehendebat, «et dulcissima charitate suaviter amplexabatur, et

[1]) Rev. l. I. c. 31. (pag. 46 M. 47 AC).

«hanc charitatem cum rationabili spe et divino timore «firmissime tenuit, per ipsam charitatem ita inflam- «mans animam propriam, quod velut ferventissimus «ignis, in Dei amore flagrabat. Hic etiam Virginis «sensus et intellectus, corpus eius ad obsequendum «Deo subiecit... Ita cibum et potum temperabat, «quod propter aliquam superfluitatem a Dei servi- «tio nequaquam ipsam retraxit ulla segnities: nec «propter immoderatam parsimoniam, ad agenda sua «unquam fiebat imbecillis... Temperantia vigiliarum «ita corpus suum moderabatur, quod propter somni «brevitatem nullo tempore, quo ipsam vigilare opor- «tuit, aliqua torpebat gravedine. Nec propter sopo- «ris nimietatem statuta vigiliae tempora in minimo «puncto breviabat... Laborem et corporalem adver- «sitatem, et transitoriam corporis felicitatem, aequa- «nimiter ferebat; de corporis adversitate non dolens, «et de eius felicitate nequaquam exultans... Mun- «danae divitiae velut foetidissimum lutum ei vile- «scebant... mundanam gloriam audire sic abhorre- «bat, sicuti corruptum aërem, qui suo foetore mul- «torum vitam breviter extinguit... Omnia Deo «placentia in corde suo reputabat dulcissima: illa «quoque felle amariora, quae Deo erant odiosa et «contraria... Erat ex charitatis virtute ita roborata, «quod in nullo opere bono tabescebat... Videntes «eam devoti, et quanto fervore illa Deo famulaba- «tur, ad Dei honorem ferventiores efficiebantur. In «his autem qui ad peccandum pronissimi erant, ex «eius verborum et gestuum honestate, statim peccati

«fervor extinguebatur quamdiu ipsam conspiciebant» [1]). Et alibi: «Frequenter timebat propinquorum coha-«bitationem, ne ipsorum prosperitas vel adversitas «ipsam ad obsequendum Deo efficerent graviorem. «Omnia per legem divinam vetita, iugi commenda-«bat memoriae, cum omni attentione ea devitans... «Ipsius lingua nunquam movebatur ad locutiones «inutiles: eius honestissimi oculi ad respiciendum «aliquid non necessarium, nequaquam fuerunt levati: «aures eius ad ea solum erant intentae, quae ad «Dei gloriam pertinebant: manus et digitos non nisi «ad propriam, vel proximi sui utilitatem extende-«bat: pedes suos, quantum ad unum passum moveri «non sinebat, nisi prius discussisset, quae utilitas inde «proveniret. Desiderabat omnes mundi tribulationes «gaudenter sustinere: incessanter desiderabat, ut Deo, «qui sibi erat charissimus, ab eius anima, pro sua «creatione honor et gaudium redderetur. Eius vo-«luntas in nulla unquam bonitate defecit» [2]). Et alio in loco: «Nihil volebat nisi Deum, nihil desidera-«bat nisi secundum Deum... Verba et affectiones «animae eius fuerunt ardentes interius divina intelli-«gentia, et exterius splendentes et dispositione lau-«dabili motuum eius corporalium, et concordantia «pulcherrima eius virtutum... Omnis intentio et ope-«ratio eius flectebatur ad voluntatem Dei... Con-«stantia conscientiae eius et fidei, nunquam tepuit,

[1]) Ser. angelicus c. XIII. passim (pag. 725 — 6).
[2]) Ser. ang. c. XIV (pag. 726 M, 727 ACE).

«nec in tribulatione potuit vitiari» [1]). Et ipsamet dixit S. Birgittae: «Ego quippe in charitate Dei «tam ardens eram, quod nihil mihi placuit, nisi per«fectio voluntatis Dei» [2]).

S. Bonaventura ex S. Hieronymo refert, «Bea«tam Virginem a mane usque ad tertiam, orationi«bus institisse, a tertia usque ad nonam, textrino «opere (seu labore manuum) se occupasse... deinde «escam accipere solitam... Fiebat ut in vigiliis «inveniretur prior, in sapientia legis Dei eruditior, «in humilitate profundior, in carminibus Davidicis «elegantior, in charitate gloriosior, in puritate pu«rior, in omni virtute perfectior. Erat constans et «immobilis... Eam irascentem nullus vel vidit vel «audivit. Omnis sermo eius ita erat gratia plenus, «ut cognosceretur in lingua eius Deus. Semper in «oratione et descrutatione legis Dei permanebat. «Et erat sollicita circa socias suas, ne aliqua ex eis «in ullo sermone peccaret, ne aliqua in risu vocem suam exaltaret, ne aliqua in iniuriis aut in super«bia contra parem suam excresceret. Sine inter«missione benedicebat Deum» (ac proinde, etiam dum laboribus manuum se occuparet) «et, ne forte in salutatione sua a Dei laudibus tolleretur, si quis eam salutabat, illa pro salutatione sua: «Deo gratias», respondebat. Denique primum ex ipsa exiit, «ut dum salutantur homines sancti, Deo gratias,

[1]) Rev. l. V post Interrog. IX. revel. 4 passim (pag. 406 K 407 ACE). [2]) Ibid. l. III. c. 8 (pag. 167 H).

«dicant» [1]). Haec S. Bonaventura retulit, putans a S. Hieronymo vitam SS. Virginis esse descriptam, quod recentiores negant. Utut est, vera sunt haec omnia, et merito B. Virgini Mariae adscripta.

Sed praestat audire ipsam B. Virginem suas virtutes referentem S. Birgittae, ut pro modulo nostro eas imitemur: «Ego, inquit, a principio cum «audirem et intelligerem Deum esse, semper sollicita «fui et timorata de salute et observantia mea. Cum «autem audissem plenius, ipsum Deum esse Creato«rem meum et Iudicem de omnibus actibus meis, «intime dilexi eum, et omni hora timui, et cogitavi, «ne eum verbo vel facto offenderem: et proposui «firmiter in animo meo, nihil nisi ipsum diligere, «et amara mihi erant mundana vehementer. Post «haec, audito quod ille idem Deus redempturus esset «mundum, et nasciturus de Virgine, tanta circa eum «charitate affecta fui, quod nihil nisi Deum cogita«bam, nihil volebam nisi ipsum. Ego elongavi me «quantum potui a colloquiis et praesentia parentum «et amicorum. Et omnia quae habere potui dedi «indigentibus. Nihilque nisi victum tenuem et vestitum «reservavi. Nulla mihi, nisi Deus placuerunt. Ego «semper in corde meo optavi, ut viverem ad tem«pus nativitatis eius, si forte fieri mererer ancilla «indigna Matris Dei. Vovi etiam in corde meo, si «esset ei acceptabile, observare virginitatem. Nihil «unquam possidere in mundo... Post praesentationem «in templo regressa domum, ampliori quam prius

[1]) Medit. vitae Chr. c. III ad calcem.

«ardebam amore Dei, et novis quotidie inflammabar «aestibus et desideriis amoris. Propterea plus solito «ab omnibus me elongavi, et fui sola noctibus at- «que diebus, timens vehementissime ne os loquere- «tur, vel auris audiret aliqua contra Deum meum, «vel oculi mei viderent aliqua delectabilia. Timida «quoque fui in silentio, et multum anxia, ne forte «silerem ea, quae magis loqui debuissem» [1]). Et alio in loco: «Ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium «pertransiturum animam meam, et Filium meum po- «situm in signum cui contradicetur, gravius perfo- «rabat cor meum dolor iste, qui, usque dum assumpta «fui corpore et anima in coelum, nunquam defuit «in corde meo, licet ex consolatione Spiritus Dei «temperabatur» [2]). Et alibi: «Ego, quae sum mater «Dei, ita humilis sum nunc in corpore meo» (in coelo), «quod est supra omnia quae creata sunt ex- «altatum, sicut tunc fui, quando Ioseph desponsata «eram... Imo eadem humilitas est nunc in Filio «meo, in potentia Deitatis suae, sicut tunc fuit, «quando reclinabatur in praesepio inter duo ani- «malia» [3]).

Et, ut scribitur in libro «Insinuationum divinae pietatis», Beata Virgo Sanctae Gertrudi, Sacrum in quo communicatura erat audienti, «imposuit pectori «monile quoddam splendidissimum, quod habebat,

[1]) Rev. l. I. c. 10 initio (pag. 16 ED). [2]) Ibid. l. VI. c. 57 (pag. 524 GJ); et Sermo ang. c. XIX post medium (pag. 732 B). [3]) Ibid. l. VII c. 25 (pag. 614 FD).

«quasi cornua septem, et in quolibet cornu gemmam «quandam preciosissimam, per quae, significabantur «praecipuae quaedam virtutes, quibus B. Virgo Do«mino placuerat. Per primam itaque gemmam figu«rabatur alliciens puritas: per secundam, fructifi«cans humilitas: per tertiam, fervens desiderium: «per quartam, luminosa cognitio: per quintam, «inextinguibilis amor: per sextam eminens delecta«tio in Deo: per septimam, pacata tranquillitas» [1]). Quae, ut ait S. Bernardus, «fuit fortis in proposito, «temperans in silentio, prudens in interrogatione, «iusta in confessione» [2]).

Sed ante omnes virtutes primo loco imitanda est in Deipara puritas conscientiae, libera ab omni peccato: quia, ut de ea scripsit S. Anselmus, «ea «puritate nitebat, qua maior sub Deo nequit intel«ligi» [3]). Hinc sacrum Concilium Tridentinum post alios SS. Patres ait, «eam tota vita vitasse peccata «omnia, etiam venialia ex speciali Dei privilegio, «quemadmodum de ea tenet Ecclesia» [4]).

S. Ambrosius sic eius virtutes commemorat: «Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, «quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affec«tum. Corde humilis, verbis gravis, animo prudens: «loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto «divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: «intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis

[1]) Lib. IV. c. 12 (pag. 451). [2]) De diversis, ser. LII. (alias IX. ex Parvis) n. 4 init. (P. l. CLXXXIII. 675 D). [3]) De conceptu virg. c. XVIII (P. l. CLVIII. 451 A). [4]) Sess. VI. can. 23.

«solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum «laedere, bene velle omnibus, assurgere maioribus «natu, aequalibus non invidere, fugere iactantiam, «rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel «vultu laesit parentes? quando dissensit a propin- «quis? quando fastidivit humilem? quando derisit «debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita «coetus virorum invisere, quos misericordia non eru- «besceret, neque praeteriret verecundia. Nihil torvum «in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu in- «verecundum. Non gestus fractior, non incessus «solutior, non vox petulantior: ut ipsa corporis «species, simulachrum fuerit mentis, figura probi- «tatis» [1]).

S. Ioannes Damascenus dicit: «Apud Iosephum «sponsum, sacra et prorsus intaminata puella commo- «rabatur, domi se continens, eorumque quae ante «fores gererentur, nihil omnino cognitum habens» [2]). S. Odilio: «Unum profecto scimus, quod omnis «Mariae actio semper intenta fuit in Domino» [3]). S. Ignatius Martyr: «Maria Iesu... in afflictionibus «est hilaris» (tunc enim adhuc vivebat) «in penuriis «et indigentiis non querula, iniuriantibus grata» [4]). B. Mechtildi revelatum est: «Prima virtus in qua «Virgo nata et infans se singulariter exercuit, fuit

[1]) De virginite l. II. c. II. n. 7 (P. l. XVI. 220). [2]) De Obdorm. B. V. M. orat. I n. 6 ipse finis (P. gr. XCVI. 710 A). [3]) Ser. XII (de Assump.) inter medium et initium (P. l. CXLII. 1024 A). [4]) Epist. ad S. Joan. Apost. (P. gr. V. 941—2 B).

«humilitas, quia ita modeste de se sentiebat, ut cum «tot gratias haberet, nulli creaturae se praetulerit» [1]). S. Birgittae dixit SS. Virgo Maria: «Ut quid ego «me tantum humiliabam, aut unde promerui tantam «gratiam, nisi quia cogitavi et scivi, me nihil a me «esse aut habere? Ideo et nolui laudem meam, sed «solius Datoris et Creatoris» [2]). S. Anselmus: «Mos «Mariae erat, modicae loquelae, expeditae obedien-«tiae, sine audacia, sine risu, sine turbatione, sine ira».

Sextus modus, meo iudicio est valde gratus Beatissimae Virgini Mariae, si de illa habeas altissimam opinionem, quoad omnia ad illam spectantia, si talia sint, quae tuto et secure de ea existimari possint. Tuto autem et secure, et cum magno merito potes de ea credere:

Inprimis, quod sit concepta sine ulla macula peccati originalis, (contrariam opinionem aliorum, nec privatim nec publice damnando, imo nec indirecte perstringendo et improbando). Hoc enim multae celebres academiae nunc [3]) docent et tenent, et doctissimi theologi id probant, allatis multis Sanctorum Patrum sententiis idem asserentibus.

Quoniam vero citatur pro contraria sententia quaedam revelatio S. Catharinae Senensis, sciendum est (quod etiam alii theologi, ante me dixerunt), nullam talem eius revelationem reperiri.

Addo ego, me Romae invenisse ante annos circiter quindecim, impressas revelationes S. Catha-

[1]) Spirit. grat. l. I. c. XLV. n. 1. (pag. 98). [2]) Rev. l. II. c. 23 ad finem (pag. 142 E). [3]) Id est circa annum 1643 (Nota edit).

rinae anno 1504, Venetiis, per Lazarum de Soardi, hoc est ante annos 139 (quia haec addo anno 1643), et quidem impressas antiqua illa lingua italica, in multis discrepante quoad dialectos (ut ita dicam), non in sensu ipso a moderna, et bis me legisse continuate illas revelationes, cum accurata attentione, et excerpsisse ex illis multa, pro confirmandis, et illustrandis meis monitis spiritualibus, quae tradidi, et trado in meis Opusculis, nullam tamen prorsus invenisse talem revelationem, quae etiam ad speciem, et indirecte indicet, SS. Dei Matrem esse in originali peccato conceptam, aut ulla macula in sui conceptione coinquinatam. Additamentum ergo est aliquorum, qui, ut fidem conciliarent suae sententiae, hoc S. Catharinae Senensi adscripserunt. Fieri potest, ut illa, sicut filia spiritualis Patrum Dominicanorum, ab aliquo confessario edocta fuerit, id, ut de B. Virgine sentiret, sed ut hac de re habuerit revelationem Divinam, nullus id vere ostendere potest.

Suadeo praeterea ad hanc opinionem de immaculata Conceptione Beatissimae Virginis Mariae tenendam, et aliis suadendam, voto peculiari se obligare Divinae maiestati, donec contrarium (cuius rei nullum est periculum) a sede Apostolica declaretur. Nunquam autem declarabitur, sed potius contrarium: [1]) tum quia et Paulus V. et Gregorius XV. in decretis hac de re editis, manifeste ostendunt. sedis Apostolicae inclinationem ad favorem imma-

[1]) Uti revera factum est, anno 1854. (Nota edit).

culatae Conceptionis, tum quia legi, et descripsi, anno 1599. ex actis originalibus Concilii Tridentini (quae asservabantur in castro S. Angeli Romano, et cum expressa licentia Clementis VIII. fuerunt R. P. Petro de Arrubal, professori theologiae in Collegio Romano, et mihi eius socio, ad aliquot horas exhibita a Cardinali Caesio), ex aliquot decadibus episcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto conceptionis B. Virginis Mariae, omnes asseruisse, illam esse conceptam sine peccato originali, solos quinque contrarium dixisse. Postea in alia sessione fuisse conclusum, ut tandem determinaretur a concilio Tridentino, illam esse conceptam sine peccato originali, sed ob instantissimas preces aliquot episcoporum et theologorum S. Dominici, qui illi concilio aderant, rogantium, ne hac vice, propter notam quae inureretur ordini S. Dominici hoc decreto, illud ederent, sed supersederent, et ad aliud tempus illud reiicerent; concilium supersedit, decretum illud non vulgavit, hanc solam ob causam. Ita habetur in illis actis concilii, quae diligentissime legi, et haec tunc exscripsi.

Si quis dixerit S. Catharinam Senensem in oratione XVI. facta Romae anno 1377., dum esset in abstractione a sensibus, coram Deo Patre dixisse, B. V. Mariam fuisse conceptam in peccato originali, sed statim ab eo liberatam — Respondeo:

Si vere oratio illa fuit facta a S. Catharina, et non illi afficta, id eam dixisse in illa oratione, non Deo revelante, sed ex proprio spiritu et sensu, tanquam ab ea, quae fuit filia spiritualis PP. Domini-

canorum, a quibus hanc sententiam edocta fuerat. Sciendum autem est, quando personae aliquae piae, abstractae a sensibus, aliquid loquuntur, saepe eas loqui ex proprio sensu, et aliquando hallucinari. Hoc nimis certum est, et sciunt rerum talium periti, et constat ex historiis ecclesiasticis authenticis. Et ego possem nominare quasdam Sanctas, ex sedis Apostolicae decretis relatas in numerum Sanctarum, quarum dicta et scripta in raptibus, et ex raptibus derivata legi, magnis hallucinationibus respersa: ideoque non permissa imprimi. Ita et S. Catharinae contigit non semel. Nam in aliis orationibus, quas diligenter legi, idque non semel, hoc adverti. Siquidem oratione IX., dixit «sanguinem Christi fuisse aeternum». Et oratione XI. vocat B. V. Mariam «re-«demptricem generis humani illudque a Christo «redemptum passione» (quod verum est) «a Beata vero «Virgine, mentis et corporis dolore», quod omnino falsum est. Totalis enim causa et sola nostrae redemptionis, Christus Dominus fuit. Et oratione XII. adhuc in hac vita «perfecte cognosci posse affectum «charitatis Divinae, sed eo modo non posse in carne «mortali videri Divinam Essentiam», scilicet, clare et intuitive. Atqui nec affectus charitatis Divinae, hoc modo in hac vita potest cognosci. Et oratione XV. «a Beatis Deum videri non per visionem creatam, «mediam inter Deum et videntem animam, sed per «visionem increatam Dei, et per Deum ipsum». Et oratione XVIII. in fine, ait peccantes graviter, peccare, «quia perdiderunt lumen veritatis, quod acquiritur «per fidem Dei». Atqui non omni peccato mortali

fides amittitur, ut contra haereticos definivit concilium Tridentinum [1]). Simili ergo modo, ex sensu proprio, edocta a suis confessariis, id dixit S. Catharina Senensis de conceptione Virginis Sanctissimae, et non ex inspiratione, multo minus revelatione Divina, nec plus hoc dictum eius habet authoritatis, quam dictum alicuius alterius ex Ordine S. Dominici, magistri et instructoris S. Catharinae.

Secundo, suadeo etiam hoc tenere de Beatissima Virgine Maria, quod solis suis precibus in coelo, fusis pro animabus purgatorii, eas a purgatorio liberet, et poenas illas mitiget, quidquid aliqui theologi in contrarium dicant, asserentes, per preces Beatae Virginis excitari aliquos fideles, ut suis satisfactoriis operibus iuvent in purgatorio existentes. Hoc enim quod assero, expresse revelavit SS. Deipara S. Birgittae. «Sum, inquit, mater omnium, «qui sunt in purgatorio, quia omnes poenae, quae «debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet «hora propter preces meas, quodammodo mitigan«tur. Ita placet Deo, ut aliquae ex his poenis, quae «debentur eis de rigore divinae iustitiae, minuan«tur» [2]). Et alibi: «Nulla poena est in purgatorii «igne, quae propter me non remissior erit, et levior «ad ferendum, quam alias esset» [3]). Similia Christus Dominus dixit alio in loco. Cum enim audiente S. Birgitta, SS. Virgo Maria intercederet apud

[1]) Sess. VI. c. 8. et can. XXVIII. [2]) Rev. l. IV. c. 138 post initium (pag. 378 L). [3]) Ibid. l. VI. c. 10 initio (pag. 452 D); et c. 21. (pag. 466).

Filium suum pro animabus purgatorii, dicens: «Da «eis Domine mi et Fili, misericordiam tuam, propter «preces meas. Respondit Filius. Libenter propter «te dabo eis triplicem misericordiam: Primo, audi«tus eorum alleviabitur, visus mitigabitur, poena «remissior et mitior erit. Insuper, quicunque ab ista «hora sunt in summa poena purgatorii, venient ad «mediam: et qui sunt in media, venient in levissi«mam poenam: qui autem in levissima poena sunt, «transibunt ad requiem» [1]). Si ergo ab illa hora, statim transierunt ad requiem, quando oravit B. Virgo pro illis, ob preces solas illius transierunt ad requiem, non expectando viventium preces, quae nonnisi postea fundi ab iis poterant, si fuissent divinitus ad orandum moti ob preces SS. Deiparae. Et sic, potius Mariae attribui deberet earum liberatio, tanquam causae immediatae. Idem apparet ex alio exemplo, quod narrat Dionysius Carthusianus [2]), quem appellat «virum sanctissimum et do«ctissimum» Cardinalis Bellarminus [3]), et «virum «doctrina et sanctitate praestantem» Serarius [4]): «eruditione, et sanctitate, et revelationibus clarum», Molanus [5]): «virum eruditionis et sanctitatis sum«mae», Sixtus Senensis [6]): Quin et B. Petrus Damiani narrat exemplum cuiusdam mulieris e purga-

[1]) Rev. l. I. c. 50 ante finem (pag. 77 FH). [2]) Ser. II. de Assumpt. in fine. [3]) De scrip. eccles. (pag. 296. ed. Col. Agr. 1657). [4]) Comment. in Tobiae c. VII. [5]) «In Natal. SS. Belgii». [6]) Biblioth. sancta l. IV (pag. 357 ed. Venet. 1566).

torii poenis, per Beatam Virginem immediate liberatae, quod sic recenset: «Religiosus plane presbyter Ioannes, rem mihi retulit ante paucos annos «contigisse Romae, quam narro. In Assumptione scilicet Dei Genitricis Mariae, cum nocturno tempore Romanus populus, iuxta morem orationibus et litaniis insisteret, et accensis luminibus, diversarum «regionum ecclesias perlustraret, mulier quaedam «in basilica, quae est ad honorem eiusdem B. Virginis, in Capitolio constituta, commatrem suam «vidit, quae scilicet ab anno fere fuerat iam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium ad «eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam «in tali cuiusdam angiportus articulo praestolari, ut «dubium non esset quod egressa basilicam, ab ea «declinare non posset. Hanc itaque transeuntem «protinus inquisivit: «Nonne tu, inquit, commater «mea es? Marozia videlicet, quae dudum defuncta «es»? Hoc illi fuerat vocabulum, dum viveret. Qua «respondente, ipsa sum»; et quomodo, inquit, tibi ««nunc est»? Ait: «usque hodie non levis me poena «constrinxit, quia videlicet per lasciviae petulantis «illecebras, cum coactaneis puellis me in tenera ad«huc aetate foedavi: et hoc ipsum proh dolor, «oblivioni quodammodo tradens, sacerdoti quidem «confessa fui, sed iudicium non accepi. Verum ««hodie Regina mundi pro nobis preces fudit, me«que cum multis aliis, de locis poenalibus libera«vit: tantaque multitudo per interventionem eius ««hodie est de tormentis erepta, ut numerum totius ««Romanae plebis excedat. Unde sacra eidem Do-

«minae nostrae Gloriosae dicata passim loca visita-«mus, actionesque sibi gratiarum pro tantis mise-«ricordiae beneficiis alacres exhibemus». Cumque «super hoc commater illius ambigeret, nec fidem «facilem sermonibus adhiberet, subiunxit: «Ut expe-«riaris, inquit, pro certo verum esse quae loquor «scias te, transacto hoc anno, in eadem festivitate «procul dubio morituram. Quod si (quod fieri non «potest) ulterius vixeris, me protulisse mendacium «liquido comprobabis». Et his dictis, ab eius oculis «evanuit. Mox illa cilicium induit, et de obitu suo «sollicita, quae audierat, vivere cautius coepit. Quid «plura? peracto fere anno, pridianis coepit aegro-«tare vigiliis, in ipso vero festivitatis die, sicut ei «demonstratum fuerat, terminavit» [1]).

Hoc et de aliis Sanctis in coelo orantibus pro defunctis, dum iis commendantur a viventibus, docet S. Augustinus: «Non video quae sint adiumenta «mortuorum sepultorum apud memoriam sancto-«rum» (hoc est in templis Deo dicatis, in memoriam et honorem Sanctorum) «nisi ad hoc, ut dum reco-«lunt, ubi sunt posita eorum quos diligunt corpora «eisdem Sanctis illos, tanquam Patronis, susceptos «apud Dominum adiuvandos, orando commendent» [2]). Sensit ergo S. Augustinus, praeter orationes viventium, a Sanctis invocatis, iuvari peculiari ratione defunctos immediate. Et S. Thomas idem dicit:

[1]) Opusc. XXXIV. Disput. de appar. et mir. c. III totum (P. l. CXLV. 586—7). [2]) De cura pro mortuis gerenda, c. IV. (P. l. XL. 596).

«Sepultura in loco sacrato, mortuo prodest, non «quidem ex ipso opere operato, sed magis ex ipso «operantis: dum scilicet vel ipse defunctus, vel «alius, corpus eius tumulari in loco sacro disponens, «patrocinio illius sancti eum committit, cuius pre-«cibus, per hoc credendus est adiuvari» [1]). Atqui non adiuvaretur per hoc defunctus, si opus esset vivum aliquem excitari a Beato, ut satisfaciat novo aliquo opere, distincto a precibus Beati. Et in iure Canonico habetur: «Animae defunctorum, quatuor «modis solvuntur: aut oblationibus sacerdotum, aut «precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut «ieiunio cognatorum» [2]). Quem locum recipit et citat S. Thomas [3]): Nec obstat, quod in loco citato non fiat mentio orationis et aliorum operum bonorum, quae sunt etiam satisfactoria pro peccatis, et sunt plura quam quatuor hic enumerata; quia, ut bene ait S. Thomas alio in loco: «Dicendum, quidquid «ad afflictionem pertinet, totum ad ieiunium refer-«tur: et quidquid ad proximi utilitatem expenditur, «totum eleemosynae rationem habet: et similiter «quaecunque latria exhibetur Deo, orationis accipit «rationem» [4]) et ideo etiam unum opus, potest habere plures rationes satisfaciendi.

Confirmatur hoc ipsum Christi Domini iudicio,

---

[1]) In l. IV. sent. d. XLV. q. II. a. 3 ad quaestiunc. 3. [2]) Decr. Grat. C. Animae, CXIII. q. 2. [3]) In. l. IV. sent. d. XLV. a. 40. [4]) Ibid. d. XV. a. 4. ad 6.

qui S. Birgittae [1]) dixit, novem modis iuvari animas defunctorum; et ait tertium modum esse, «preces «electorum qui sunt in coelo», et has distinguit ab aliis octo modis, qui sunt: «passio eius [per quam liberatae sunt animae omnes ex purgatorio in descensu Christi ad inferos, ut S. Thomas dicit] [2]); «suffragia vivorum», scilicet preces viventium in mundo; «opera bona», quae fiunt in Ecclesia sancta: eleemosynae, labores iustorum, indulgentiae pontificiae, poenitentiae assumptae pro animabus, sacrificium Missae. Atqui non esset novus modus «pre«ces in coelo Sanctorum», si eae immediate et per se non iuvarent animas, sed mediantibus vivorum suffragiis, excitatis a Sanctis, ad iuvandos mortuos.

Nec talis impetratio alleviationis poenarum purgatorii, vi Christi Passionis habens efficaciam, contraria est iustitiae Divinae, a qua merentur puniri in purgatorio, quia, ut bene ait in simili S. Thomas, «actus misericordiae» (qui est in sanctis orantibus pro defunctis) «operatur circa peccatum per «modum satisfactionis» [3]). Id est aequivalet satisfactioni, quae quidem proprie loquendo non est in Beatis, sed ratione excellentiae status eorum, virtute Passionis Christi, et intuitu praeteritorum meritorum eorum [4]), et satisfactionum quas habuerunt dum viverent, — possunt immediate et per se iuvare defunctos, non mendicando a vivis suffragia pro

[1]) Rev. l. VI. c. 66 (pag. 540L). [2]) In l. III. sent. d. XIX. a. 2. ⊙. [3]) I. II^{ae} q. CXIII. a. 4. ad 1. [4]) In l. IV. sent. d. XLV. a. 4. ad 3.

defunctis, sicut et ipsis viventibus, immediate et per se solos impetrant multa bona, et liberationem a multis malis gravioribus quam sint poenae purgatorii; uti est status malus peccatorum, praesertim in incorrigibilibus et desperatis hominibus, quorum etiam conversionem Beatissima Dei Mater, tanquam refugium peccatorum, saepe impetrare immediate solet. Salvo meliore iudicio, haec dicta sint. Quamquam Cardinalis Bellarminus expresse ait: «Beatorum orationes prodesse nobis et animabus purgatorii, eo modo, quo vivorum orationes, ut impetratoriae, prosunt iisdem [1]). Atqui haec prosunt immediate et per se, non per alios, ergo iudicio Bellarmini, etiam Sanctorum preces eodem modo immediate prosunt.

Septimus modus colendi B. Virginem est ab ipsa praescriptus S. Thomae Cantuariensi episcopo, cui cum familiare fuisset diebus singulis iterata septies salutatione Angelica Deiparam colere, in honorem «septem gaudiorum, quibus cum Filio in terris fuit delibuta, scilicet: Annuntiatio, Visitatio, Natalitia Christi, trium Regum adoratio, inventio Filii, sanctissima Resurrectio, in coelos Ascensio, — Virgo. «Mater se illi videndam forte obtulit, et «gratum «inquit omnino mihi Thoma obsequium tuum est; «sed quid tantum meministi eorum gaudiorum qui«bus afficiebar in terris; recole etiam ea in poste«rum, quibus nunc fruor in coelis; namque omnem, «tam haec quam illa honorantem, in hora exitus «solabor, exhilarabo, Fillioque meo dilectissimo si-

[1]) Tomo I. Controv. VI (de Purg.) l. II. c. 16 initio

««stam». Mire exultans D. Thomas et «quanam, ««inquit, ratione o Domina mea suavissima hoc ««praestare possim, cum, quaenam ea sint pe-««nitus ignorem». «Septena, subintulit Virgo, sa-««lutatione, etiam haec gaudia honorabis; sunt ««porro talia:

Primo. ««Gaudeo quia secundum Sanctissimam ««Trinitatem, supra rem omnem pure creatam hono-««res obtineo.

Secundo. ««Quia intemeratae Virginitatis aureola, ««omnes Angelorum ac Sanctorum ordines longe an-««tecello.

Tertio. ««Quia ingens lumen gloriae meae, ad in-««star solis curiam coeli illustrat universam.

Quarto. ««Quia omnes coeli indigenae, me, ut ««Deiparam venerantur ac colunt.

Quinto. ««Quia a Filio nacta sum facultatem ««quidlibet impetrandi.

Sexto. ««Quia olim in terris mihi immensae col-««latae sunt gratiae: meisque clientibus iam in coelo ««ingens gloria a Filio praeparata est.

Septimo. ««Quia gloria mea novis surget in-««crementis»» (scilicet accidentalis) ««ad diem usque ««extremum, et inde perennabit in omnem aeter-««nitatem»» [1]).

Has laudes, idem S. Thomas in rythmos redegit, qui in certis ecclesiis loco sequentiarum decantantur. Sunt autem isti:

---

[1]) «Ephem. Balingh. 29. Decemb.»

Gaude flore virginali,
Quae honore speciali
Transcendis splendiferum
Angelorum principatum
Et sanctorum decoratum
Dignitate numerum.

Gaude, chara Sponsa Dei,
Nam ut clara lux diei
Solis datur luminae;
Sic tu facis orbem vere,
Tuae pacis resplendere
Lucis plenitudine.

Gaude splendens Vas virtu-
[tum,
Cuius parens est ad nutum
Tota coeli curia,
Te benignam et felicem
Iesu dignam Genitricem
Venerans in gloria.

Gaude nexu voluntatis
Et amplexu charitatis
Iuncta sic Altissimo,
Ut ad votum consequaris
Quidquid Virgo deprecaris
A Iesu dulcissimo.

Gaude, Virgo Mater Christi,
Tu quae sola meruisti,
O Virgo dulcissima,
Esse tantae dignitatis,
Ut sis Sanctae Trinitatis
Sessione proxima.

Gaude, Mater miserorum,
Quia Pater saeculorum
Dabit te colentibus,
Congruentem hic mercedem
Et felicem poli sedem
Regnis in coelestibus.

Gaude, Virgo, Mater pura,
Certa manens et secura
Quod haec tua gaudia
Non cessabunt, nec decre-
[scent,
Sed durabunt et florescent
Per aeterna saecula [1]).

Similia refert P. Franciscus De la Croix, in »Hortulo Mariano« de B. Arnulpho Cornibout, quotidie solito in memoriam reducere septem gaudia, quibus »delibuta fuit B. Virgo in terris«; apparuisse nempe ei B. Virginem et monuisse, ut etiam recoleret gaudia, quibus nunc fruitur in coelis, et haec esse dixit:

»*Primo*, inquit, gaudeo, quod cum assumerer in »coelum supra quam speraveram et cognoveram,

[1]) *Ant. Natal.* De coelesti convers. (ed. Andeg. 1861).

«imo, supra quam dici vel aestimari potest, maio-«rem mihi gloriam paratam inveni; ita ut solius «gloriae meae plenitudo praecellat omnimodam glo-«riam Sanctorum omnium et Angelorum.

«*Secundo* gaudeo, quoniam sicut dies a sole, «sic tota curia coelestis, a mea beatitudine copio-«sius elucescens, laetitia perfunditur.

«*Tertio* gaudeo, quod omnes ipsius curiae cives «mihi morem gerunt, et Regis sui Matrem venerantur».

«*Quarto* gaudeo, quia summae Maiestatis et «mea, una est voluntas, et quaecumque placuerit «meae voluntati, summa et individua Trinitas, be-«nignissimo et paratissimo favore iis consentit.

«*Quinto* gaudeo praeterea, quod secundum vo-«luntatis meae arbitrium mihi servientibus, in hoc «saeculo et in futuro merces rependatur.

«*Sexto* gaudeo, quod supra choros Angelorum «exaltata, speciali quadam praerogativa, proxima «sim Sanctissimae Trinitati, Sanctorum omnium «iucundam societatem obtinens.

«*Septimo* gaudeo, quod omnino certa sim, quod «gloria mea nunquam decrescet, nunquam deficiet» [1]).

Tanti autem facit Beatissima Virgo Maria hanc eius gaudiorum commemorationem, ut cum B. Ioseph Praemonstratensis, alias dictus Hermanus, «ob «custodiendum templum, ne fures inde pretiosa quae-«que auferrent (grassabantur enim tum sacrilegi «templorum effractores), non nihil remisisset de so-

[1]) Arcola IV. cap. 4 versus fin. (pag. 133 et sq. edit. Vindob. 1743).

«lito precum penso, quod Deiparae persolvebat; «occurrit ei B. Virgo in forma vetulae rugosae: «causam sciscitans, audivit: «iam tibi vetula sum. ««Ubi illa repraesentatio gaudiorum meorum? ubi «ille salutationes Angelicae? ubi certa pietatis exer«citia, quibus et ego tibi, et tu mihi, iuvenis redde«baris? Nolo ut praetextu custodiae monasterii in«termittas servitium meum, quia ego melius illud «custodiam». Quare rediit ad solita exercitia, et ad «gaudia Deiparae recensenda, quibus, ut ipsa ei re«velavit, valde delectabatur» [1]). Huc spectat id, quod narrat B. Petrus Damiani: «Monachus quidam quo«tidie dum ante altare B. Mariae semper Virginis «pertransiret, illam ex more percurrebat antipho«nam: «Gaude Dei Genitrix, Virgo immaculata; ««gaude, quae gaudium ab Angelo suscepisti; gaude, ««quae genuisti aeterni luminis claritatem; gaude ««Mater, gaude S. Dei Genitrix Virgo. Tu sola Ma««ter innupta. Te laudat omnis factura. Genitrix lu««cis intercede pro nobis». Quam antiphonam dum «quadam die pertransiens diceret, audivit vocem ex «eodem altari procedentem: «Gaudium mihi annun««tiasti, gaudium tibi eveniet»» [2]).

Octavus modus colendi B. Virginem est, quotidie recitare parvum illud officium de Beata Virgine, quod in aliquibus ecclesiis Cathedralibus et

[1]) «Ephem. Balingh. 7 April. p. 194; et Vitae c. IX. n. 24 [quoad sensum] (Boll. t. V. pag. 692—3 F—A). [2]) Opusc. XXXIV. disp. de var. appar. c. 4 in fin. [alibi: epistolar. l. III. ep. 10.] (P. l. CXLV. 588D).

Collegiatis cani quotidie solet, et a multis piis personis privatim recitari. Ostendit Deus miraculis placere sibi hunc Beatissimae Virginis Mariae cultum. Ne autem actum agam, recensendo ab aliis vulgata mira Dei dona, unum ignotum multis, afferam, quod accepi a Patre Iacobo Gusmano viro sancto, et in vita miraculis (a testibus oculatis eius sociis mihi narratis) illustri, qui anno 1599. 23 Iunii sic ad me latine ex Hispania scripsit, dum voluntate R. P. Claudii, Generalis nostri, materiam pro historia Societatis colligerem Romae: «Cum in «nostra Professorum domo obversarer ego eo tem«pore cum P. Iacobus Miron e vivis excessit, et «ille per dies aliquot infirmitate oppressus occubuis«set, et in cubiculo in quo extremum spiritum du«xit, tam ratione senectutis, quam incuria mundi«tiei, male olendi, quam redolendi potius esset «occasio, — adeo suavem ex se odorem per dies plu«res exspiravit, ut omnes qui illic adessent, in ma«ximam admirationem raperentur. Quae horum causa? «Notissima omnibus; hanc scilicet odoris suavitatem «ex B. Virginis congressu fuisse relictam, cuius cul«tui adeo erat deditus, ut nullo vel maximo nego«tio occurrente, B. Virginis horarias preces (quas «singulis diebus recitabat) intermitteret. Hoc secun«dum accepi a fratre coadiutore, cui nomen Dida«cus Arellano, quem nunc credo Villagarciae in «Castellana provincia commorari, qui cum Patri «Mironio animam agenti adesset, illum oculis in «altum fixis vidit. Consternatus timore, quid istud «rei, avide semel ac iterum rogat. Tunc ille roganti:

«B. Virginem video». Pro comperto itaque haberi «potest, odoris suavitatem illam, a B. Virginis con«gressu profluxisse». Haec Pater Gusmanus.

Quocirca laudabilis est illa consuetudo in sacro Ordine Praedicatorum, de qua sic scribit gravissimus eiusdem Ordinis Doctor Sotus: «In Ordine no«stro praeceptum nobis est, ut surgentes e lecto «Officium B. Virginis dicamus, et, ut antiqua indi«cat dormitorii dispositio, inter induendum se, fra«tres illud inchoabant; videlicet ut iniqua phanta«smata, quae in ipsa expergefactione occurere solent, «abigantur» [1]).

Quantopere autem placeat Deo et Beatissimae Virgini Mariae recitatio eius officii, praeter alia exempla, quae alii collegerunt, et quae nolo hic ponere ne actum agam, plurimum confirmat hanc devotionem id, quod scribitur in vita nostri P. Balthasaris Alvarez viri sanctissimi, de quo Deus revelaverat S. Teresiae eius filiae spirituali, eum illo tempore, omnes qui erant tunc in mundo, superasse sanctitate, et eum esse praedestinatum. Hic ergo Pater cum pie, ut solebat, officium B. V. Mariae recitaret, daemon id ferre non volens omnem conatum adhibebat, per horrendas illi tentationes immissas, ut eum ab hac devotione retraheret. Sed cum ille non desisteret colere Beatissimam Dei Matrem, «dixit ei daemon aperte: «Re««mitte tu, et ego remittam; praecipue, ut istam ««devotionem dimittas, quam habes in istam mulie-

[1]) De iust. et iure, l. X. q. V. a. 5.

«rem, quam appellant Mariam». Sed hoc ipsum amplius Patrem exstimulabat, ad perdurandum et amplius in ea crescendum, nullam praetermittens occasionem, quae ad id faciendum occurreret»[1]).

Nonus modus, isque ordinarius esse debet colendi B. Virginem, valde attente et devote recitare salutationem Angelicam, idque saepe in die, saltem ad pulsum horologii singulas horas indicantis, quod facientibus, fama est, concessam esse indulgentiam mille annorum a Leone X. et confirmatam a Paulo V.[2]) Sane B. Frater Romeus Dominicanus, quotidie millies salutationem Angelicam recitabat, ad quod chordulam mille nodis distinctam habebat[3]). Hoc certum esse scribit noster P. Spinellus[4]), Urbanum IV. omnibus qui devote salutationem Angelicam recitarint, indulgentiam dierum triginta concessisse, et Ioannem XII. eandem confirmasse et duplicasse. Scribit Caesarius, «civem quemdam «Coloniensem habuisse illam consuetudinem, ut quo«ties solus esset, semper oraret eundo ad ecclesiam, «sive redeundo, vel in curia sua deambulando, Ange«licam maxime ruminasse salutationem. Qui cum «mortuus esset, cuidam nepti suae, in habitu splen«dido apparebat, in quo, maxime tamen in caligis «et calceis, scriptus erat per totum versiculus: «Ave ««Maria, gratia plena» etc.; quia ut dixi, eundem ver-

[1]) *Lud. De Ponte,* Vita P. B. Alvar. (pag. 291). [2]) Indulgentiae illae certo hodie jam non valent. (N. ed.). [3]) «Balingh. Ephemer. 1. Nov. n. 5. p. 612». [4]) Deipara Thr. Dei, c. CXXXVIII. n. 11.

«siculum deambulando frequentaverat, ideo cruribus eius et pedibus crebrius inscriptus apparebat»[1]). De quodam clerico Nivernensis ecclesiae, scribit B. Petrus Damiani solito «per singulas horas, B. Dei Genitrici laudum vota quotidie persolvere;... qui cum moribundus ad extrema pervenisset, gloriosa «Virgo sibi visibiliter astitit, et e sacri uberis papilla «lac exprimens, eius labiis instillavit, et protinus «eum sanavit... Per hoc coniici potest, inquit hic «sanctus vir, quoniam eisdem labiis, quibus eam ille laudavit et coluit, gloriosa Virgo lac salutis «immulsit: ut per illud corporis membrum, quo sibi «venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, con«grua vicissitudine, recuperandae salutis suae per«ciperet medicinam»[2]). S. Gertrudis cognovit divinitus, «quod quotiescumque salutatio Angelica cum «devotione recitatur a fidelibus in terris, tres rivuli «efficacissime procedentes a Patre, et Filio, et Spi«ritu Sancto, cor Virginis suavissime penetrantes, «et de corde ipsius rursus efficaci impetuositate «suum originem repetentes, et efficientes, quod ipsa «est potentissima post Patrem, sapientissima post «Filium, et benignissima post Spiritum Sanctum. «Cognovit etiam quod quotiescumque illa salutatio «angelica, scilicet *Ave Maria*, cum devotione recita«tur a fidelibus in terris, praedicti rivuli, efficaciori «impetu, superabundanter circumfluunt B. Virginem, «et ex altero latere reinfluunt Cor ipsius Sanctissi-

[1]) Spec. exempl. l. XII. c. 50. [2]) Epistolar. l. VI. ep. 29 post init. (P. l. CXLIV. 420 A B.).

«mum. Sicque cum mira delectatione repetunt fon-«tem suum, et ex illa redundatione, venae quaedam «gaudii, delectationis, et aeternae salutis respergun-«tur in omnes personas Sanctorum, et Angelorum, «et insuper illorum, qui in terris commemorant ean-«dem salutationem: per quas renovatur omne bonum «in singulis, quod unquam per salutiferam Incarna-«tionem Filii Dei sunt adepti» [1]).

Quomodo autem dicenda sit salutatio Angelica, eadem S. Gertrudis intellexit divinitus, «ut ad ver-«bum «Ave Maria», desideraret alleviari omnes gra-«vatos: per illud, «Gratia plena», omnibus quibus «non sapit gratia praestari saporem: per «Dominus ««tecum», omnibus peccatoribus indulgentiam: per ««Benedicta tu in mulieribus», omnibus incipientibus «perficere bonam voluntatem: per «Benedictus fructus ««ventris tui», omnibus electis perfectionem: per ««Iesus splendor Paternae claritatis», veram cogni-«tionem: per «Et figura substantiae eius», divinum «amorem. Ad quodlibet enim Ave Maria» (cum pri-vatim, extra horas canonicas recitatur) «ista verba: «scilicet, «Iesus splendor paternae claritatis, et figura ««substantiae eius, debent addi»» [2]).

Decimus modus, colendi B. Virginem est, quoti-die recitare eius Rosarium, vel aliquam eius par-tem. Quod B. Virgini maximopere placere, divina miracula id confirmantia demonstrant, quae ab aliis recensentur, praesertim ab Alberto Castellano Ve-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 12. (pag. 449—50).
[2]) Ibid. (pag. 453).

neto, Ordinis Praedicatorum, italice edita anno 1521. in libro de Institutione Rosarii, et de modo illud recitandi, digno qui legatur ab omnibus clientibus Deiparae.

Scribit gravis author Thomas Cantipratanus. Iuvenem quemdam eius tempore fuisse in Germania, ludis tesserarum et tabernis deditum, haereditatem paternam totaliter dissipasse, caste tamen vixisse. «Quem patruus eius miseratus, suasit ei, ut gloriosam Dei Genitricem Mariam salutaret quinquaginta «vicibus omni die» (hoc est, tertiam partem Rosarii recitaret): «paruit ille iuvenis, licet aegre. Post «annum, iterum patruus, suasit ut sequenti anno, «centies quotidie B. V. Mariam salutaret. Et hoc «praestitit. Et tam primo quam secundo anno sensit remissius sibi esse, quam ante, in vanitate «mundana, et suffragante Christi Matre omnem ve«cordiam miserrimi sui status evanuisse, et firmo «benefaciendi proposito, voluntatis suae constantiam «stabilitam esse. Tum patruus, «nihil inquit restat, ««nisi ut anno praesenti propositum tuum fixum ex««periar, et si dignum invenero, condignas tibi nup««tias procurabo. Tu autem medio tempore Auxilia««tricem tuam in salutationibus trium quinquagena««rum»» (hoc est, integri Rosarii) «sedulus honorabis». «Consentit iuvenis, stabilis inventus est, et revoluto «anno perfecit patruus quod promiserat iuveni. Con«quisivit nuptias, et instaurato convivio, ex utraque «parte conveniunt parentelae. Positis itaque mensis, «et lotis manibus, cum iam sponsus et sponsa co«mesturi pariter consedissent, ex inopinato memor

«sponsus, nondum se sponsionis debitas salutatio-«nes illa die gloriosae Virgini, occupatus aliis, per-«solvisse, repente surgens, susurrat patruo, ut paulu-«lum indiceret fercula ministranda. Quo annuente «solus iuvenis intrat thalamum, solvit Matri Christi «quod voverat, tanto diutius, quanto se clementius «probaverat exauditum. Nec mora, ubi extremam sa-«lutationem tertiae quinquagenae iam complevit, «apparuit illi gloriosa Virgo, lucidior sole, tres togas «in sua tunica iuveni, unam anteriorem, et duas la-«terales ostendens. Ecce inquit salutationes tuae li-«teris aureis scriptae, quibus quinquagenis me sedu-«lus honorasti. Et quoniam in tuo corpore, licet va-«nus et vagus, virginitatem conservasti, mox te fe-«bris lenta corripiet, et ad me tertia die sine ulla «carnis corruptione pervenies. Hoc dicto gloriosa «Virgo disparuit. Iuvenis autem egressus, hortatur «omnes laetari, epulari et gaudere: se vero appetitu «comedendi destitutum, et ad praesens, cum eis esse «non posse. Singulis ergo ad mensam considentibus, «et comedentibus, iuvenis interim lectum ascendit, «et facto prandio, sponsam suam, patruum et ami-«cos in thalamum convocavit; et eis, quid sibi con-«tigerit, vel dictum fuerit intimavit. Mortuus est er-«go iuvenis tertia die, ut praedixit. Sponsa vero «eius nulli postea nubere volens, in sancta virgini-«tate permansit»[1]).

Noster B. Bernardus Realinus, in vita, morte et post mortem magnis miraculis in Italia clarus (qui

[1]) Apum l. II. par. VI. c. 29.

ex singulari Dei munere adeo ferventer Beatissimam Dei Matrem sibi praesentem videbat, ut quasi semper dulcissimo eius aspectu frueretur), interdiu quotidie duodecim vel tredecim coronas B. Virginis et totidem noctu recitabat.

Porro inter varios recitandi Coronam seu Rosarium B. Virginis modos, pulcher est etiam ille, quem adhibebat noster P. Ludovicus de Ponte, vir sanctimonia clarus:

Dicendo primam decadem invocare novem choros Angelorum, praecipue S. Gabrielem, S. Angelum custodem Virginis, et petere ut eam laudent, ac Deum, ob dona ei concessa: et gaudere quod Angeli ea gaudeant et eam habeant pro Regina excellente: et laudare eam ac confiteri quod in ea sint gratiae novem chororum Angelorum cum magnis excessibus: et gaudere de hac excellentia eius, et Deum laudare qui illam ei dedit: et optare ut totus mundus eam laudet ac cognoscat, et id petere ab eius Filio et Patre aeterno. Denique ab hac Domina petere aliquod donum, quo magis eges, vel quod maxime enituit in Angelis, scilicet puritatem; et rogare illos ut id petant pro te, et omnes intercedant ad Deum. Hoc modo in secunda decade, invocandi Patriarchae, Prophaete et Reges, praesertim S. Ioachim, S. Anna, et S. Joseph, et facienda alia, quae facta sunt in prima decade. In tertia decade invocandi Apostoli et Discipuli Domini, praesertim familiares Virginis, S. Ioannes, et S. Lucas. In quarta Martyres. In

«quinta Confessores, Doctores, Religiosi. In sexta. «Virgines, Viduae et aliae Sanctae.

Undecimus modus est, adscribi alicui confraternitati vel congregationi sub titulo B. Virginis erectae, uti est confraternitas Rosarii, vel Scapularis, vel congregatio, quae a nostrae Societatis hominibus ubique terrarum regitur. Placere enim Deo, et B. Virgini eos, qui tali alicui sodalitati suum nomen dederunt; miraculosi effectus in historiis religiosorum recensiti declarant.

Duodecimus modus est, sumpta corona precaria, singulos globulos tactu percurrendo, ad singulorum attactum Sanctissimae Virgnis opem implorare, vel eam laudare, modo infra explicando[1]).

Hanc devotionem S. Philippus Nerius eximius cultor B. V. Mariae commendabat suis spiritualibus filiis: ut percurrendo globulos coronae precariae dicerent haec verba: «Virgo Maria, Mater Dei, ora «Iesum pro me. Et: Virgo et Mater, Virgo et Ma«ter»: et iubebat eos sexaginta tribus vicibus haec verba iterare, qua re, senserunt se valde in spiritu adiutos: Et ipsemet S. Philippus perpetuo in manu tenebat B. Virginis coronam, sic eam (has iaculatorias oratiunculas iterando) percurrens. Et quidam laicus foedis contra Castissimam Deiparam cogitationibus impetitus, consilio S. Philippi, sic coronam recitans, ab iis liberatus fuit[2]).

[1]) Capite XXX. [2]) *Hier. Barnabeus*, in Vita, c. XIII. n. 161 (Boll. t. XIX. 548E).

Facit ad hoc propositum sententia pulcherrima S. Germani: «Quomodo corpus nostrum vitalis si«gnum operationis habet respirationem, ita etiam «Sanctissimum tuum nomen o Virgo, quod in ore «servorum tuorum versatur assidue in omni loco, «tempore, et modo, vitae, laetitiae, et auxilii non «solum est signum, sed etiam ea procurat et con«ciliat» [1]).

Decimus tertius modus colendi Beatissimam Virginem Mariam, est is quem tenuit B. Iordanus eximius Sanctus, Ordinis Doctissimi et Sanctissimi PP. Praedicatorum, successor S. Dominici in generalatu. Ante aram B. Virginis frequenter sic orabat: Quia in nomine Maria, quinque continentur elementa (seu literae), — pro primo, quod est M, recitabat (praemisso ante «Ave maris stella») canticum *Magnificat anima mea Dominum*; pro primo A, dicebat psalmum CXXII. *Ad te levavi oculos meos*; pro R, psalmum LXXXVII. *Retribue servo tuo*; pro I, psalmum XXV. *In convertendo*; pro secundo A, dicebat psalmum XXIV. *Ad te Domine levavi animam meam*; singulis autem subiiciebat salutationem Angelicam: *Ave Maria gratia plena...* [2]). Quantopere autem sit Deo et B. V. Mariae accepta haec devotio, divinum miraculum ostendit, quod refertur a Vincentio Belvacensi et ab aliis: «Quidam Archiepiscopus Cantuariensis eccle-

---

[1]) Hom. in S. Mariae Zonam, statim post med. (P. gr. XCVIII. 378-9 D. A). [2]) «Leand. in vita B. Iordani; Balingh. Ephem. 13 Febr. n. 1.»

«siae, olim a curia Romana revertens, in abbatia «S. Bertini, quae est apud S. Audomarum, hospi- «tatus est, et die crastina ductus in capitulum, ser- «monem aedificationis cum fratribus habuit, quo fi- «nito eis indicavit, quia cum esset apud Beneven- «tum, audisset a quodam viro religioso, qui de par- «tibus Ierosolymitanis erat, quod in illa terra quin- «que Psalmos incipientes a singulis literis nominis «B. Mariae, in honorem et memoriam ipsius, «frequentare multi consueverant, scilicet: *Magni- «ficat.., Ad Dominum cum tribularer.., Retribue.., «In convertendo.., Ad te levavi..*, singulis *Ave «Maria* praemittentes. Erat autem ibidem in Con- «ventu S. Bertini quidam monachus, Ioscio nomi- «ne, qui hoc vigilanter audivit, et quotidie, post «Matutinas, praedictos Psalmos in honorem B. Ma- «riae decantare coepit. Accidit igitur, ut quadam «nocte, surgentibus fratribus ad vigilias, ille frater «Ioscio nomine, non interesset choro psallentium. «Subprior vero chorum circumiens cum laterna, ubi «eum non invenit, ad lectum eius citius per- «rexit, ibique eum defunctum reperit. Convocati au- «tem fratres accurrunt stupentes et lugentes, vul- «tumque ei discooperientes, invenerunt quinque flo- «res rosarum: unus egrediebatur de ore et lingua «eius [1]),... super quem habebatur inscripta prima «litera nominis Maria», (scilicet M) «primus quoque «versiculus huius psalmi *Magnificat...* Super rosam «autem in dextro oculo radicatam, litera A, pri-

[1]) *Vinc. Belv.*, Spec. hist. l. VII. c. 116.

«mus quoque versus psalmi; *Ad Dominum cum tribularer...* habebatur inscriptus; super rosam si-«nistri oculi, litera R, et primus versiculus psalmi, *Re-tribue..*; super rosam dextrae auris, litera I, atque «primus versus psalmi, *In convertendo..*; super rosam «sinistrae auris, litera A, atque primus versus psal-«mi, *Ad te levavi...* Re vulgata, Episcopus sub cuius «stabant dominio, venit, vidit, gratias referens Deo «et B. Mariae Matri eius et indutus episcopalibus, «solemnem processionem, cum facibus, cum cruci-«bus atque thuribulis ordinavit; sicque cum Con-«ventu atque Clericorum solemni Collegio venit ad «lectum Ioscionis monachi iam mortui. Eductam «autem rosam de ore eius, quae trahentis manum «facile sequebatur, atque cum suo vigore et decore «incorrupta manebat, fecit in cristallo quodam for-«moso, artificiose ac reverenter inclusam super alta-«re reponi, ubi ad miraculi evidentiam ab omnibus, «posset videri. Ceterae vero rosae mox, eductae aru-«erunt atque pristinam pulchritudinem amiserunt. «Episcopus vero susceptum corpus, ante summum «altare, quod in honorem B. Mariae fuerat conse-«cratum, honore debito sepelivit. Ubi ad declaran-«dam clementiam Virginis, et devoti ministri eius «meritum ostendendum, plura postmodum miracula «contigerunt» [1]).

Decimus quartus modus colendi B. Virginem est, pridie omnium eius festorum ieiunare, et in festis

[1]) «Spec. exempl. dist. 9. n. 119; Spinel. c. 4. n. 24.»

eius, Sanctissimam Eucharistiam sumere, in qua (ut B. Virgo S. P. N. Ignatio indicavit) est etiam corpus eius, hoc est sanguis eius, ex quo a Spiritu Sancto formatum fuit corpusculum Salvatoris in purissimo utero Virginis immaculatae.

Decimus quintus modus colendi Deiparam, est traditus S. Gertrudi ab ipsamet. «Cum enim S. «Gertrudis B. Virginem Mariam per verba illa: ««Eia ergo Advocata nostra», invocaret, videbatur «ipsa Mater inclita, velut funibus quibusdam tracta, «inclinari ad eam. Per quod intellexit, quod quo-«ties aliquis ipsam, suam Advocatam cum devotione «nominando invocat, per hoc nomen materna pietas «eius in tantum commovetur, quod nullatenus se «valet cohibere, quin benigne precibus eius accline-«tur. In illo verbo: «Illos tuos misericordes oculos», «B. Virgo mentum Filii sui blande tangens, ipsum «versus terram inclinavit, ad nos dicens: «Isti sunt ««misericordissimi oculi mei, quos ad omnes me in-««vocantes salubriter possum inclinare: unde et uber-««rimum fructum consequuntur salutis aeternae». Hinc «a Domino hanc percepit eruditionem, ut ad minus «quotidie Matrem suam benignissimam, per ista duo «verba, scilicet: «Eia ergo Advocata nostra», et ««Illos tuos misericordes oculos», invocaret: certa, «quod per hoc in hora sua novissima, non mediocre «solatium obtineret» [1]).

Decimus sextus modus colendi Deiparam est, omnes nostras postulationes, per eam Filio eius,

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 53. (pag. 616 — 7).

et Patri coelesti offerre, tum quia ut ait S. Bernardus, per manus Mariae vult transire Deus, quod nos vult habere, tum quia talis per eam oblatio, supponit et indicat magnam aestimationem meritorum et gratiae, quam illa habet apud Deum Patrem et suum Filium, quae est essentia cultus interni illius, et origo cultus exterioris. Merito itaque S. Bernardus monet: «Quidquid illud est, quod offerre paras, Mariae commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiae gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, et sine hoc aquaeductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuae, aut sanguine plenae, aut infectae muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, et omni acceptione dignissimis Mariae manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quaedam lilia sunt, manus eius, nec causabitur ille liliorum amator, inter lilia non inventum, quidquid illud sit, quod inter Mariae, manus invenerit» [1]).

Decimus septimus modus colendi Deiparam Virginem est, cum virginibus feminis virgines conversari; hoc est, cum summa, quae in hac vita esse potest, puritate et honestate, ne quidquam in conversatione cum femineo sexu, praesertim virginibus, a te fiat, quod non auderes cogitare, dicere,

[1]) Ser. in nativ. B. V. M. n. 18. ipse finis (P. l. CLXXXIII. 448 B).

facere, innuere, si cum Sanctissima Virgine, sciens illam esse Dei Matrem, conversareris. Cum enim illa, secundam causam sui in coelis, gaudii, S. Thomae Cantuariensi apparens, esse dixerit, «aureolam «virginitatis intemeratae, qua in coelo omnes Ange«lorum ac Sanctorum ordines antecellit» [1]), magnum gaudium praebebit tam castae Virgini, qui, ob reverentiam eius virginitatis, cum femineo sexu, praesertim cum virginibus, castissime coversabitur. Proinde in conversationibus cum feminis, absint verba lasciva, ioci obscoeni, amplexus et oscula impura, cogitationes et desideria immunda, maxime vero tactus impudici secretorum membrorum, sed et manuum, et pectoris, magis autem mamillarum denudatarum. Ostendit hoc Castissima Virgo miraculosis beneficiis collatis iis, qui ob eius reverentiam, vel die Sabbati (quo praecipue a piis colitur) abstinuerunt peccatis castitati contrariis, vel liberarunt virgines, propter amorem Deiparae, ne ab aliis scelestis, impuro peccato contaminarentur.

Celebris est historia in vitis SS. Patrum, in quibus scribitur, S. Paphnutio celeberrimo anachoretae, «oranti Deum, ut sibi ostenderet, cui Sancto«rum similis haberetur, ab angelo esse responsum, «quod similis esset symphoniaco cuidam, qui in vico «illo cantandi arte victum quaerebat, et qui antea «latro fuerat, sed post latrocinium (conversus ad «Deum) exercebat hoc foedum artificium, fistulis

[1]) «Ephem. Balingh. 29. Decemb.»

«inflandis victum sibi in popinis comparando. Cum «autem S. Paphnutius quaesivisset, quidnam sancti «et religiosi operis fecisset, respondit coactus a S. «Paphnutio: «Nihil mihi conscius sum boni, hoc ««tamen scio, quod cum inter latrones essem, capta ««est a nobis aliquando virgo Deo consecrata, cuius ««cum ceteri collegae mei latrones cuperent eripere ««pudorem, obieci me in medium, et eripui de con-««taminatione latronum, et nocte deducens eam usque ««ad vicum, domui suae restitui intactam. Et alio «tempore inveni mulierem honestae formae, oberran-«tem in eremo; ob inopiam rei familiaris pene ««desperatam, et se offerentem mihi pro ancilla, ut ««abducerem, quo vellem. Et miseratus ei, dedi tre-««centos solidos, et intactam revocavi ad civitatem ««ex qua venerat»» [1]). Si ergo latro pessimus, post conversionem suam symphoniis et fidium modulatione victum sibi in popinis quaerens, ob feminas duas, relictas a se intactas, adeo Deo placuit, et a Deo tantum gratiae consecutus est, ut S. Paphnutio ab ipso Deo iudicaretur aequalis meritis, hinc appareret, quanti meriti sit, ob Dei et Deiparae amorem ac reverentiam, cum feminis castissime, sine ulla impuritatis macula, in cogitationibus verbis et factis admissa, versari.

Alterum exemplum, mirabilius, refert Vincentius

[1]) *Ruf.* Hist. Monach. cap. XVI. (P. l. XXI. 435-6); et *Pallad.* Hist. Laus. c. LXIII totum, sed contractum. (P. gr. XXXIV. 1166).

Belvacensis de quodam milite impuro, qui, quod virginem insignitam nomine Mariae, et B. Virgini devotam, in Sabbato stuprare noluisset, postea in torneamentis occisus, B. Virgine deprecante, in morte contritus est, et aeternam salutem meruit. Sed praestat totam rei seriem verbis historici descriptam hic referre, quia cum primum eam legi, temperare a lacrimis non potui:

«Erat miles quidam dives, et in bellis famosus, «qui matrimonium ocium reputabat, licet in concu«piscentiis feminarum esset totus. Hic ad quoddam «torneamentum in Normaniae partibus celebrandum, «cum multo apparatu pergens, cum per quoddam «castellum, tam oculis quam corde vagus transiret, «iuvenculam quamdam in itinere vidit, cuius pulchri«tudine captus, cuidam famulo et familiari suo dixit: ««vade, curre, interroga patrem et matrem puellae, ««si mihi eam concesserint una nocte. Dabo eis decem ««libras, et unam vestem ad opus, et ornatum filiae ««suae». Qui cum iussa complesset, illa mutatoriis «induta, et ad patris imperium, ut iuvenem seque«retur inducta, ipso duce, ad militis diversorium «venit, et post cibum et potum, communis lectus «ambos recepit. Cumque ille congressum cum pu«dica virgine pararet, et illa suspirioso corde suae «virginitatis captivitatem expectaret (erat autem «nox Sabbati, quod devotio fidelium, memoriae Vir«ginis Matris conscravit); miles ait: «charissima, ««quod nomen est tibi, cur tale super me assump«sisti lamentum, cur me accipis quasi hostem, et «non amicum? An non diligis, qui te tradidit mihi,

«patrem tuum»? Cui illa voce tremula respondit: «Maria vocor, digneque lacrimis afficior, et planctum «facio, quia melius est mihi mori, quam turpiter «vivere cum virginitatis detrimento, maxime cum «Mariae continentiam voverim, et desponderim me «*uni viro virginem castam exhibere Christo:* volu«eram quidem mores, et habitum sanctimonialium «imitari, nisi patris mei paupertas reclamaret: nam «et agnosco literas, et... ex desiderio Mariae... didici «horas, a quodam pauperculo clerico, qui apud «patrem meum diversorium habet». Tunc Spiritus «Domini descendit in mentem militis, et excussit «de cogitatione eius flammam libidinis, ita ut dice«ret: «quia nox Sabbati est, et quia tu vocaris «Maria, id est Maris Stella, propter noctis, et no«minis huius honorabile sacramentum, iam nunc ces«savit, et cor meum a tua inquietudine, et corpus «a tua inquinatione, nec operor in te opera tene«brarum, sed nox haec, quam Dici aeternae Mater «sibi dicavit, mihi *sicut dies illuminabitur,* ad mo«rum conversionem... Et quia, ut dixisti, voluntа«rium tibi est Christo servire in coetu sanctimo«nialium, teste Deo promitto, quod satisfaciam «desiderio tuo, si veneris mecum». Tunc illa sub hac «pactionis, et pacis forma, dormivit tota nocte se«cura. Quam, mane facto, militis familiares equo «impositam, furtim asportaverunt, milesque eam in «monasterio, quod iuxta torneamenti erat locum, «contubernio sanctimonialium tradidit, promittens «sub iureiurando, quod pro mercede eius, locum «multis donariis honoraret et, si vita comes esset,

«eam singulis annis visitaret. Sed postea inde di-«gressus, feria secunda, in torneamenti congressu «occisus est, et in eodem loco, sicut tunc moris «erat gloriae saecularis, ad titulum sui nominis sepul-«tus. Interea virgo Christi, Virgini Matri Christi, «cui se probaverat, placere contendens, et ad spiri-«tualis illius dilecti sui reditum pendens, cum ge-«mitu et lacrimis illum Christo et Mariae commen-«dabat. Sed ceteris militibus sine illo redeuntibus, «iamque spe reversionis penitus amissa, cum Abba-«tissa sub fallaci promissione mercedis turpem vir-«ginis intrusionem accusaret, illa Beatam Mariam «lacrimosis interpellabat precibus, ut de militis statu «revelationem aliquam vel modicam, tanto dolori «procuraret. Cui ipsa Beata Virgo Maria semetip-«sam per visionem exhibuit, dicens: «Parce cha-««rissima, parce fletibus, et suspiriis. Ego sum Mater ««Iesu Maria, consolatrix tua, scito, quia quam cito ««recessit a te ille tuus in Christo dilectus, in tor-««neamenti congressu occubuit, eodemque in loco ««sepulturam accepit: qui, quoniam mihi detulit in ««te, et bona tibi contulit propter me, veraciter in ««morte compunctus, aeternam meruit salutem. Ibis ««ergo ad Abbatissam, et annunciabis ei ex me, qua-««tenus illuc citius pergat, et corpus huc translatum ««in coemeterio reponat, ut per ecclesiasticorum ««suffragiorum communionem adiuvetur. Hoc autem ««erit signum quod tibi locuta sum: rosam super ««sepulchrum vernantem reperies in superficie, cuius ««radix de ore sepulti pullulat in visceribus terrae». «Illa igitur gaudens, Dominae coelestis imperium

«Abbatissae retulit. Sed ab ea hypocrisis et confictae «visionis improperium recipiens, cum lacrimis ad «Beatam Virginem recurrit. Cui illa sicut prius, «mandatum ad Abbatissam iniunxit, et addidit de «quodam peccato eius occulto, quod ipsa confiteri «et lacrimis deberet punire: et sic cum suo con-«ventu, nudis pedibus ad faciendum quod iubebatur, «puro corde et prompto gressu ire. Quod Abbatissa «audiens, et signum recognoscens, confessione facta, «et satisfactione indicta, ad locum properavit, et «indicio rosae corpus militis inventum, in monaste-«rium suum translatum, honorifice ibidem sepe-«livit» [1]).

Ita abstinentia a luxuriae peccato, et castimoniae amor ob amorem B. Virginis Mariae, etiam improbis antea hominibus, est salutaris, et facile iter aperit ad coelum.

Pulcherrimum etiam exemplum narrat Thomas Cantipratanus libro «Apum», de S. Ludovico Cathalaunensium episcopo, «qui cum esset corpore venu-«stissimus et pudicus, Galliarum regina, coniectis in «eum oculis, oportuno loco vocatum, ad concubitum «invitavit. Quam ille torvo vultu, et oculo indi-«gnanti despiciens, verbis mirificis confutavit. Cuius «oculus post mortem, etiam in sicco cadavere ex-tingui et caligare non poterat... sed quasi luci-«dissima crystallus permansit, etiam dum post annos «plus quam quadringentos elevatum e terra in qua «sepultum fuit, esset eius corpus». Quod se ab ocu-

[1]) Spec. hist. l. VII. c. 102, 103.

lato teste, quodam abbate, qui dictae translationi corporis interfuit, se audivisse Cantipratanus testatur» [1]).

Ita remuneratur Deus, non coelo tantum, sed quandoque in terra castos oculos, et dum ex castitatis amore impuras feminas ad libidinem provocantes, torve accipiunt et increpant, ac a peccato abstinent.

Quocirca, ut monet S. Ioannes Damascenus, «curemus ut mentem memoriamque nostram, Genitricis Dei promptuarium efficiamus. Quo autem «modo id assequemur? Et Virgo ipsa est, et virginum amans. Pura est et purorum amans. Quapropter si et corporis et animi castitatem colamus, «ipsius gratiam adipiscemur. Siquidem lutum omne «fugit, ac coenosas affectiones aversatur. Ingluviem «execratur, foedissimae fornicationis vitiis infesta «est, huius impuras et scelestas cogitationes non «secus ac viperarum foetus fugit; sermones foedos «ac scurriles propellit, cantusque ac meretricia unguenta submovet, horum autem contrariis delectatur... Contraria enim contrariorum medicamenta «sunt» [2]).

Decimus octavus modus colendi SS. Deiparam: solum nomen eius proferre cum magno pietatis ac dulci affectu. Nam sola nominis eius devota pronuntiatio est valde Deo grata, et multis salutaris. Qua de re extat ipsius Virginis Beatissimae testi-

[1]) Lib. II. c. XXX. par. 33. [2]) De dorm. B. M. Virg. hom. III. n. 19 (P. gr. XCVI. 751BC).

monium S. Birgittae revelatum. «Filius, inquit, «meus, quantum etiam honoravit nomen meum audi: «Nomen meum est Maria, sicut legitur in Evange- «lio. Hoc nomen cum Angeli audiunt, gaudent in «conscientia sua, et regratiantur Deo, qui per me «et mecum talem gratiam fecit, et quod vident ipsi «Humanitatem Filii mei in Deitate glorificatam. Illi «qui in purgatorio sunt, ultra modum gaudent, tan- «quam aeger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus «verbum solatii, et quod ei placet in animo, quod «statim exultat. Angeli etiam boni, audito hoc no- «mine statim appropinquant magis iustis, quibus «dati sunt ad custodiam..., et gaudent de profectu «eorum... Omnes etiam daemones verentur hoc no- «men et timent, qui audientes hoc nomen Maria, «statim relinquunt animam de unguibus, quibus te- «nebant eam. Sicut enim avis, quae in praedam «ungues et rostrum habet; si audierit sonum ali- «quem, relinquit praedam, et cum nihil operis sequi «videt, statim revertitur ad eandem; sic daemones, «audito nomine meo, statim relinquunt animam, «quasi territi, sed iterum advolant et revertuntur ad «eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio, «subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore «Dei est, nisi sit damnatus, si invocaverit hoc no- «men, hac intentione, ut nunquam reverti velit ad «opus solitum, — quod non discedat ab eo statim «diabolus, et nunquam amplius revertitur ad eum, «nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter. «Tamen quandoque permittitur ei turbare eum, pro- «pter maiorem remunerationem eius, sed non possi-

«dere» [1]). Mirum ergo non est, divinis miraculis, confirmatam esse a Deo devotam nominis Deiparae pronuntiationem. Narrat Seguinus: «Ioannem monachum laicum devotum et sanctum, cum esset «latini sermonis omnino ignarus, tantum haec duo «vocabula: *Ave Maria*, memoriae mandasse, et ea «singulis diei horulis atque momentis, ad quoslibet «gressus, sive cum divinis interesset laudibus, sive «cum aliquid aliud ageret, sive a manuum labore «quiesceret, recitando perorasse. Unde eodem anno «quo mortuus est, ex eius ore (corpore iam tumulato), lilium litteris aureis *Ave Maria* sparsim de«coratum prodiit» [2]). Idem refert Bernardus Brito, de B. Guillelmo, in eius vita. Idem narrat Caesarius contigisse B. Ladislao Cisterciensi laico in Polonia [3]). Et in catalogo Sanctorum ac Beatorum Ordinis Cisterciensis scribitur: «in lingua Eustachii Cister«ciensis religiosi mortui, ex ore eius Dei nutu emisssa «apparuisse aureis litterris scriptum: *Ave Maria*. «Nam frater ille adhuc in corpore existens, quoties «ante altare B. V. Mariae transibat, dicendo devote «*Ave Maria*, ipsam salutabat». Ita est accepta Deo et B. Virgini devota pronuntiatio nominis Mariae.

Decimus nonus modus colendi B. Virginem est, corpus in eius honorem affligere, illis modis, quibus servi Dei illud solent affligere, uti sunt: ieiunia, disciplinae, cilicia, vigiliae nocturnae orationis,

[1]) Reval. l. I. c. 9. a medio usque ad finem, (pag. 14C et sq.). [2]) «L. 3. SS. Cist. c. 93». [3]) «H. in Dom. 9. post Pent.».

humi vel in lecto duro cubationes, capillorum vellicationes, pedestres peregrinationes, et his similia.

Vigesimus modus est pro divitibus proprie, erigere Deo in honorem B. V. Mariae, altaria, sacella, templa, statuas, imagines; distribuere certis diebus eleemosynas pauperibus, praesertim in nosocomiis existentibus, qui maiore piorum egent subsidio, quam illi in plateis vagabundi: quamquam et his collatae eleemosynae in honorem Deiparae, ei sunt acceptae.

Post haec scripta, incidi in piissimos tractatus viri inter nos sanctimonia vitae ornati, R. P. Petri Antonii Spinelli, mei olim confessarii, rectoris deinde, et Romae provincialis, quos sub titulo «Throni Dei», de Beatissimae Matris laudibus et modis eam colendi edidit, quos antea non legeram, dignos qui legantur et serventur ab omnibus: praesertim ea quae suadet capitibus: XXXVI. et XXXVII.

Ultimus modus colendi B. V. Mariam, traditus est a nostro P. Carolo Spinola, pro Christi fide combusto in Iaponia. Is in honorem novem mensium, quibus B. Virgo Christum in utero gessit, sic Dei Matrem colendam voluit:

Novies recitetur Angelica salutatio, meditando (dum quaelibet salutatio repetitur) unum aliquod privilegium Virgini a Christo datum in gratiam hospitii Christo in utero Virginis concessi: accepta hinc occasione laudandi inprimis, gratulandique Divinae bonitati, quae Virginem honore tanto est dignata; et Virginem ipsam extollendi, venerandique,

flagitando ab ea gratiam certo privilegio respondentem:

Primum privilegium est, revera fuisse Dei Matrem, quae suo eum utero conceperit, ope Spiritus Sancti. Quamobrem gratias Deo referam, simul venerando talem tantamque Matrem. Tu illam insuper ora, ut Dei mater spiritualis efficiare, voluntati Dei sanctissimae obtemperando, ex sententia illius Evangelici pronuntiati: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* [1]).

Secundum privilegium est, simul Matrem extitisse et Virginem, iunctis per miraculum foecunditate et virginitate. Ora Christum per materna merita, ut tibi bonorum omnium impertiatur ubertatem, puritati corporis animique coniunctam.

Tertium: Gravidam, novem mensibus Christum tulisse, non solum absque molestia ponderis, verum — etiam cum levaminis sensu. Obsecra, uti nunquam tibi grave videatur iugum Domini portare, sed contra, levis ac suavis appareat observatio legum illius.

Quartum. Cum aliae omnes prolem cum dolore enitantur, hanc summo cum gaudio peperisse. Ora Beatam Virginem, ut gratiam tibi impetret, spiritualiter pariendi Deum, hilari, bonorum desideriorum, propositorumque executione, quam praestare decrevisti, atque hinc animi tibi crescant, ad vincendas omnes difficultates molestiasque, quae bonis operibus esse solent impedimento.

---

[1]) Matth. XII. 50.

Quintum. Postquam angustis uteri claustris, Virgo illum esset complexa quem neque coeli, neque terra comprehendunt, tantam ei inter res creatas capacitatem datam, ut in ea Deus collocaret plenitudinem gratiae, quae Sanctorum omnium gratiam immense superaret. Deum obtestaberis per amorem illum, quo novem mensibus se utero Virginis inclusit, eius te gratiae coelestiumque donorum capacem efficiat, quibus iam te inde ab omni aeternitate ornare decrevit, si tu modo permittas.

Sextum. Postquam Verbum aeternum humanitatis nostrae vestem de castissimis Virginis Beatissimae visceribus sibi texuisset, instar Pontificis summi eam dicavit consecravitque in templum vivum, verumque tabernaculum Dei: ex illa Davidici carminis sententia: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* [1]). Obsecra Deum, interposita precatione Beatissimae Virginis, ut quoniam per Baptismi fontem in Spiritus S. templum es consecratus, illud omni labe purum serves.

Septimum. Cum Christus sit verus vitae panis, virgineus Mariae uterus factus est publicum orbis horreum, e quo eductum est frumentum electorum, ut conderetur panis Eucharistiae, quo fideles omnes pascuntur, nutriunturque; qui venter illo celebratur Sponsi cantico: *Venter tuus sicut acervus tritici.*[2]) Obsecra Beatissimam Virginem, ut quemadmodum liberalis fuit in subministrando an-

[1]) Psal. XLV. 5. [2]) Cant. VII. 2.

gelico illo pane, sic quoque gratiam tibi impetret, cum pari (qua tanto par est mysterio) religione, observantiaque gustandi.

Octavum. Cum Christus sit secundus noster Adamus, coelestis nempe ille ac Divinus; dum in Mariae latuit abditus visceribus, eam secundam Evam reddidit, ex qua per Christum regenerati sumus in filios Dei adoptivos, cum ex prima Eva nati essemus filii irae. Accurre igitur boni instar filii ad piissimam hanc Matrem, eam obtestare, ut in suam te tutelam recipiat, et a primae Evae te calamitatibus asservat.

Nonum. Postquam in Virgine Deus habitavit, facta est instar paradisi deliciarum ac voluptatum, imo coeli instar empyrei, cui semper frequens assistit coelorum regia, cum nequeant coelestes illae mentes spectaculo hoc satiari, quale fuit: videre immensum Deum, unius Virguncule sinu inclusum. Deum orabis, ut animam tuam vertat in paradisum divinae suae Maiestatis; expurgetque spinis, urticis, tribulis omnibus vitiorum, quae sterilem in silvam, atque infoecundam eam convertunt [1]).

[1]) Est versio e libro italico: «Vita del P. Carlo Spinola della Comp. di Gesù, morto per la santa fede nel Giappone, del P. *Fabio Ambr. Spinola* dell' istessa Comp. In Roma 1671»; et in fine voluminis appendix quaedam sub tit: «Devotione ad honore dei nove «mesi ne'quali la Vergine portò nel suo Ventre «Christo Gesù». (Nota edit.)

CAPUT XIV.

De piis Affectibus per Creaturas excitandis.

Octavum genus affectuum peti potest ex creaturis, quae se nostris sensibus obiiciunt, prout unaquaeque incidet in sensus nostros. Nam ut ait S. Basilius, «universa haec mundi moles, proinde est ac liber «literis exaratus, palam contestans ac depraedicans «gloriam Dei, illiusque Augustissimam Maiestatem, «arcanam alioqui et invisibilem, abunde enuncians tibi «intellectuali creaturae»[1]). Hoc autem ante, David docuerat: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum*[2]). Quod cum aliis modis praestat per se ipsum, tum etiam per reliquas creaturas, quae incurrunt in sensus nostros. Nam, ut scribit S. Augustinus, «ipsa species crea«turarum, voces sunt quaedam Creatorem laudan«tium». Explicans autem locum: *Circuivi et immolavi in tabernaculo eius, hostiam vociferationis*, (et legit *inbilationis*), «et unde, inquit, hostia in«bilationis? unde inventa est? Circumeundo. Cir«cumeat, inquit, animus tuus per universam crea«turam, undique tibi clamabit creatura: Deus me «fecit; quidquid te delectaverit, in arte artificem «commendat, magisque si circumeas universa, con«sideratio concipit artificis laudes. Vides coelos,

---

[1]) De hominis struct. or. II. n. 1 (P. g. XXX. 42). [2]) Psal. XVIII. 1.

«magna opera Dei sunt; vides terram, Deus fecit «semina innumera, diversitates germinum, multitudi«nem animalium...» [1]). Sic et S. Prosper: «Quod, inquit, est testimonium, quod semper Domino, de«servivit, et nunquam de eius bonitate ac potentia «conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pul«chritudo, et inenarrabilium beneficiorum eius dives «et ordinata largitio? per quam humanis cordibus «quaedam aeternae legis tabulae praebeantur, ut in «paginis elementorum, et voluminibus temporum, «communis et publica divinae institutionis doctrina «legeretur. Coelum ergo, mare, terra, et omnia quae «in eis sunt, consono speciei suae ordinationisque, «concentu protestabantur gloriam Dei, et praedica«tione perpetua maiestatem sui loquebantur Aucto«ris: et tamen maximus hominum numerus, hanc «vocem non intellexit» [2]). Accipienda est ergo occasio piorum affectuum ex rebus creatis, quae in nostros sensus incurrunt. «Omnia enim quae visui «patent, inquit S. Macarius Aegyptius, sunt umbra «verarum rerum, ad animam pertinentium. Est enim «praeter hominem conspicuum, alius homo interior, «et alii oculi quos obcaecavit satanas, et aures, quas «surdas effecit. Sed venit Iesus ad interiorem hunc »hominem restituendum sanitati» [3]). Quod cum aliis modis praestat per se ipsum, tum etiam per reli-

---

[1]) Enarr. II. in Ps. XXVI. n. 12 (P. l. XXXVI 205-6). [2]) De vocat. omn. gent. l. II. c. 4 circa finem (P. l. LI. 690-1). [3]) Hom. XXXIII. n. 4 ipse finis (P. gr. XXXIV. 743C).

quas creaturas, quae incurrunt in sensus nostros. Exempli gratia: exis e cubiculo, vides aliquos colloquentes, propone servare silentium, dole de illo colloquio, si videri potest otiosum. Audis strepitum ventorum saevientium, ora pro navigantibus. Audis in taberna bibentes, saltantes, dole ob peccata eorum, pete a Deo ne inebrientur, et si fuerint inebriati, ut cito confiteantur peccatum. Sed non omnes sciunt per creaturas ascendere ad Deum. Qua de re sic S. Chrysostomus in illud: *de dormientibus nolo vos ignorare* (I. Thess. IV. 13); «video, inquit, omnia quaecumque a Deo procreata sunt, «atque ita ad ipsum mundi Parentem velut manu «deducor. Impius aliter videt. Et quemadmodum in «literis usuvenit, ut omnes aeque eas cernamus, «docti iuxta ac indocti, at non eadem omnes mente; «stulti enim et ignari cum eas vident, nihil aliud quam literas esse putant; intelligentes vero, magna «arte sensum reconditum eruunt. Ad eundem mo«dum et in ipsis rebus iisdem omnes oculis quae «accidunt, videmus, at non eadem mente» [1]). «Pytha«goraei, ut scribit Antoninus, mane nos coelum «aspicere iubebant, ut recordemur eorum, qui sem«per suum officium praestant; item ordinis, purita«tis et simplicitatis nudae; astris enim nullum est «velamentum [2]). Sic ex creaturis sumebat occasionem elevandi mentem ad Deum ille senex, S. Antonii discipulus in «Vitis Patrum», «qui in die qua

[1]) Tomo III. edit. Ducaei, ser. 29. [2]) «L. 11. de vita sua, num. 24».

«eum dactylos custodire contingebat, clamabat di-«cens: «Discedite ab intro malae cogitationes, et de ««foris aves». Erant enim deputati in monte S. An-«tonii septem monachi tempore dactylorum, et unus «ex eis abigebat ab eis volucres» [1]) Narrat Socrates, Pambonem, cum deprecante Athanasio ab eremo descendisset Alexandriam, et vidisset mulierem theatralem, flevisse, et inquisitum a praetereuntibus, quare ploraret, respondit: «Duae me res moverunt: «una, illius mulieris perditio; altera vero, quia ego «non studeo tantum placere Deo, quantum haec, ut «turpibus possit placere hominibus» [2]). Vides serenam diem, gratias age pro serenitate, si autem noxia est frugibus, pete pluviam: pete illuminationem infidelium et peccatorum, et tepidorum, et beatitudinem coelestem, in qua est perpetua serenitas. Et ut monet B. Macarius: ‹si aspexeris solem, inquirito «verum solem... Si spectaveris lumen, respice ani-«mam tuam, num verum et bonum lumen nactus «sis» [3]). «Qua fronte intueberis solem, inquit S. Chry-«sostomus: nisi prius adoraveris illum, qui lumen «illud dulcissimum oculis tuis mittit» [4]). Sic apud S. Ioannem Climacum, «quidam coquus erat, singu-‹lari lacrimarum gratia praeditus, a quo cum sedulo sciscitatus fuisset, qua ratione tantum donum «adeptus fuisset, tandem precibus inductus respon-

[1]) Vitae PP. l. V. libell. XI. n. 50 (P. l. LXXIII. 940 A) [2]) Hist. eccl. l. IV. c. 23 ante medium (P. gr. LXVII. 514BC). [3]) Hom. XXXIII. n. 4 (P. g. XXXIV. 743B). [4]) De precat. Or. I in fine (P. gr. L. 780).

«dit: se nunquam arbitratum in culinae ministeriis «servire hominibus, sed in suis fratribus, de Apo«stolis bene mereri, et ex ignis, quem perpetuo «cernebat, conspectu, vasta ignis inferni incendia «animo versasse, quae consideratio uberes ex oculis «lacrimas solebat elicere» [1]). Sic S. Basilius hortatur: «ne in mensa quidem animus noster a Dei «cogitatione vacare debet: verum ex ipsa ciborum «natura, sumentisque corporis officio, occasionem su«mere dandi Deo gloriam, quia variae ciborum spe«cies salubritati proprietatique corporum convenien«tes, ab eo, qui cuncta sapientissime dispensat, ex«cogitatae sunt» [2]). Placet Deo, eius beneficentiae inter fercula recordatio: et usque adeo placet, ut ei deditos, coelestibus tunc consolationibus reficiat, ut B. Hugoni Episcopo, et B. Aloysio nostro contigisse, ex eorum vitis scimus, et aliis quos novimus: quando etiam a sensibus abstrahi aliquos velit, uti legimus de Isidoro apud Palladium [3]), et de S. Antonio Abbate apud S. Athanasium, et de B. Ioanne Tesscida in eius vita. Alioquin, ut dixit S. Clemens apud S. Ioannem Damascenum, «mensa, in qua nulla Dei memoria adhibetur, a brutorum stabulo non differt» [4]). S. Climacus: «Cum ad «mensam epulis instructam discumbis, procedat in «medium iudicii mortisque memoria, vix enim vel

[1]) Scala parad. grad. IV. sextum incisum (P. gr. LXXXVIII. 686C). [2]) Epist. II. n. 6 (P. g. XXXII. 231). [3]) Hist. Laus. c. I. (P. gr. XXXIV. 1008A). [4]) Sacra parall., litt. *A.* tit. XXVII ipse finis (P. gr. XCV. 1414B).

«sic parum concupiscentiae obsistes. Dum calicem «bibis, memento item aceti et fellis Domini tui, «prorsusque aut continebis, aut certe per gemitum «humilior eris» [1])

Noster Beatus Petrus Faber hac in re mire excelluit. Nam praeter ea que infra de eo referam, huc spectare videtur, quod de eo scribit Orlandinus: «Nil temere aut socordem per usum tracta«bat. Cum sacra se unda respergeret, Dominum «precabatur, ut quidquid illa benedictionis et virtu«tis haberet, id omne conferret in animam suam, «ad lavandam eam a noxis, ad complendam donis «coelestibus, ad muniendam et defendendam contra «hostes invisos. Ad sacrarum conspectum imaginum, «praeter consentaneum cultum, intelligens vim pro«priam imaginis esse, repraesentare eum, cuius est «imago, conabatur ipsum Dominum aut Deiparam «aut alium e coelitibus, quem imago referret, menti «suae praesentes intime facere, ut perpetuo insi«derent» [2]).

Audis pluviae strepitum, si est utilis eo tempore, gratias age Deo pro ea, offer Deo tot actus fidei, spei, charitatis, humilitatis, contritionis, adorationis, gratiarum actionis, invocationis divini auxilii etc., quot sunt guttae illius pluviae. Pete continuum influxum gratiae auxiliorum, in mensura bona, conferta, coagitata et superefluente, per quae et tu, et tecum alii, semper perfectissime opereris,

[1]) Scala parad. grad. XIV. inter med. et fin. (P. g. LXXXVIII. 870B). [2]) Lib. II. c. 3 prope fin.

et Deum quam maxime glorifices. Audis strepitum saecularium rerum vel personarum, gratias age Deo, quod te liberaverit e vita saeculari, et posuerit in domo sua. Quando in itinere transis pagum aliquem, oppidum, vel urbem, vel domini alicuius domum, etc., hos potes affectus depromere: *Primo.* Roga Deum, ut per merita eorum, qui eo in loco placent ei, misereatur tui. *Secundo.* Gratias age pro beneficiis omnibus praeteritis, praesentibus et futuris, concessis et concedendis iis, qui ibi habitarunt, habitant et habitabunt. *Tertio.* Commenda Deo omnes necessitates ibi habitantium, et ut Deus eos exaudiat. *Quarto.* Detestare peccata illic commissa, et dole de illis. Quod si ibi sint haeretici aliqui, actus contrarios, i. e. fidei, saltem in genere elice. *Quinto.* Pete remissionem peccatorum illorum. *Sexto.* Commenda Deo animas illic defunctorum. Sic S. Fulgentius, dum Romam venisset, et sub Theodorico rege illic praesente, «Romanae Curiae no-«bilitatem, decus, ordinemque adspectasset», (uti de eo in eius vita scribit eius discipulus) «illis nugis «saecularibus non consensit; sed inde potius ad illam «supernae Hierusalem desiderandam felicitatem... «exarsit, salubri disputatione... sic admonens fratres: «Quam speciosa potest esse Hierusalem coelestis, si «sic fulget Roma terrestris? Et, si in hoc saeculo «datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, «qualis honor et gloria praestabitur sanctis, contem-«plantibus veritatem» [1]). Similibus affectibus S. Mar-

[1]) *Bolland.* in vita, c. XIII ipse finis (T. I. pag. 37).

tinus episcopus Turonensis, occasione e creaturis accepta fervebat. Nam ut scribit S. Severus Sulpitius in epistola ad Bassulam socrum suam, visiturus dioecesim Condatensem cum discipulis suis, videns mergos in flumine piscibus capiendis insidiantes, «forma, ait haec daemonum est: insidian«tur incautis, capiunt nescientes, captos devorant «exsaturarique nequeunt devoratis» [1]). S. Chrysostomus monet: «Vestium amictus, continuum nobis «monimentum, quo memores simus, quantis bonis «exciderimus: et discamus, quanto supplicio huma«num genus ob inobedientiam sit affectum [2]). Nam «postquam nostri primi parentes ob peccatum ab «innocentia illa et angelica vita exciderunt, dispen«savit Deus, ut ex ovium velleribus homines indu«menta sibi pararent» [3]). Sic S. Franciscus, uti scribit S. Bonaventura, «ut ex omnibus excitaretur ad «amorem Dei, exultabat in cunctis operibus manuum «Domini, et per iucunditatis specula, in vivificam con«surgebat rationem et causam. Contemplabatur in pul«chris pulcherrimum, et per impress arebus vestigia, «prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi sca«lam faciens, per quam ascenderet ad apprehenden«dum Deum, qui est desiderabilis totus. Inauditae «enim devotionis affectu, fontalem illam bonitatem «in creaturis singulis, tamquam in rivulis degusta«bat» [4]). Et S. Chrysostomus: «Ab experimento in-

[1]) Patr. lat. t. XX. pag. 181D. [2]) In Genes. hom. XVIII. n. 2 (P. g. LIII. 150). [3]) Ibid. paulo superius. [4]) Vitae c. IX. n. 123. (Boll. t. L. pag. 766).

quit, rerum tenuium fieri potest, ut accipiamus de «magnis aliquid coniecturae. Si quando in balneo «fueris nimium effervescente, tum gehennae recorda«beris: et rursus, si quando febre acriore conflagra«veris, ad flammam quae illic est progredere: tum «probe intelliges, quia si balneum et febris adeo «nos afflictant et territant: quo animo futuri sumus, «quando in fluvium ignis inciderimus, qui ducitur «ab illo horrendo tribunali»? [1]); quod etiam in igne purgatorii locum habet. Et alibi: «Quando videris «aliquid bonum et magnum in praesenti vita, co«gita coelorum regnum, et id nihil esse existimabis: «quando terribile, cogita gehennam et irridebis» [2])

De S. Patre Nostro Ignatio scribit Ribadeneyra: «Vidimus, inquit, frequenter illum ex tenuissimis «rebus ad Deum, qui in minimis etiam maximus «est, ascendentem: ex plantulae, frondis, fructus «unius aspectu, et vermiculi alicuius aut bestiolae consideratione, super coelos attollentem se, et ad ea, «quae a sensibus remota sunt, penetrantem, capien«temque e singulis utilissima documenta ad totius «informationem vitae» [3]). Et Maffeius de eodem scribit: «Id nostris hominibus cupiebat esse familiaris«simum, ut e singulis creatis rebus, quoad eius fieri «posset, Creatoris sapientiam, potentiam, bonitatem «agnoscerent» [4]). Et sic aliorum obiectis sensuum,

---

[1]) Ad Theod. laps. adhort. l. I. n. 10 initio (P. g. XLVII. 289). [2]) In Epist. II. ad Thess. hom. II. n. 3 secundum incisum (P. gr. LXII. 476). [3]) Lib. V. c. 1 ante medium (pag. 402). [4]) Lib. III. c. 1 initio (pag. 263 ed. Colon. 1585).

excitabis te ad actus supernaturales, iis similes eliciendos. Hoc suadet S. Basilius: «Accumbens, inquit, mensae, ora, esitans panem, Largitori gratias «rependito: suffulciens, firmansque infirmas corporis «partes vino, eius fac memineris, qui hoc te dono «impertivit, et ad inserendam cordi tuo laetitiam, «et ad multiplicium infirmitatum non mediocre sola«men... Tunicam indueris? gracias age benigno Auc«tori. Amiciris pallio, fac ut in te augescat inten«sior erga Deum charitas, qui tegumenta gratuito «largitus est, hiemi aestatique accommoda, quibus «et vita conservetur, et turpitudo obveletur. Tibine «dies expletus abiit? illi referto gratiam, qui solem «quidem, nobis nihil tale merentibus indulsit, in divinae operationis ministerium; ignem vero contulit «illustrandae nocti, ut quoque reliquis vitae commodi«tatibus subserviat. Ipsa rursus nox alias ad ora«tionem suggerere possit occasiones. Etenim si quan«do in coelum suspexeris, in eximiam siderum pul«chritudinem, cole Deum, qui cuncta haec in sa«pientia condidit. Ubi omnigenum animantium na«turam in somnum resolutam ac depressam perspe«xeris, supplex procidens adora eum, qui nos nec «cogitantes, aut certe invitos, indulgentia soporis, «a continenti assiduitate laborum relaxat, et alle«vat, perque exiguae quietis refocillationem, vigo«rem addit corpori, viresque restaurat... Sane ad «eum modum indivulse et continenter oraveris, non «quidem si verbis modo orationem expleveris tuam, «verius ubi omnis prorsus vitae tuae ratio atque «institutum, divinae te conformarit voluntati, sic ut

«vita ipsa dici et esse promereatur, continens quae-«dam et indivulsa oratio» [1]).

Quin ipse Christus Dominus, similes affectus docuit S. Birgittam: «Cum imponis tibi vittam, «seu velum capitis, quo stringuntur capilli, dicito: «O Domine Deus meus,... qui omnia bene creasti, ««et hominem excellentius prae omnibus ad imagi-««nem tuam creasti, miserere mei. Et quia non ser-«vavi pulchritudinem faciei meae ad honorem tuum, «ideo velo frontem meam». Cum vero attrahis cal-«ceos, dicito: «Benedictus sis tu Domine Deus meus, ««qui praecipis mihi habere calceos, ut sim fortis et ««non tepida in servitio tuo. Conforta igitur me, ut ««in mandatis tuis possim ambulare»... Cum vero ad «mensam accedis, dicito: «O Domine Deus meus, ««si velles, sicut potes, me sine cibo subsistere, liben-««ter rogarem te, nunc autem quia praecipis nos ««cibum sumere cum discretione, rogo te, da mihi ««continentiam in cibo, ut per gratiam tuam possim ««comedere secundum naturae necessitatem, et non ««sicut cupiditas carnis petit». Cum autem accedis «ad somnum, dicito: «Benedictus sis tu Deus, qui ««temporum vicissitudinem disponis nobis, ad alle-««viationem et solatium animae ac corporis, rogo te, ««da corpori meo requiem in hac nocte, et serva me ««illaesam a potestate et illusione inimici»» [2]). Et alio loco: «Quando necessitate requirente refectio su-«mitur, sic homo debet cogitare: «O Domine, quia

[1]) Hom. in mart. Julitt. n. 34 (P. g. XXXI. 243).
[2]) Revel. l. IV. c. 94. (pag. 327 E et sq.).

«iussisti nos refici ad solam necessitatem, laus tibi «sit, et da mihi gratiam, ut in sumptione non sub-«repat mihi peccatum». Si vero temporalium bono-«rum delectatio oriatur, cogitet homo taliter: «O Do-«mine, omnia terrena non sunt nisi terra et transi-«toria, ideo da mihi ea sic disponere, ut de omni-«bus sciam tibi reddere rationem»». Ibidem B. V. Maria per S. Birgittam inter alia, dat talia monita cuidam episcopo. «Cum primum evigilaverit episco-«pus de nocte, statim debet regratiari Deo, pro «charitate eius in creatione, pro passione eius in «redemptione, pro patientia qua supportavit diu «peccata et mores eius. Deinde cum surgit e lecto «et induit vestes, dicat sic: «Terra tenetur vestire «terram suam, et cinis esse cum cinere suo. Verumta-«men quia ex providentia Dei habeo episcopale «officium, in speculum aliorum, ideo induo te asi-«num, qui es corpus meum, in cinere et terra non «propter superbiam, sed in operimentum, ne nudus «appareas: nec curo utrum indumentum tuum sit «melius an vilius, nisi tantum ut propter honorem «Dei, episcopalis agnoscatur habitus, et in habitu «discernatur ab aliis episcopalis auctoritas, ad cor-«rectionem, et ad informationem infirmorum. Prop-«terea rogo te piissime Deus, qui vocasti me ex «gratia tua, da mihi conscientiam in animo, ne su-«perbiam ex magno cineris pretio, nec inaniter «glorier de colore, sed tribue mihi fortitudinem «virtutum. Ut sicut habitus episcopalis, est hono-

[1]) Rev. l. IV. c. 120. (pag. 351 LB).

«rabilis prae aliis, propter auctoritatem divinam, «sic habitus animae, virtuosior sit apud te: ne, vel «propter auctoritatem indiscrete habitam, deprimar «profundius, vel propter habitum laudabilem, in- «digne portatum, denuder ignominiosius ad damna- «tionem» [1]). Et postea docet, quomodo aliae actiones ab eo peragendae sint, quibus etiam conformes pios affectus proponit episcopo. «Cum, inquit, acce- «dit ad mensam, dicat sic: «Domine Iesu Christe, «qui vis quod corpus sustentetur de cibo corpo- «rali, rogo te, da mihi auxilium sic dare corpori «meo necessaria sua, ut non attedietur ex nimietate «ciborum, nec deficiat ex parcitate, sed inspira «mihi moderationem congruam, ut cum de terra «vivat, Dominus terrae a terra sua non provocetur «ad iram». [2]). Et infra: «Ingrediens lectum oret sic: «O Domine Deus meus, qui creasti corpus meum, «vide me misericordia tua, et praesta mihi auxi- «lium tuum, ut non ex nimietate somni acediosus «fiam ad servitium tuum, nec ex defectu somni, «deficiam in servitio tuo, sed modera somnum «meum, quem praecipis habere, ad corporum rele- «vationem, ut inimicus non noceat corpori, necnon «occulto iudicio tuo in anima dominetur». His similia traduntur alteri episcopo [3]).

Qua in re enituit admirabiliter nostri Beati Petri Fabri industria, quam fuse describit Orlandinus in eius vita, quae cum nunc aegre inveniri

---

[1]) Rev. l. IV. c. 126 in med. primi dimidii (pg. 359 G et sq.). [2]) Ibid. (ibid. D). [3]) Ibid. in med. (pag. 360 A C).

possit venalis, non gravabor id quod de eo refert hunc in locum transscribere. «Cum ad urbem ali-«quam oppidumve propius accederet, fundebat super «incolas orationem, et Clementissimo Dei Numini «supplicabat, ut eius regionis Angelus, Angelique «Magistri singulorum hominum, atque Custodes, «praecipuo eam studio, curaque defenderent. Invo-«cabat et Sanctos, cuiusque loci Patronos ac Tute-«lares, ut pro habitatoribus suis, aut gratias agerent, «aut opem poscerent, aut veniam a Deo peterent, «partesque illas officii atque gratiarum, quas ipsi «incolae vel negligerent vel ignorarent, ipsi ultro «susciperent, atque peragerent. In conducendis etiam «novis aedibus, ac permutandis hospitiis mos erat, «ipso primo suo ingressu, singulis in cubiculis ge-«nuflexo precem fundere, et conclavia cuncta, om-«nemque angulum, tum ad abigendos impuros spi-«ritus, qui hunc aërem obsident, tum ad arcendam «aëris inclementiam pia precatione lustrare: memi-«neratque in suis precibus eorum etiam, qui in do-«miciliis illis vel habitassent aliquando, vel inposte-«rum habitarent, ne quid eorum animis illa office-«ret habitatio. Quin et vicinorum Angelos, contra «eosdem spiritus implorabat, praesertim eos, qui «non tam tectis essent infesti, quam corporum pu-«dicitiae. Addebat et sanctorum hominum concilia-«tionem, praecipue qui colerentur proximis templis: «ut perbeati sibi videri possent, qui deinceps tam «expiatis, et procuratis aedibus uterentur. Sed quam «studiose materiam undique aucuparetur orandi, vel «illud documento esse potest; quod cum in prin-

«cipis Philippi regiam, concionis auscultandae gratia, «se aliquando conferret, a ianitore qui eum non «noverat, primo repulsus, expectandi moras et tae«dia in orationis argumenta convertit. Sed quid «mirum: si recte valenti tam erat cordi precatio, «quando eandem curam gerebat aegrotus. Aegrota«bat aliquando Lovanii, et morborum inter aculeos «accusabat animi orantis siccitatem, cumque ea re «vehementius angeretur, quod videretur sibi Deus «longius recessisse, venit in mentem illius ex «psalmo Davidico (XC. 15) vox: *Cum ipso sum «in tribulatione*, qua quidem paulisper expensa «atque excussa, moerorem omnem, angoremque di«scussit. Alias etiam, cum ad multos dies noctur«nos somnos adimeret morbus, nec ullam caperet «quietis partem, neque nocturnae neque diurnae, «ille alia ex eisdem oraculis, apta voce, somni fu«gam ac desiderium lenire coepit: *In pace in idip«sum dormiam, et requiescam* (Psal. IV. 9). Cum «imbecillimum caput vis doloris obtunderet, repete«bat memoria spinis obsitum caput Christi, et hor«ridis vepribus cruentatum. Atque his cogitationum «fomentis, cum doloris temperabat ardores, tum dul«ces liquescebat in lacrimas. Quin etiam eo cre«scebat degustati calicis sitis, ut vehementer cupe«ret suum caput ad spinosum Domini caput appli«cari, et eius convulnerari spinis, atque configi. «Parmae, cum inter initia vehementius laboraret, nec «se de more posset, ut eius gestiebat animus, in «animorum salutem impendere, continuo Dei mu«nus agnovit, et in beneficii parte posuit, quod ille

«in se iacentem, suos mallet atque privatos, quam «stantem atque valentem, alienos curare progressus. «Hoc perenne precationis studium alebat atque fo- «vebat varietas: et erat quidem illi quotidianae con- «templationis pabulum, vita Christi: ubi enim mens «eius versaretur uberius? ubi iucundius? Sed ad «pietatem, multiplices alios vel ex pia et accurata «lectione, vel ex doctrina et afflatu Spiritus Sancti, «adiungebat orandi modos, praecipue autem tres, «summe utiles, eosdemque iucundos quam difficiles «magis, quos ob eam rem optabat, ut confessarii «suos quisque asseclas edocerent.

«*Primus* erat e litaniis, quas assidue, et ad «omnem adhibebat usum. Non enim ad beneficia «modo postulanda, ut vulgo fit, sed ad gratulan- «dum, adorandum, laudandum, et similia religionis «officia utebatur. Etenim prout locus tempusque «admoneret, ingrediebatur mente beatam illam cu- «riam, et ad thronum Sanctissimae Trinitatis, Pa- «trem rogabat, ut Filio et Spiritui Sancto benedi- «ceret; tum Filio supplicabat, ut benediceret Patri, «ac Spiritui Sancto; ac deinde Sanctum venereba- «tur Spiritum, ut idem benediceret Patri et Filio. «Intelligebat autem mutuam gratulationem quandam, «et quam dicimus complacentiam. Deinde Beatissi- «mam coeli Reginam precabatur, ut Sanctissimam «Trinitatem suo nomine, aut etiam alicuius e vivis «vel mortuis, adoraret: ac rursus Augustissimam «Trinitatem, ut Beatissimae Virgini, benediceret pro «omnibus donis, quae per eam in terras derivan- «tur. Tum ad Angelorum ceterorumque coelestium

«ordinum choros adiens, prensabat unumquemque, «pariter rogans, ut pro se aliisve Deo aut Beatae «Virgini, aut alteri Sanctorum, gratiarum actiones, «aut aliud genus honoris persolveret.

«*Alter* modus orationis erat ex percurrendis «praecipuis vitae Domini necisque mysteriis, quae «ad praesens tempus scienter accommodabat: per- «que ea deinceps singula, Sanctissimae Trinitatis «Personas, coelitesque omnes obtestabatur.

«*Tertium* genus sumebat e Summa christianae «doctrinae, ut Dei praeceptis et Ecclesiae, ut fidei «capitibus, ut peccatis septem principibus, contra- «riisque virtutibus, ut pietatis operibus, quinque «item humani corporis sensibus, et tribus animi «facultatibus: haec ordine recolens. Ipsa rerum va- «rietas, varios suggerebat affectus, et nunc veniae «petitiones, nunc donorum postulationes, nunc actio- «nes gratiarum, non pro se tantum ac vivis, sed «etiam pro vita functis addebat, rogans Deum, ut «condonaret eis, quidquid ex primo adhuc deberent «praecepto, quidquid ex secundo, itemque de cete- «ris; quidquid in superbia peccaverint, necdum «deletum sit: quidquid oculis aut auribus, quidquid «in operibus misericordiae, in articulis fidei, et in «virtutibus, quibus adipiscendis negligenter insti- «terint.

«Hae praecandi tres formae erant Fabro perfa- «miliares. Incidit quoque in librum quemdam S. Ger- «trudis, unde variam se fatetur orandi silvam, ma- «gno suo commodo comparasse. Sed admirabilem «in hoc genere varietatem suppeditabat, ista tempo-

«rum, feriarumque varietas, cum aut varia Redempto-«ris nostri mysteria, aut Sanctissimorum Martyrum «neces, solemni religione recurrerent. Qua pietatis «vicissitudo, ita gustum in eo quemdam, aviditatem-«que, velut in epulis renovabat, ut nunquam ex «usu, nunquam impellente consuetudine, vel ad con-«templationem, vel ad sacrosancta Liturgiae myste-«ria: quod plerique parum considerate cogitateque «faciunt, sed quotidie novus, quotidie recens, acce-«deret» [1]). De eodem idem alibi sic scribit: «Visis «cadaveribus ac sepulchris, non modo memoriam «subire mortis, sed admirationem aeternae Sapien-«tiae, quam speciosum ex vilissimo pulvere cor-«pus restituere destinasset: simul agi gratias Deo «debere, quod per talia adminicula dignatus esset, «praeclara multa, ad sui commendationem nominis «perpetrare... Orans pro animabus defunctorum, ro-«gabat, ut illos dolores, ad uberiorem gloriam pro-«merendam sibi inutiles, pro nobis Deo ipsae dica-«rent: ut intelligeremus, quantopere vitanda peccata «sint, quantumque curae ac diligentiae sit in virtu-«tis studio, ac divino cultu ponendum: ac praesertim «notitiam et odium nancisceremur earum culparum, «propter quas ipsae purgatricibus flammis exure-«rentur» [2]). Et quod mirabilius est, etiam in melio-ribus Ethnicis fuit aliqua species talis pietatis. Scribit Plutarchus de Paulo Aemilio Romanorum

[1]) Lib. II. c. 4 fere totum. [2]) Ibid. c. 17 ante med., et non procul a fine.

legionum duce, contra Perseum dimicante: eum hastam tenentem pugnantemque, opem implorasse Dei: quod multi in Christiana militia non faciunt.

CAPUT XV.

De Actibus Amoris erga Deum eliciendis.

His octo *generibus* affectuum, subiiciam *nonum*, de frequentatione actuum amoris erga Deum, quos tum ex theologorum doctrina, tum ex Sanctorum ac magnorum Dei servorum exemplis et praxi didici. Sicut autem alii pii affectus, non semper, nec uno modo, debent elici, sed iuxta commoditatem temporis et occupationum, longius a solitariis, brevius ab aliis, — idem et in his observandum est.

Porro amoris erga Deum genera sunt duo: alter, amor *concupiscentiae* vocatur a theologis [1]), quo Deum prosequimur ut bonum ac utilem nobis, et a quo gloriam speramus aeternam: alter, priore perfectior, dicitur amor *benevolentiae*, quo Deum amamus propter bonitatem quam habet in se, sine respectu ad beneficia eius, per quae vel speratur fore, vel est bonus nobis. Cum ergo in rebus fluxis ac transeuntibus, id quod est optimum eligamus, par etiam erit, ut in rebus spiritualibus, praeferamus actibus amoris concupiscentiae, actus amoris benevolentiae, cum sint hi illis perfectiores, ut docet S. Thomas [2]).

---

[1]) *S. Thom.* I.II^{ae} q. XXVI. a. 4. ⊙; et II.II^{ae} q. XXIII. a. 1. ⊙. [2]) II.II^{ae} q. XVII. a. 8. ⊙.

Actuum amoris Dei alii, sunt mere interni, a sola voluntate eliciti, alii externi. Utrique aeque sunt necessarii ut sit amor Dei omni ex parte perfectus, non solum qua Deum respicit, verum-etiam, qua proximum propter Deum: qualis amor, in servis Dei requiritur. Eadem enim virtute supernaturali seu habitu charitatis, quo Deus amatur propter se, etiam homo amatur propter Deum, ut docent Sancti [1]) et theologi [2]). Unde quantus est erga Deum amor, tantus est erga homines propter Deum amatos. «Charitate diligimus invi-«cem, inquit S. Augustinus, et diligimus Deum: «neque enim vera dilectione diligeremus invicem, «nisi diligentes Deum» [3]). Imo, ut idem S. Augustinus alibi scripsit, «nos ipsos tanto magis diligi-«mus quanto magis diligimus Deum» [4]). Et haec est causa, cur ab Apostolo dilectioni proximi attribuatur totius legis impletio: *Qui diligit proximum, legem implevit* [5]). Et alibi: *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum* [6]); quamvis ad legem implendam etiam Dei dilectio, et quidem principaliter necessaria sit, *in his enim duobus mandatis,* ut ait Christus Dominus, *universa lex pendet et Prophetae* [7]). Sup-

---

[1]) *S. Basil.* Liber de virginit. n. 37. (P. gr. XXX. 743 D). [2]) *S. Thom.* II. II^{ae} q. XXV. a. 1. ⊙. [3]) In Ioann. tract. LXXXVII. n. 1 (P. l. XXXV. 1852); vide etiam epist. CLXVII. c. V. n. 16 (P. l. XXXIII. 739). [4]) De Trinit. l. VIII. c. 8 in fine (P. l. XLII. 959). [5]) Rom. XIII. 8. [6]) Galat. V. 14. [7]) Matth. XXII. 40.

ponit enim Apostolus, a Christiano proximum debere diligi propter Deum, et ex Dei amore. Alioquin, ut ait S. Gregorius Papa, «si quis quemlibet «amat, sed propter Deum non amat, charitatem non «habet, sed se habere putat» [1]). Ideo, inquit, S. Bernardus: «Ut perfecta iustitia sit diligere proximum, «Deum in causa habere necesse est» [2]).

Actus interni amoris Dei longiores, sunt hi aliique similes; possuntque mente sola, his aut similibus verbis, tam erga Deum, quam erga proximum propter Deum amatum, concipi:

Primo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi di«lectissime, desidero, ut omnes homines te cogno«scant, tibi serviant, te ament, te glorificent, ut par «est, cum omni possibili perfectione».

Secundo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, desidero, ut nunquam quidquam acci«dat, quod cordi tuo Divino, omnique amore di«gnissimo, possit ulla ratione displicere».

Tertio. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, desidero, ut haeretici omnes, et schi«smatici, infideles, et peccatores, et iusti tepidi, «quamprimum convertantur, et conversi, te ament, «viribus omnibus, omni possibili modo et ratione».

Quarto. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, desidero, ut Sanctissimum nomen tuum

[1]) In Evangelia, l. II. hom. XXXVIII. n. 11. (P. l. LXXVI. 1289 A). [2]) Lib. de diligendo Deo c. VIII. n. 25 initio (P. l. CLXXXII. 988 D, et 989 A).

«a creaturis omnibus, per mundum universum, omni «ratione imaginabili ametur et glorificetur».

Quinto. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, desidero, ut iusti omnes profectum «faciant in virtutibus maximum, praesertim in amore «tui, ut inde delectationem gustumque ac gloriam «omnem possibilem percipias».

Sexto. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi di-«lectissime, gaudeo et exulto, de omnibus tuis per-«fectionibus intrinsecis, quas habes, et habuisti ab «aeterno, sine defectu et indigentia ullius rei». Potes hic nominare varias Dei perfectiones, uti sunt: Bonitas, Sapientia, Omnipotentia, Immensitas, Aeternitas, Incorruptibilitas, Immortalitas, Gaudium ineffabile, Felicitas possibilis et decens, amor quo se ipsas mutuo prosequuntur divinae personae, et sese amando gaudent ac fruuntur infinite. Potes etiam unamquamque Divinarum perfectionum recolendo, gaudere de aeternitate uniuscuiusque, de immutabilitate, de infinitate, de incomprehensibilitate, et de ea illarum plenitudine qua quaelibet omnes alias perfectiones divinas in se continet et comprehendit, ita, ut bonitas, verbi gratia, Divina, contineat in se et Sapientiam, et Potentiam, et id genus alias perfectiones (idem de reliquis iudicium), quod est dicere, quamlibet divinarum perfectionum, infinitam esse in se, infiniteque perfectam, in omni possibili perfectionis genere, absque eo, quod illi desit, aut deesse possit ulla perfectio, et absque eo, quod aut dependeat in aliquo, aut possit dependere ab ulla creatura, verum habet perfectionem omnem, infinite

perfectam in se, et a se, sine admixtione earum imperfectionum, seu naturalium seu moralium, quae sunt in creaturis, idque cum infinita puritate, sanctitate, impeccabilitate, constantia, invariabilitate, immutabilitate, et sine novo rei cuiusvis augmento et profectu; quia quod est infinite infinitum, ulterius progredi non potest in perfectione, alioqui non esset infinitum omni ex parte.

Quando autem haec considerat in Deo nostra anima, debet prae gaudio exsilire tota, cum videat Deum esse perfectum adeo et sanctum, adeo omni perfectione possibili plenum, sine ulla imperfectione, indigentia, et dependentia.

Septimo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, gaudeo et exulto, non esse has tuas «perfectiones otiosas in te, sed in actu secundo «semper, et in communicatione sua interna, quia «Sapientia tua infinite te contemplaris, aliaque extra «te, in quantum sunt a te cognoscibilia, et quia «Amore illo tuo, te amas infinite, resque omnes «alias amas propter te, in quantum eas amari a te «aequum est, tanquam res tuas et a te dependentes, «ac propter te in beneficium nostrum et aliarum «creaturarum a te creatas».

Octavo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, gaudeo et exulto, quod tuum illud esse «divinum, tuae illae divinae perfectiones, earundem- «que internae communicationes, omnesque tui actus «interni tales sint, tam perfecti, tam infiniti, ut a «nulla possint creatura comprehendi prout sunt in «se, imo neque a Beatissima Christi anima, quan-

«tumvis excedat omnes Spiritus beatos, Sanctorum-«que animas vivacitate et perspicacia purissimi sui «atque acerrimi intellectus, quem illi infudisti, dum «illam creasti in redemptionem nostram et salutem».

Nono. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi di-«lectissime, gaudeo et exulto, quod ita sis perfectus «in te ipso, inque tuis actibus et internis et exter-«nis, ut non possit creatura ulla, sed neque omnes «simul, imo nec Humanitas Christi, amare te, ea «amoris plenitudine atque excellentia, qua dignus «es in te, ut ameris ab omnibus, lauderis, honoreris, «colaris, glorificeris.

Decimo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, gaudeo et exulto quantum possum, ob «aeternam illam Verbi et Filii tui generationem, «qui est secunda Sanctissimae Trinitatis persona, «quemque et generasti ab aeterno, et adhuc conti-«nuo perpetuoque generas, cognitione tui infinita: «cui etiam omnes tuas divinas (quae quidem pote-«rant communicari) communicasti perfectiones, aequa-«lem eum tibi in perfectionibus eidem communica-«tis, generando».

Undecimo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi «dilectissime, gaudeo et exulto, quantum quidem «possim, de aeterna illa spiratione, qua simul cum «Divino tuo Verbo, esse divinum communicasti «Spiritui Sancto, tertiae in SS. Trinitate personae, «communicando illi per amorem tui, tuique Filii, «omnes infinitas tuas perfectiones, quae illi poterant «infinite communicari: unde factum est, ut per hanc «aeternam communicationem, aequalis sit et tibi et

«tuo Filio aeterno, a vobis duabus personis, tanquam ab uno solo principio et fonte omnis boni procedens».

Duodecimo. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi dilectissime, gaudeo et exulto, de amore illo tuo, quem erga nos demonstrasti, destinando nobis et praeparando ab aeterno, divinam tuam atque infinite perfectam naturam, unam indivisamque in se, et in tribus existentem personis. Et quia voluisti, ut haec unitas et trinitas perfectissima, cum infinita infinitarum, infinite perfectarum perfectionum plenitudine, esset obiectum cognitionis nostrae, et amoris et fruitionis tui, et scopus ac terminus felicitatis nostrae temporalis, quin et beatitudinis nostrae aeternae, quam gratia tua, tuique Filii meritis habebimus, quando te in coelis clarissime intuebimur, et te amabimus tanquam supremum ac infinitum bonum, culmen infinitarum perfectionum, infinite sanctarum, infinite perfectarum, et infinite infinitarum, quae omnes in te collectae sunt, modo infinite infinito».

Decimo tertio. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi dilectissime, gaudeo et exulto propter tuam illam infinitam dulcedinem et gaudium, quod percipis cognoscendo intrinsecas tuas atque infinitas perfectiones, eas amando in te, et de iisdem infinite gaudendo, tibique complacendo in illis, infinita cum puritate, sanctitate et perfectione».

Decimo quarto. «Sanctissime Domine mi, et Pater mi dilectissime, gaudeo et exulto de beata illa notitia, gaudio ac delectatione, quam per totam

«aeternitatem habuisti, et semper habebis, contem-«plando cum infinito iubilo amorem tuum illum «infinitum, ex quo tanquam e fonte quodam boni «omnis infinito, fluunt et fluent tot creaturae et tot «beneficia tua, tam naturalia quam supernaturalia, «tam excellentia, tam nobis utilia, tam admiranda, «excellentia omnia merita nostra».

Decimo quinto. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, gaudeo et exulto de notitia illa, «delectatione, gaudio et amore, quem habuisti per «totam aeternitatem, et habebis semper, contem-«plando pulchritudinem, perfectionem, et eminentiam «perfectionum naturalium et supernaturalium, tem-«poralium et coelestium, quas Sanctissimae Christi «Humanitati communicasti, modis tam miris, nostra «causa ditatae; videlicet, ut esset Christus, Magister «noster, Dominus, Dux, Protector, Defensor, Conso-«lator, Iudex, Pater, Caput, Cibus, Redemptor, Sal-«vator, Sacerdos, Victima, Legislator, Pretium, The-«saurus, Hostia, omnium Largitor gratiarum, debi-«torum nostrorum omnium Solutor, Glorificator, «omneque bonum nostrum».

Decimo sexto. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, gaudeo et exulto de illa notitia, «voluptate, et gaudio tuo illo aeterno, quod semper «habuisti contemplando per totam aeternitatem tot «et tam pulchras tamque perfectas creaturas, quas «creasti, potesque creare si velis, maxime vero, iu-«stos, electos, ac sanctos, interque eos tot Spiritus «beatos, et Virginem Sanctissimam Dominam no-«stram, quos inquam creasti, ut nobiscum etiam

«communicares perfectiones tuas, et gratias ac dona, «modis tam teneris ac admirandis».

Decimo septimo. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, gaudeo et exulto, de stupendis illis «modis infinitae charitatis tuae, et misericordiae «effectibus, quibus disponis et gubernas res omnes, «maxime electos tuos, permittendo eorum miserias, «et retrahendo illos ac praeservando a malo, et «incitando atque alliciendo ad bonum, et faciendo «ut crescant in bono, in eoque perseverent, et tra- «hendo illos ad coeleste tuum regnum, glorificando- «que illos in vita altera, imo etiam in hac ipsa «honorando. Quin et mihi complaceo in tua illa «complacentia, quam habes in illis animabus tan- «quam in electa Iesu Christi Domini nostri haere- «ditate, inque eiusdem vitae passionis et mortis «fructu, et in effectibus misericordiae et charitatis «tuae divinae, et piissimi tui et plus quam paterni, «plus quam materni cordis, quo sumus indignissimi».

Decimo octavo. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, gaudeo et exulto de omnibus illis «actibus virtuosis, maxime de heroicis et seraphicis, «quibus tua gratia et Christi meritis, tam in coelo «quam in terra, te glorificarunt glorificant et glo- «rificabunt in aeternum animae et corpora iustorum «electorum et Sanctorum tuorum, eorum praecipue, «qui virginalem puritatem et innocentiam baptis- «malem conservarunt; gaudeo et exulto etiam de «tuo illo gaudio et voluptate, quam percipis intuendo «et desiderando tales actus, quorum es auctor, fons «principium, scopus, terminus et finis».

Decimo nono. «Sanctissime Domine Iesu Christe, «Deus meus et Pater meus dilectissime, gaudeo et «exulto de omnibus perfectionibus illis, quae tibi «ut Deo vero competunt, et de donis omnibus ac «gratiis, divinisque communicationibus, quas habes «ut homo verus, et tam pro te ipso, quam pro no«bis, tanquam Magister noster, Dux, Dominus, Iu«dex, Protector, Defensor, Caput, Redemptor, Sal«vator, Glorificator et omne bonum nostrum.

Vigesimo. «Sanctissime Domine Iesu Christe, «Deus meus, et Pater meus dilectissime, gaudeo et «exulto de omnibus illis officiis, laudibus, gratiis, «adorationibus, honore, amore, aliisque id genus «actibus virtutum, qui tibi ut Deo vero, et «ut vero homini, eliciti sunt eliciuntur et eli«cientur, a spiritibus angelicis, et beatis animabus, «ac iustis omnibus et electis tuis, in coelo, purga«torio ac terra: desideroque ex corde intimo, ut «plures semper ac plures, cum maiori ac maiori «perfectione in terra eliciantur, ut gustum inde hau«rias maiorem ac gloriam, una cum aeterno Patre «et Spiritu Sancto.»

Vigesimo primo. «Sanctissime Domine Iesu Chri«ste, Deus meus, et Pater meus dilectissime, gau«deo et exulto de animabus illis praedestinatis, prae«sentibus et futuris, quas dedit tibi, ob merita tua, «Pater aeternus, tanquam fructum vitae, passionis «et mortis tuae, et tanquam dilectissimam haeredi«tatem tuam: mihique propter te complaceo, in gu«stu illo ac gaudio, quod percipis ex ipsis, contem«plando eas tanquam res pretiosissimo tuo sangui-

«ne comparatas, et acquisitas labore indicibili et «sudore, et ditatas innumeris donis tuis, ac gratiis, «tam naturalibus quam supernaturalibus».

Vigesimo secundo. «Sanctissime Domine Iesu Chri«ste, Deus meus et Pater meus dilectissime, ego «impulsus amore tui, aliarumque divinarum perso«narum, doleo de omnibus peccatis, tam meis, «quam alienis, praeteritis, praesentibus, et futuris, «tibi bene notis, propterea quod tui sint offensae. «Tui inquam Nominis, tam boni atque excellentis, «quodque contra tuam accidant voluntatem, ac gu«stum, qui omne bonum nostrum es. Et desidero pure «ex amore tui, ut cessent omnes offensae tuae, iisque «succedat puritas omnis, omnis sanctitas et perfec«tio in imaginationibus, cogitationibus, affectibus, «verbis, operibus, viribus, conatibus, inclinationibus «bonis, et cessationibus ac omissionibus debitis, vel «utilibus nostris, cum plena poenitentia, satisfactio«ne, et compensatione tuarum tot offensarum, ut «omni modo ac ratione possibili laudetur a no«bis, honoretur, ametur, et glorificetur Sanctissimum «Nomen tuum».

Vigesimo tertio. Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, volo amore tui vivere conformis «semper divinae tuae voluntati, ac propterea resol«vo me, ad servandum omnia praecepta tua, tuae «Ecclesiae Sanctae, meorum Superiorum, quin et «consilia omnia Evangelica (quae quidem meo sta«tui sint conformia); omnia item proposita a me «concepta, volo exequi omnes etiam divinas tuas «inspirationes, te ipsum orans, per merita unigeniti

«Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, ut mihi effi-«cacem gratiam, ad ea omnia, quam perfectissime «exequenda, pure ob maiorem tuum gustum, gau-«dium, delectationem, amorem et gloriam concedere «digneris».

Vigesimo quarto. «Sanctissime Domine mi, et Pa-«ter mi dilectissime, totum me tibi amore tui, quan-«tusquantus sum, cum corpore et anima mea, cum «potentiis meis, membris, et sensibus, cum omnibus «imaginationibus, cogitationibus, affectibus, verbis, «operibus, conatibus, inclinationibus bonis, et cessa-«tionibus, ac omissionibus debitis, vel utilibus, to-«tum inquam, me tibi amore tui, in odorem suavi-«tatis offero, ac intime desidero propter te, ut per-«petuum tibi sim holocaustum, ut tuum illud cor «divinum ac purissimum, semper exhilarare possim, «recreare, et glorificare, omni possibili modo ac per-«fectione».

Vigesimo quinto. «Sanctissime Domine mi, et Pa-«ter mi dilectissime, ecce offero tibi, merita omnia «Filii tui Iesu Christi Domini nostri, omniumque «Sanctorum tuorum atque electorum, in odorem sua-«vitatis, in laudes tuas et honores, in adorationem «debitam, et amorem, in debitam compensationem «tot favorum tuorum ac gratiarum, in satisfactionem «pro tot peccatis nostris, per quae merita rogo te, «ut nos perpetuo, quam maxime iuvare digneris in «omnibus necessitatibus nostris, tam temporalibus, «quam spiritualibus, tam communibus quam perso-«nalibus».

Vigesimo sexto. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, offero tibi amore tui, temetipsum, «quantusquantus es, cum omnibus tuis divinis iis-«que infinitis perfectionibus; et desidero, ut haec tui «oblatio, cedat in gustum tuum et honorem, adora-«tionem, gratiarum actionem, in omne obsequium, «in gloriam omnem possibilem, et in compensatio-«nem tuorum tot beneficiorum, et nostrorum tot «peccatorum satisfactionem, ac denique, ut per hanc «oblationem, auxilia efficacia in omnibus nostris «necessitatibus communibus et personalibus, spiri-«tualibus et temporalibus, a te obtineamus».

Vigesimo septimo. «Sanctissime Domine mi, et Pa-«ter mi dilectissime, vellem amore tui, vellem in-«quam, si possem, servire tibi, amare te, glorificare «te omni ea perfectione, qua tibi serviunt, te amant, «te glorificant omnes animae et spiritus beati et «iusti, tam in hac vita, quam in purgatorio, cum-«que id nec possim, nec vere etiam merear posse, «pro ipso opere, hanc piam meam voluntatem ac-«cepta Domine, quam unio cum meritis et actibus «animarum omnium, spirituumque beatorum, nec «non iustorum tam eorum qui vivunt adhuc, quam «qui expurgantur post mortem, simul etiam cum «meritis Iesu Christi, et cum omnibus Divinis eius, «iisque infinitis perfectionibus».

Vigesimo octavo. «Sanctissime Domine mi, et Pa-«ter mi dilectissime, offero tibi temetipsum, cum «omnibus Divinis tuis atque infinitis perfectionibus, «in gratiarum actionem et gaudium, quod habeo «de tuo divino esse, de tuis divinis perfectionibus,

«de beatitudine, quam habes in te, de te, et de «plenitudine boni infiniti, et puritatis, et sanctitatis «infinitae, quam habes in te, quamque nobis etiam «secundum cuiusque gradum, iuxta beneplacitum «tuum, per divinas tuas communicationes commu-«nicas».

Vigesimo nono. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, amo amore tui omnes tuas crea-«turas, desideroque ea illis bona, quae tibi placent, «quaequae vis ut habeant, insuper propter te, et in «te amo omnes illas personas, imaginationes, affec-«tus, sermones, verba, actiones, conatus, vires, in-«clinationes, cessationes, omissiones, occupationes, «officia, loca, denique omnes alias creaturas, a qui-«bus, et quarum occasione laudaris et laudaberis, «glorificaris et glorificaberis, a quibus et quarum «occasione ego accepi aut accipiam iniuriam ali-«quam, mortificationem, confusionem, contemptum, «molestiam et offensam. Laudoque te et amo in «illis, tanquam omne nostrum bonum, dignum omni «possibili amore, ita ut si scirem quod mihi inpo-«sterum sint nociturae, meque modo omni possibili, «humiliatione et molestia exacerbaturae, vellem «amore tui amare illas propter te, illisque benefa-«cere, quantum quidem possem ac deceret, illisque «desiderarem, uti et desidèro omne gaudium, felici-«tatem, omneque bonum, conforme tuae divinae vo-«luntati et gustui.

Trigesimo. «Sanctissime Domine mi et Pater mi «dilectissime, si tu non esses qui es, egoque Deus «essem, et possem eum te facere, qui es; cum be-

«neficio tuo cognoverim toties, quis et quantus sis, «et quid tibi debeatur, vellem ego sane tibi dare, «donare et communicare totum illud esse, omnesque «perfectiones, quas habes in te, et habebis semper, «quamvis deberem iisdem me privare, easque in te «aeternum transferre, et quamvis inde ad nihilum «propter te redigi deberem».

Trigesimo primo. «Sanctissime Domine mi et Pa«ter mi dilectissime, tibi renuncio quidquid pro«pter te tibi possum renunciare, non solum in hac «vita, verum etiam in altera, ita, ut amore tui con«tentus sim futurus, si gloria etiam priver aeterna, «aeterna felicitate et beatitudine, patiarque omne «mali genus; quod potest pati creatura quinimo «non recuso pati poenas infernales, dummodo hac «mea renunciatione, et omnibus meis tormentis, No«men tuum sanctissimum et divinissimum, omni «possibili perfectione laudetur, ametur, honoretur «et glorificetur et a me, et ab omnibus omnino «creaturis tuis».

Trigesimo secundo. «Sanctissime Domine mi et «Pater mi dilectissime, si ad impediendum, non dico «peccata totius mundi, verum unicam solam tui «offensam venialem, sive meam sive alienam, neces«sarium esset, ut paterer aeternum (in tua tamen «gratia) mala omnia possibilia, poenas etiam infer«nales, et infernalibus poenis alias poenas in infini«tum graviores ac acerbiores, ego me amore tui «offero, ad ea omnia tormenta sufferenda, et patien«ter, et libenter, et cum iubilo cordis mei, sine ullo «refrigerio, sine alleviatione ulla, sine ullo gustu et

«gaudio, illas reddente minus graves, idque aeternum gratia tamen tua adiutus et confortatus, sine qua sum nihil, et nihil possum».

Trigesimo tertio. «Sanctissime Domine mi, et Pater «mi dilectissime, ego amore tui ex toto corde meo «desidero, ut e malis meis poenalibus et possibilibus tormentis, accedat tibi gustus omnis possibilis, gloriaque tua extrinseca crescat, ita ut instar «facis aut thuris destruar, consumer, annihiler, pure «hanc ob causam, ut haec omnis mei boni ac gustus consumptio atque annihilatio, perpetuum sit «sacrificium, et holocaustum tuum, tibi gratissimum, «sitque quam maximum incrementum omnis possibilis gustus, gaudii, obsequii, amoris, et gloriae «tuae».

Actus amoris interni breviores, sunt hi et id genus alii:

Primo. «Sanctissime Domine Deus mi et Pater mi dilectissime et omne bonum meum, posside «cor meum totum, cum omnibus quae sunt intra me, «gubernando me, omniaque mea, secundum beneplacitum tuum».

Secundo. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, offero et consecro me totum tibi, pure ob «gloriam et gustum tuum».

«*Tertio.* Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, non volo amare quidquam aliud quam te, «aut alium ob finem, quam propter te».

Quarto. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilec-

tissime, exure cor meum et animam, purissimo amo-«ris tui igne».

Quinto. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilec-«tissime, aliud desiderare nolo quam te, et alia prop-«ter te».

Sexto. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilec-«tissime, omne quod tibi placet, mihi placet, et quod tibi displicet, etiam displicet mihi; et quod tibi «non placet, nec mihi placet».

Septimo. Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, complaceo mihi in omni maiestate tua, «in omni tua perfectione».

Octavo. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, quando tandem finis erit nostrarum cul-«parum? quando negligentiarum, et tepiditatum no-«strarum in obsequio tuo?»

Nono. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, quando tandem quam simillimus tibi eva-«dam? quando faciam omnes voluntates tuas?»

Decimo. «Sanctissime Domine mi et Pater mi dilectissime, da mihi id omne quod potest cor tuum «piissimum glorificare perfectissime, et quam maxi-«me consolari».

Quaeres primo: Quam ob causam in actibus internis amoris, praeter titulum «Domini», appositus est etiam titulus «Patris»?

Respondeo. Has ob causas Patris titulum esse appositum:

Primo. Ut non tantum ex humilitatis et religionis affectu, quem «Domini» commemoratio in-

gerit, sed etiam ex filiali, et ut ita dicam, amoroso, hi depromerentur ab anima affectus.

Secundo. Ob maius meritum acquirendum in eliciendis his actibus. Nam ut bene docet S. Thomas, «exhibere cultum Deo ut Patri, est excellen«tius, quam exhibere cultum Deo ut Creatori ac «Domino»,[1]) ac proinde magis meritorium, dum eum per orationem et amorem colendo, colimus non tantum tanquam Dominum, sed etiam tanquam Patrem. «Magnum est, inquit S. Leo, huius mune«ris sacramentum, et omnia dona excedit hoc do«num, ut Deus hominem vocet filium, et homo De«um nominet Patrem»[2]). Hinc etiam Ethnici Deum appellabant Patris nomine interpretandum, ut scribit Dio Chrysostomus,[3]) et Sixtus Pythagoraeus.

Tertio. Ut commemoratio Patris, fiduciam excitet in nobis. Et hanc ob causam iudicio Tertulliani, Cypriani et Chrysostomi, Christus nos orare docens, non Dominum, sed Patrem nostrum, qui est in coelis, compellare docuit. «Fiducia enim, ut «inquit S. Thomas, praecipue excitatur in nobis, considerando eius charitatem ad nos, qua bonum «nostrum vult, et ideo dicimus: *Pater noster*»[4]).

Quarto. «Patrem eum vocamus, inquit S. Augu«stinus, ut blando nomine Patris, eius benevolen«tiam captemus, et ad id concedendum quod peti«mus, Patris eum appellatione moveamus.

---

[1]) II. II^{ae} q. CXXI. a. 1. ad 2. [2]) Ser. XXVI. (de Nativ. D. VI.) c. IV initium (P. l. LIV. 214). [3]) *Dionis Chrys.* Orat. XXXVI in medio (pag. 301. edit. Venet.). [4]) II. II^{ae} q. LXXXIII. a. 9. ad 5.

Quaeres secundo: Cur autem est primo loco positus titulus «Sanctissimi»?

Respondeo. Quia, ut ait S. Ambrosius, «nihil «pretiosius invenimus, quo Deum praedicare possi-«mus, nisi ut Sanctum appellemus; quidlibet aliud, «inferius est Deo» [1]). Hinc S. Dionysius Areopagita «dixerat: «Deus, per excellentem cuncta excellen-«tiam, Sanctus Sanctorum praedicatur.» [2])

Quaeres tertio. Cur additus titulus «Domini»?

Respondeo cum S. Chrysostomo: «Quemadmo-«dum qui libellos supplices offerendos regi scribunt, «non unum inferunt nomen, sed triumphatorem, «augustum, imperatorem, et alia multa sublimiora «istis cum addiderint, tum demum suas preces offe-«runt; sic et nos idem facere conducit» [3]). Ideo, ut ibidem observavit S. Chrysostomus, Anna sterilis prolem a Deo petens, votum vovit Domino dicens: «Adonai Domine, Eloi Sabaoth», aitque, recte factum a scriptore, quod in graecam linguam ea omnia transtulerit. «Non uno vocabulo eum mulier appel-«lavit, sed pluribus, quae illi tribuuntur, ut amorem «erga illum suum, et ardentem affectum ostenderet».

Quaeres quarto. Cur additum est «dilectis-sime»?

Respondeo, S. Gertrudem virginem intellexisse a Domino, «quod quotiescumque aliquis dicet Deo:

[1]) De Spiritu S. l. III. c. XVI. n. 111 (P. l. XVI. 836). [2]) De divin. nom. c. XVI. §. 4 initio. (P. gr. III. 971). [3]) De Anna, Ser. I. n. 5 post medium (P. gr. LIV. 640).

»Dilecte mi, vel Dulcissime, vel Amantissime, et si»milia, cum intenta devotione, frequenter ab illo »tale accipit responsum» (scilicet: «et tu es mihi di»lectus, dulcissimus etc.»); «ex quo ipse quasi privi«legium specialis gratiae habebit in coelis: sicut Io«annes Evangelista specialem habet gloriam in ter»ris, ex eo, quod vocatur *Discipulus, quem diligebat Iesus*» [1]).

Actus deinde externi, qui verum Dei amorem demonstrant sunt hi:

1-mo. Exacte propter Deum servare praecepta omnia Dei, Ecclesiae, regularum, Superiorum, Confessariorum, PP. Spiritualium, Dominorum.

2-do. Servare omnia vota.

3-tio. Servare omnia consilia Christi, quantum quidem status cuiusque patitur.

4-to. Servare omnes regulas ordinis, et provinciae propriae.

5-to. Servare omnes bonas consuetudines ordinis ac domus in qua vivis.

6-to. Servare monita et documenta Superiorum, Confessariorum, et PP. Spiritualium.

7-mo. Servare scripta, omnia documenta Sanctorum ac Magistrorum vitae spiritualis, quantum sinit Institutum. Talia sunt: crus cruri non superponere, et id genus alia, quae

FACERE HAEC OMNIA EX AMORE DEI, ET HAC EXPRESSA INTENTIONE.

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 29 (pag. 238-9).

videre est in Cassiano et SS. Pachomio, Climaco, Dorotheo, Bonaventura, etc.

8-vo. Omnia proposita bona exequi.

9-no. Exequi omnia bona amicorum consilia.

10-mo. Etiam inferiorum et subditorum voluntatem, quantum fas est exequi.

11-mo. Omnes inspirationes internas exequi, dummodo doctrinae Ecclesiae, tuoque statui non repugnent.

12-mo. Omnia bona exempla aliorum, quae videmus aut audimus imitari (dummodo tuo statui sint conformia), ad maiorem Dei gloriam.

13-tio. Proficere semper magis ac magis in virtutibus, et in modo ac ratione perfecte in rebus omnibus procedendi, ut gustum inde maiorem ac gloriam percipiat Deus.

14-to. Cavere peccatum omne, quantum quidem est possibile, ut Dei displicentia praecaveatur.

15-to. Cavere imperfectiones omnes, etiam non culpabiles.

16-to. Affici singulariter, verum honeste, erga omnes adversarios et inimicos.

17-mo. Res omnes pure propter Deum facere.

18-vo. Tempus omne, etiam minimum expendere in actionibus meritoriis, et ordinatis.

19-no. Nullam intermittere occasionem gratificandi aliis, eorumque voluntati ac deside-

FACERE HAEC OMNIA EX AMORE DEI, ET HAC EXPRESSA INTENTIONE.

riis satisfaciendi in re omni licita, et statui convenienti, eorum maxime, a quibus iniuriam aliquam accepimus, vel molestiam singularem.

20-mo. Perferre molestiam omnem possibilem, et cruciatum.

21-mo. De accepta molestia non conqueri.

22-do. Non quaerere afflictionum aut crucis remedium, sed nec alleviationem et refrigerium.

23-tio. Quaerere modos, offensas Dei praepediendi, cultumque ipsius propagandi, et perfectionem in aliis pro virili promovendi.

24-to. De Deo colloqui, aut de rebus bonis, nulla ratione de aliis.

25-to. Cum liberum est utrumque, occupari potius in spiritualibus et supernaturalibus, quam temporalibus et profanis quantumvis licitis.

26-to. Ita vivere, ut e re qualibet nostra, exemplum alii bonum accipiant, atque incitentur ad maiorem perfectionem, et perfectius Dei obsequium.

27-mo. Facere rem quamlibet ad Dei cultum pertinentem, diligentia exquisita, et fervore quam maximo, seu actibus intensissimis.

28-vo. In omnibus eligere id, quod est perfectius, et — ceteris paribus — magis displicens amori proprio.

FACERE HAEC OMNIA EX AMORE DEI, ET HAC EXPRESSA INTENTIONE.

CAPUT XVI.

Quam accepti sint Deo pii Affectus, et quo Ordine eliciendi.

Porro quam gratae sint Deo et Sanctis eius hae operum nostrorum oblationes, sancta desideria, et pii affectus ac proposita, in his modis supra explicata, colligi potest ex epistola, a quadam devota ad sanctam Gertrudem, e divina revelatione accepta, et scripta, quam refert Tilmannus Bredenbachius: «Quia, inquit, in operibus tuis cunctis, «Dei et non tuum quaeris honorem, ideo sancto «fervore centuplum ex simplo tuo offers dilecto «fructum; et hoc non solum in operibus sanctis «quae perficis, verumetiam in omnibus iis bonis, «quae libenter velles tu agere, aut apud alios pro«movere, tametsi non valeas. Nihilominus supplet «etiam Dominus ipse Iesus, Deo Patri suo, omnem «indigentiam, omnemque defectum, sive in te sive «in aliis, propter quae turbaris. Nam pro quocum«que huiusmodi conatu, ac si opere illum implesses, «paratus est tibi reddere mercedem. Inde etiam «coelestis curia exultat universa, tibi gratulans, at«que Deum pro te laudando, gratias agens» [1]). Quod ipsum non semel docuit ipse Dominus S. Gertrudem ut supra ostensum est [2]).

Notandum 1-o. Hos omnes pios affectus, variis modis posse mente elici:

[1]) Insin. div. piet. l. I. c. 8. (pag. 30 — 1).
[2]) Cap. III. pag. 44 et seq.

Primo: modo hos, modo illos. *Secundo,* applicando singulum genus eorum, singulis diebus hebdomadae. Verbi gratia *sextum genus,* die Dominica; memoriam Christi passionis continens [1]), Feria VI, etc. Qua in re cavendae sunt cordis angustiae, et quaedam veluti servitus mentis; sed in eorum delectu et frequentatione, potissima ratio habenda est dispositionis et inclinationis animi: et illi affectus tunc frequentandi, ad quos se homo tunc sensit dispositum et inclinatum, et quasi sponte ferri. «Neque «enim omnes panes, inquit S. Ioannes Climacus «ex coelesti tritico spiritualis alimoniae, eiusdem «speciei sunt. Alii in eo se exercent, quod Domi«nus ait: *In patientia vestra possidebitis animas «vestras* (Luc. XXI. 19). Alii in eo, quod rursus «ait: *vigilate et orate* (Matth. XXVI. 41). Alii in «eo, quod scriptum est: *Praepara in exitum tuum opera tua*» [2])... Ideo bene ait Thomas Kempensis: «Non possunt omnes unum habere exercitium, «sed aliud isti, aliud illi magis deservit: etiam pro «temporis congruentia, diversa placent exercitia» (scilicet uni eidemque); «quia alia in festis, alia in «feriatis magis sapiunt diebus. Aliis indigemus tem«pore tentationis, et aliis tempore pacis et quietis. «Alia cum tristamur libet cogitare, et alia cum laeti «in Domino fuerimus» [3]). Ex quo duo sequuntur commoda: 1-o, fiunt ferventiores actus, ideoque magis meritorii, et magis augent habitum. 2-o, per

[1]) Vide cap. VI. [2]) Scala parad. grad. XXVII (P. g. LXXXVIII. 1115 A). [2]) Lib. I. c. XIX. n. 5.

eos non ita fatigatur mens in hoc corpore, per quod solet avocari a talibus, ideoque diutius durat eorum exercitium.

Si hoc meum consilium alicui non placet, legat datum S. Gertrudi a Domino, dum ab eo petiisset, qua ratione «per septimanam..., fabricando arcam spiritualem, posset ei digne deservire». Sic enim ei respondit Dominus... «Arca Noë dicitur ««tricamerata fuisse, ita quod in summo eius, habi«tabant volucres, in medio homines, in infirmo pe««cora. Ad cuius similitudinem, distingue et tu sin«gulos dies hoc modo, ut scilicet a primo mane, « usque ad nonam, ex parte totius Ecclesiae persol«vas mihi laudes et gratiarum actiones, ex intimo ««cordis affectu, pro universis beneficiis, ab initio «saeculi usque in praesens, ulli unquam hominum « impensis, et specialiter pro illo digne colendo ««beneficio, quo quotidie ab ortu diei usque ad no««nam, sine intermissione immolor Deo Patri in «altari pro salute humana. Quod tamen homines «parvipendentes, gulae et ebrietati inserviunt, quasi «omnino beneficiis meis ingrati. Pro quorum de«fectu, dum tuam gratitudinem cum affectu, quasi ««ex parte eorum, offerre mihi studueris: quasi aves «in superiori parte arcae mihi videberis congre««gare. Hinc ab hora diei nona, usque ad vespe««rum, quotidie studeas in bonis operibus te devote ««exercere, in unione illa sanctissima, qua ego omnia «opera humanitatis meae perfeci, in suppletionem ««negligentiae illius universalis, qua totus mundus, «pro tantis beneficiis, debitis bonorum operum ob-

«sequiis, mihi negligit respondere. Et hoc cum fece-«ris, homines in medio arcae congregare compro-«baris. Ad vesperum autem, in amaritudine cordis, «retracta impietatem humanam, qua non solum «negligunt homines, pro infinitis beneficiis a me «acceptis, debitum restituere pensum servitutis, quin «insuper adiiciunt, diversorum peccatorum generi-«bus, me quotidie ad iracundiam provocare: pro «quorum emendatione, offeras mihi poenas et ama-«ritudines meae innocentissimae passionis et mortis. «Et sic pecora mihi in extrema parte arcae con-«cludes» [1]).

Notandum 2-o. Verba seu formulas loquendi in expressione horum affectum, posse esse triplices: *Primo,* a nobis inventas, iuxta propriam devotionem, et haec sunt bonae, praesertim quando ex vehementi quodam affectu, et Sancti Spiritus motione proficiscuntur: uti erant illa Sancti Patris nostri Ignatii verba, qui dum in oratione elevaretur a terra, et divino splendore eius corpus in noctis tenebris radiaret, proferebat: «O Domine si te «homines nossent, nunquam te offenderent». *Secundo,* si verba Sacrae Scripturae adhibeantur, eos exprimentia. Et hoc puto, ceteris paribus, esse melius: tum quia non potest non esse gratius Deo, si eum alloquamur verbis in Sacra Scriptura ab eo dictatis; tum quia Sancti hoc habebant in more; tum quia S. Basilius pluribus in locis, id commendat,

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 14 (pag. 459 — 60 — 1).

et in epistola quadam ad clericos Neocaesarienses [1]), et alibi. Nam docens modum orandi, ait: «De sanctis Literis carpe quae dicas» [2]): et proponit gratiarum actionem contextam verbis suis, ex similibus loquendi formulis in sacra Scriptura relictis. Et iterum repetit: «Ubi iam satis gratias egeris, et Deum, petitis ex Scriptura Divina laudibus, glorificaveris, tum iterum adhibita humilitate ordire» etc. Hinc, usum orationis Dominicae commendans Tertullianus, «ab ipso, inquit, ordinata, et de Spiritu ipsius iam tunc, cum ex ore divino ferretur animata, sui privilegio ascendit in coelum, commendans Patri, quae Filius docuit» [3]). Et S. Cyprianus: «Qui fecit vivere, docuit et orare, ut dum prece et oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius exaudiamur... Quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?» [4]). Ideo et Ecclesia, verba Missarum ex verbis sacrae Scripturae collegit. Ideo olim, teste Cassiano, apud Aegyptios monachos, «ita incessanter operatio manuum privatim per cellulas exercebatur, ut psalmorum quoque vel «ceterarum Scripturarum meditatio, nunquam peni«tus omitteretur» [5]). Imo S. Hieronymus de monasterio Bethlehemitico scribens, ait: «Quocumque te

[1]) Epist. CCVII. n. 4 (P. g. XXXII. 763 C).
[2]) Constit. monast. c. I. n. 2 (P. g. XXXI. 1330 A).
[3]) Lib. de orat. c. IX. ipse finis (P. l. I. 1268).
[4]) De orat. Domin. c. II. et III. (P. l. IV. 537—8).
[5]) De coenob. instit. l. III. c. 2 (P. l. XLIX. 115).

«verteris, arator stivam tenens, alleluia decantat. Su-«dans messor, Psalmis se avocat, et curva attonens «falce vites vinitor, aliquid Davidicum canit» [1]). Sic S. Chrysostomus, «quid, inquit, orans debes di-«cere? quod Chananaea: *Miserere mei...* Breve ver-«bum, sed clementiae pelagus continet. Nam ubi «misericordia, ibi sunt omnia bona» [2]). Simili modo Abbas Isaac apud Cassianum ad multa valde proficua, dicit esse verba illa Psalmi LXIX. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina* [3]). Unde et Ecclesia, initio omnium horarum illum adhibet, exemplo S. Benedicti fortasse, id praescribentis [4]), et iussu S. Gregorii Magni, cum adiectis versiculis: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, sicut erat* etc. ut scribit Arnoldus Wion Cassinensis, et citans ipsum Alardus Gazaeus [5]). *Tertio.* Modi etiam loquendi ex precibus, ecclesiasticis deprompti, sunt meliores nostris, a nobis ipsis inventis: sicut (liceat parva componere magnis) petitio Thecuitis, facta verbis quae eam docuerat Ioab carus Davidi, placuit Davidi, qui id in eius sermone agnovit, et concessit quod petiit [6]). Sic noster Beatus Petrus Faber, ut scribit Orlandinus, «ad leniendos purgatorii ignes, iis po-

[1]) Ep. XLVI. n. 11 (P. l. XXII. 491). [2]) Hom. ad pop. LXXIX. (pag. 407 B edit. Paris. 1581). [3]) Coll. X. c. 10 post initium (P. l. XLIX. 832—3). [4]) Regulae c. IX. init. (P. l. LXVI. 421 D). [5]) In Comment. ad Cassiani Coll. X. c. 10. (P. l. XLIX. 832 C). [6]) II. Reg. XIV. 21.

«tissimum utebatur formulis supplicandi, quas in «curandis funeribus, mandandisque sepulturae cor«poribus, catholica usurpat Ecclesia, quod iis quo«que delectari Deum diceret, et prae ceteris preci«bus approbare, quamvis mortuorum iam animi, «nobis nescientibus, et adhuc pro eorum liberatione «precantibus, in coelo viverent [1]).

CAPUT XVII.

De Modo perfecte operandi.

Quantum ad tertium punctum praesentie Dei [2]), scilicet, quoad modum perfecte operandi, hanc praestat hoc de quo egimus exercitium frequentium mentis elevationum ad Deum. «Precatio, inquit S. Chrysostomus, ceu radix et basis, omnibus ceteris sub«sternitur, neque secus ac navem et domum, ea quae «substrata sunt validam reddunt ac ne solvatur «continent, ita vitam nostram orandi studium et «continet, et ubique firmam reddit, adeo, ut absque «hoc nihil boni nobis possit contingere, neque quod «ad salutem conducat» [3]). Ideo Spiritus Sanctus monet nos: *In omnibus viis tuis cogita Deum, et ipse diriget gressus tuos.* [4]) Septuaginta vertunt: *rectas faciet vias tuas,* id est, opera tua. Ideo Sancti, bono modo operabantur omnia, quia opera-

[1]) Lib. II. c. 17 inter init. et med. [2]) Confer. c. II. pag. 25. [3]) De precat. or. I paulo ante finem (P. gr. L 778). [4]) Prov. III. 6.

bantur tanquam in conspectu Dei. Commendat Spiritus Sanctus S-ti Abel opera, quod essent *iusta*, Cain vero *maligna*. Quomodo et cur fuerint iusta, tacet Scriptura, sed ex traditione procul dubio narrat Iosephus. «Abel, inquit, iustitiam colebat, et «omnibus actionibus suis Deum praesentem ratus, «virtuti operam dabat» [1]). Sic, postquam Noë laudatus est: *Noë vir iustus et perfectus*, additur veluti causa et origo huius iustitiae: *et cum Deo ambulavit* [2]). Sic David, quia erat *vir secundum cor Dei, et fecit omnes voluntates Dei* [3]), *et fecit rectum in oculis Domini, et non declinavit ab omnibus quae praeceperat ei, cunctis diebus vitae suae, excepto sermone Uriae Hethaei* [4]), ideo et praesentiam Dei habuit semper, et eius beneficio sancte vixit, unde ait: *Servavi mandata tua, et testimonia tua.* Quid ad hoc conduxit, subdit statim: *Quia omnes viae meae in conspectu tuo* [5]). Vera loquitur. Nam alibi ait: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* [6]). Et iterum dixit: *Oculi mei semper ad Dominum.* Et fructum adiunxit: *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* [7]): ne labantur in peccata, et declinent a rectitudine operum, et sanctimoniae vitae. Simili phrasi utitur Deum alloquens, et eundem fructum Divinae praesentiae com-

---

[1]) Antiq. iud. l. I. c. 4 (Pag. 5. edit. Girault, 1545). [2]) Gen. VI. 9. [3]) Act. XIII. 22. [4]) III. Reg. XV. 5. [5]) Psal. CXVIII. 168. [6]) Ps. XV. 8. [7]) Ps. XXIV. 15.

memorat Ezechias rex sanctus: *Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim* [1]).

Porro, hi omnes affectus, etsi breviter, tamen ut sint Deo magis grati, et nostrae animae proficui, ferventer sunt eliciendi, ut attingant illam perfectionem, quam Abbas Isaac apud Cassianum vocat «igneam et perpaucis expertam vel cognitam «(imo ut proprius dixerim), ineffabilem orationem... «quae omnem transcendens humanum sensum, nullo, «non dicam sono vocis, nec linguae motu, nec ulla «verborum pronunciatione distinguitur, sed quam «mens infusione illius coelestis luminis illustrata, «non humanis atque angustis designat eloquiis, sed «conglobatis sensibus, velut de fonte quodam copio«sissimo, effundit ubertim, atque ineffabiliter eructat «ad Dominum, tanta promens in illo brevissimo «temporis puncto, quanta nec eloqui facile, nec mens «percurrere, in semetipsam reversa, praevaleat [2]). Aemulemur itaque etiam in hoc exercitio charismata meliora; nam qui huic exercitationi Divinae praesentiae, ita uti declaravi sese impendet, experietur Dei beneficio, sua magis ac magis in dies perfici opera, et se magnis passibus ad perfectionis apicem, cum magno Dei gustu et eximio maioris eius gloriae incremento a Deo attolli.

Porro supposito operum nostrorum fine perfec-

---

[1]) IV. Reg. XX. 3. [2]) Coll. IX. c. 25. (P. l. XLIX. 801—2)

tissimo, quem supra in secundo puncto huius exercitii explicavi [1], — modus bene et perfecte operandi (quod solum restat) praeter multa alia, quae in peculiari Opusculo de hac re alias recensui, nunc declarandus est:

Primo. Ut fiant sine ullo peccato deliberato plene, praestat hoc, praemissa oblatio operis Deo facta. «Si orationem operi praemiseris, inquit S. Ephraem *De orando Deo*... aditus peccato in animam «non patebit» [2].

Secundo. Ut fiant pura intentione, quam explicatam habes supra *(Cap. III)*.

Tertio. Ut fiant iuxta regulam [3], «cum omni «diligentia in Domino»; quo modo fierent Christo visibiliter spectante. Hoc est: *sollicitum ambulare cum Domino nostro* [4], Deo id requirente a nobis.

Quarto. Ut fiant accommodate ad finem, ob quem instituta sunt, et a viris perfectis fiunt, iuxta illud: *In omnibus operibus tuis praecellens esto* [5]: et ut fiant iuxta morem receptum et probatum eo in loco in quo degis.

Quinto. Requiritur, ut fiant adaequate ad lumen internum quod habemus de modo ea faciendi; uti faciebat B. Aloysius noster [6]. Quod lumen oritur partim ex dictamine ipso luminis naturalis, partim ex doctrina acquisita per multiplicem extrinsecam instructionem, per lectionem vel auditionem hausta,

---

[1]) Pag. 36. [2]) Sermo de orat. I. n. 1 in medio (pag. 35—4. t. VII. ed. Caill.). [3]) 1-am Communium. [4]) Mich. VI. 8. [5]) Eccli. XXXIII. 23. [6]) *Cepari*, Vitae l. II. c. 7.

partim ex intrinseco Dei lumine infuso, quod docet quae fugienda, quae adhibenda sunt ad bene operandum.

Sexto. Requiritur, ut fiant cum magno fervore animi seu actuum intensione. Haec quinque si adfuerint, vere dici poterit, talem ambulare coram Deo, et in conspectu ac praesentia Dei, quia non aliter faceret res, si videret oculis Christum sua opera spectantem; adhiberet enim ad ea has sex conditiones, uti Sancti in coelo adhibent perfectissime, quia Deum vident, ipsa Dei visione id praestante. Et talis praesentia Dei est practica, utilis homini propter merita, et propter profectum in virtutibus insignem, et propter aedificationem aliorum in operibus externis, sed maxime propter gustum Dei, qui hoc modo operibus factis delectatur, tanquam iis qui eius gratiae donis cooperantur, et Christi meritorum fructus amplissimos repraesentant, in vita et moribus suis internis et externis: ornant S. Ecclesiam, et curiam coelestem: confundunt daemones Christi hostes: utiles sunt vivis et defunctis iustis: et id assequuntur propter quod sunt creati a Deo, et tam multis naturae et gratiae beneficiis ob Christi merita ditati.

Porro nemo multitudine horum actuum se obruendum putet, aut de eorum praxi desperet, sensim enim iis frequentandis assuefaciendus est animus, nec ipso initio huius exercitii, statim a tironibus, circa omnia puncta huius Opusculi mens occupanda est, sed modo circa unum genus, modo circa alterum. Et revocandum est hoc loco monitum S. Ioan-

nis Climaci: «Non te, inquit, ea quae dicta sunt, «perturbent: nemo unquam repente, uno simul passu, «scalae omnes gradus conscendere potuit» [1]).

Haec nunc sufficiant hoc loco, de modo bene operandi: de quo, ex professo fuse agam in Opusculo: «De negociatione coelesti», toto libro secundo, et egi in alio Opusculo: «De secundo F», hoc est, «de Faciendis bene omnibus rebus quae placent Deo» [2]).

CAPUT XVIII.

De Modo colendi Deum in Sanctissima Eucharistia, et ut Sacramentum, et ut Sacrificium est.

I. Ante Communionem vel Sacrificium Missae.

Consideranda **primum** est excellentia Sacrificii, quae sumitur: *Primo,* ex eo, quod in illo offertur, scilicet Christus Dominus ratione Humanitatis suae, qua, quia nihil est creatum excellentius, ideo nomine eius actio ipsa sacrificandi omnes alias actiones creatas excedit, etiam Sanctorum actus, Deum in coelo laudantium.

Secundo, ex ipsa ratione Sacrificii, quae includit transmutationem et transsubstantiationem rei quae offertur. Haec enim supernaturale quiddam est, et quidem in altissimo rerum supernaturalium

---

[1]) Scala parad., grad. XXV. inter medium et fin. (P. gr. LXXXVIII. 998—9). [2]) Opusc. III. c. 3.

ordine; siquidem in aliis rebus supernaturalibus, tantum ex obiecto desumitur, hic vero etiam ex ipso modo et entitate Sacrificii, quae, quia totius substantiae omnino, secundum omnes partes suas est substantialis et supernaturalis maxime conversio in alteram substantiam novam, — quamvis res, quae sacrificatur esset naturalis, adhuc ipsum tale Sacrificium supernaturale esset [1]).

Tertio, ex valore huius Sacrificii, qui ex opere operato infinitus est, sicuti et merita Christi, et Passio (etsi non tam ample), ac proinde ex se tam Deo placet quam placuit actus moriendi in Cruce, cum pro redemptione nostra vitam suam tradidit pro nobis.

Quarto, ex significatione quam habet, scilicet, quia est repraesentatio Passionis Christi et mortis: cum ergo Passio et mors Christi res quaedam stupenda, et humanum excedens captum fuerit, ac novum quid in hoc mundo, insolitumque, sicut erat insolitum Deum ipsum mori (imo blasphemia esset si diceretur in veteri lege); ita repraesentantio huius rei tam mirabilis, excellens quoddam et stupendum sit, necesse est.

---

[1]) Sensus est: Hic, ratio supernaturalitatis sumitur ex ipso modo et ex entitate Sacrificii. Nam quia haec entitas Sacrificii est conversio substantialis et maxime supernaturalis totius substantiae omnino, secundum omnes suas partes, in alteram substantiam novam; ideo, quamvis res, quae sacrificatur esset naturalis — tamen ipsum huiusmodi Sacrificium adhuc esset supernaturale. (Nota editoris).

Quinto, ex persona, cui hoc Sacrificium offertur, quae est solus Deus, adeo ut nulli Sanctorum etiam Beatissimae Virgini, nec omnibus Sanctis simul possit hoc Sacrificium offerri, sed soli Deo. Sicut si esset aliqua res, quae in solius Principis usum cederet, aliis rebus, quae ei sunt communes cum aliis, esset excellentior: ita hoc Sacrificium omnes alias actiones superat, idque non ex morali quadam aestimatione, ex qua, verbi gratia vestes, tiara, sigilla pontificia ad eius solius usum sunt destinata, sed ex ipsa intrinseca rei natura, adeo ut ne Deus ipse per totam omnipotentiam suam facere possit, ut sacrificandi actus ulli alii, quam sibi fiant. Quod si honor et adoratio latriae hoc habet ut nulli nisi soli Deo exhiberi possit, actus sacrificandi adhuc praestantior erit, quia in se habet quemdam modum peculiarem Deum honorandi, ratione rei, quae offertur, nempe Christi Humanitatis.

Sexto, quia est intrinsece actus, qui nullo modo pendere potest immediate ab aliqua potentia creata, tanquam a causa principali, ne quidem secundum rationem genericam proximam. Nam, verbi gratia actus amoris erga Deum ut finem supernaturalem, est quidem supernaturalis, qui tamen a potentia vitali tanquam a suo principio immediate pendet, ita, ut si supernaturalis non esset ille actus, vere homo per potentiam vitalem posset esse causa principalis vitalitatis. At in transsubstantiatione panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, nihil est quod posset a potentia creata (a qua sit) effici, tanquam

a causa principali immediata. Potentia enim quae immediate attingit actum sacrificandi in Sacerdote, est potentia motiva efficiens locutionem seu formam Consecrationis loquendo, quae ex se non est apta facere mutationem substantialem: ac proinde in Sacrificio, ne secundum quidem rationem generícam respicit tanquam causa principalis suum effectum, considerando mutationem substantialem etiam ut praecisam a supernaturalitate. Quamvis enim potentia aliqua creata sit causa mutationis substantialis, ut est potentia generativa, potentia tamen locutiva, quae est immediate efficiens actum Consecrationis, non est apta per seipsam causare ex natura sua mutationem substantialem totalem.

Septimo, quia Sacerdos hoc Sacrificium peragit in persona Christi: ita ergo se gerere debet in eo, ne quid committat, quod dedeceat personam Christi. Sicut legatus sustinens personam regis cavet, ne quid indecorum committat.

Secundo, consideranda est necessitas huius Sacrificii; illo enim, qui sunt in hoc mundo et qui in purgatorio, egent: hi, ut liberentur et ad coelos migrent; illi, ut continuis Dei praesidiis adiuventur, quo possint liberari a necessitatibus corporalibus et spiritualibus, quae omnes in memoriam revocandae sunt, et quasi totus mundus retro te sacrificantem staret, clamans ad Deum et necessitates suas proponens: *Primo* enim, in maxima necessitate sunt male viventes catholici. *Secundo,* haeretici et schismatici. *Tertio,* Iudaei et infideles. *Quarto,* iusti tepidi, afflicti scrupulis aliisque tentationibus internis. *Quinto,* paupe-

res, aegroti, incarcerati, aere alieno gravati, persecutiones aliorum sustinentes, iniuste infamati et accusati. *Sexto,* bonis operibus intenti; ut iis qui versantur in auxiliis animarum docendo, concionando, Sacramenta administrando, vilia obsequia obeundo, res bene succedant in his et aliis actionibus. Cum ergo tot ac tantae necessitates sint, affectus devotionis debet esse illis proportionatus, ut singulis Divini auxilii particulam impetres, porrectis per te in Missa eorum supplicibus libellis, et Divinae Misericordiae serio commendatis.

Tertio, considerandum est gaudium, quod Sanctissima Trinitas, Coelites, et Animae beatae percipiunt ex devota celebratione Missarum, non tantum quia bonum opus est, ut alia opera, sed quia a Christo testamenti loco relictum ante mortem, idque ex maxima eius charitate, qua in finem voluit diligere suos, et quia est repraesentatio Mortis Christi, qua mediante, peccata nostra deleta sunt, et homines redempti, sancti salvati, et alii, adhuc in carne viventes tot beneficiis cumulati: quae omnia, quia maxime placent Deo, ipsa etiam actio sacrificandi, et ut repraesentatio causae tot bonorum, et ut nova impetratio aliorum beneficiorum in Dei cultum et honorem redundantium, sine dubio valde placet. Vide ergo ne quid in sacrificando facias, quod, quantum est in te, hanc SS. Trinitatis Sanctorumque laetitiam ex odore huius Sacrificii provenientem, interturbet.

Quarto considerandum: Cum hoc sacrificium repraesentet Christi Passionem et Mortem, est ve-

luti quaedam imago; quocirca nil turpe a te in ea ponatur, quod Dei oculos offendere possit. Et est veluti actio transiens, Christi mortem exprimens; quare nullus ineptus gestus a spectatoribus eius, qui sunt Sanctissima Trinitas, Christi Humanitas in coelo, Angeli et Animae beatae, notari debet: praesertim cum Sacerdos, Christi personam gerat dum sacrificat. Si ergo praesente rege in theatro, agens personam eius, et aliquam actionem exprimens, dares operam, ut ante, illum bene in te referres, adest enim qui defectum notet, et cui dedecus quoddam, male partes eius sustinendo facis; ita cum Christus quem in hac sacra Tragaedia refers, adsit; vide, ut ita te geras, quemadmodum decet Christi personam se gerere, in te repraesentatam. Est etiam hoc Sacrificium veluti thymiama quoddam, spirans Dei odorem suavitatis; videndum est igitur ne foetor aliquis tui, odoris fragrantiam ex eo provenientem perturbet: ut Deus Pater dicere possit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus.* Est quoque hostia quaedam, et placenta, ut ait David, Deo oblata, et panis propositionis, et Manna coeleste: omnis ergo amaritudo abesse debet. Est hymnus sacer, et epicedium, ante Christi mortem compositum, et ab Ecclesia Sanctissimae Trinitati cani solitum: quocirca cave, ne quid absonum tua culpa audiatur, quod suavissimam harmoniam verborum et orationum dissipet. Et quia tempore Missae datur tibi commoditas cum Deo agendi, omnesque mundi necessitates exponendi, decenter et ferventer id tran-

sige. Sicut ergo ad regis conspectum admissum, turpe esset ac indecens oculos retrovertere, vel taciturnitate et haesitatione loquendi insulsam reddere legationem, aut frigide gravissima negotia tractare; ita indecens est valde, si oculos mentis tuae avertas a Deo, cogitationes tuas transferas alio, vel nescias quid Deo proponas, et sine ardore devotionis; et ne, dum Agnus coelestis in Sacrificio ardet atque absumitur, tu frigidus tantae flammae assistas.

Quinto, considerandum quam male innumeri hominum per universum mundum Deo serviant, quot et quanta committant peccata contra legem naturalem et Divinam, ipsi etiam religiosi, qui maioris perfectionis obligatione tenentur: quam multi sunt, qui Dei obsequio non tam perfecte se, quam possent, tradiderunt, in tot rebus otiosis ludicrisque versantur, nec ut deberent de Deo semper cogitant et loquuntur, nec in eo sunt positi ut quam maxime Deus ex illis et in illis glorificetur: quae omnia considerans, tactus dolore cordis intrinsecus, excita in te vehementem et ardentem cordis affectum erga Dominum tuum, tam parum ab hominibus honoratum amatumque, ac veluti in compensationem omnium peccatorum et defectuum, da operam, ut hoc Sacrificium offeras ea intentione et devotione, ut, si fieri posset, obliviscatur eorum, quae fiunt ab aliis contra suam sanctissimam voluntatem; et, ut more nostro loquamur, totus resolvatur in gaudium et exultationem ex suavitate Sacrificii a te in eius honorem oblati, non tantum propter

valorem, quem habet ex opere operato, sed etiam ex opere operantis.

Sexto. Ex altera parte considera, cum quanto amore et fervore laudetur in coelis et ametur Sanctissima Trinitas a Spiritibus coelestibus et Sanctis animabus, praesertim ab anima Christi et Beatissimae Virginis, et aliorum illustrium Sanctorum. Quocirca cogita te cum aliis sacerdotibus in hac vita esse velut in choro musico constitutum, ut illis tam suavem sonum edentibus in coelo, tu quoque cum aliis sacerdotibus non absimilem edas concentum laudum et precum, ne quodammodo, ut in humanis rebus accidere solet, veluti pudore afficias (loquendo more nostro) illos Beatos tam suaviter Deo concinentes, et tuae vocis dissonantia iucundissimam illam harmoniam perturbes.

Consideratis iis, quae excitare possunt in te affectum devotionis ad celebrandum cum omni puritate et fervore cordis Missae Sacrificium, constitue certum finem, propter quem illud Domino Deo ad gloriam eius et honorem vis offerre; verbi gratia, pro gentium reductione, pro conversione haereticorum etc. Quando autem illud offeres pro re aliqua, circa quam dubitari possit an indigeat huius Sacrificii oblatione, substitue aliam certam, de qua dubium esse non possit. Verbi gratia, quando pro mortuo aliquo celebras, ut liberetur e purgatorio, dubium esse potest, forte iam est ille liberatus inde, tunc aliquam aliam necessitatem substitue, v. q. conversionem infidelium; certum enim est, rem hanc egere maximo Dei auxilio, quod Missae oblatio impetrare potest.

Porro quando nulla obligatione teneris pro re aliqua determinata, sed in tuo arbitrio positum est illam pro quacumque re velis offerre, tunc propter hos fines (nisi alia maior necessitas urgeat) illam offeres: *Primo,* pro remissione peccatorum tuorum quoad culpam et poenae obligationem. *Secundo,* pro beneficiis omnibus tibi a Deo ad hoc tempus concessis. *Tertio,* pro necessitatibus iis, quas eo tempore serio Domino commendare soles, dirigendo tamen ulterius hos fines ad Dei gloriam et intimum eiusdem gustum et consolationem, et ad recognoscendum eum tanquam Supremum Numen cui subiecta sunt omnia creata.

Hoc facto ex ardenti affectu erga Dei honorem et gustum, ut scilicet quam maximam gloriam et consolationem percipiat Sanctissima Trinitas ex tuo Sacro — roga *Primo:* Deum Patrem ut cum eo affectu det tibi in Missa Corpus Filii sui, cum quo illud in Incarnatione dedit Sanctissimae Virgini, et cum illa donorum coelestium copia, quam illa in Christi conceptione percepit. *Secundo:* Deum Filium, ut se tibi det cum eo affectu et copia donorum, qua se Beatissimae Virgini Matri suae dedit tunc, dum eum concepit in sanctissimo utero suo. *Tertio:* Deum Spiritum Sanctum, ut tam mundum, tam ardens divino amore, et tam plenum donis divinis, corpus et animam tuam efficiat antea, et per adventum Sanctissimi Sacramenti, quam mundum, ardens, et plenum reddiderat corpus et animam Sanctissimae Virginis, dum Christum Dominum conceptura erat et concepit. *Quarto:* Beatissimam

Virginem, ut tibi impetret tam perfectum amorem erga Christum Dominum, quam perfecte illa ipsum amabat, dum cum eo in hac vita conversaretur. *Quinto:* omnes Spiritus angelicos, ut tibi impetrent tantam erga Sanctissimum Sacramentum reverentiam, quantam ipsi Christo exhibuerunt ei ministrantes, et nunc exhibent in coelo. *Sexto:* omnes Sanctos, ut tibi impetrent tantam devotionem erga Sanctissimum Sacramentum, cum quanta ipsi eum in hac vita suscipiebant; et tantum ex Sacra Communione in virtutibus augmentum, quantum ipsi ex ea habuerunt. *Septimo:* Christi denique Humanitatem roga, ut cum eo affectu se tibi in Sanctissimo Sacramento communicet, cum quo in Cruce animam suam dedit pro nobis, et cum quo Sanctissimum hoc Sacramentum in memoriam suae Passionis instituit, et cum ea coelestium donorum accessione, quae respondeat illius meritis per vitam passionem, et mortem suam pro humano genere ab ipso acquisitis in beneficium nostrum.

Paulo ante Communionem considerabis actus: *Amoris,* quo prosequitur Sanctissima Trinitas Humanitatem Christi, et illius quo eandem in hac vita prosequebatur Beatissima Virgo, et nunc prosequitur; et cum eo quo eum alloquebantur et excipiebant Sancti aliqui, quando illis visibiliter apparebat, ut Sancto Francisco, Sanctae Catharinae Senensi, Sancto Ignatio. *Devotionis,* cum qua ad Communionem accedebant quidam Sacti, ut S. Ignatius, S. Aloysius, S. Stanislaus etc. *Amoris,* quem Christus habebat erga nos, dum Sacramentum hoc,

quasi testamentum in sui memoriam et salutem nostram instituerat: et similes affectus in te excita erga Christum, qui venit ad te, tanquam Creator ad creaturam, Dominus ad servum, Pater ad filium, Amicus ad amicum, Redemptor ad vile mancipium, Magister ad discipulum, Medicus ad aegrotum, Frater natu maior ad fratrem natu minorem: plenus omnibus thesauris, per vitam, Passionem, et mortem suam acquisitis, in remissionem peccatorum nostrorum, et largitionem donorum gratiae et gloriae. Et his affectibus excitatis, magno cum desiderio eum expecta, et cum interno amore recipe venientem.

II. Post Communionem, vel Sacrificium Missae.

Sumpta Eucharistia, hi erga Christum sumptum affectus in te sunt excitandi: *Primo, Humiliatio*: Humilia te profundissime ob adventum tanti Domini, revocando in memoriam cum dolore, 1-mo peccata vitae praeteritae. 2-do imperfectiones et tepiditatem praesentem. 3-tio naturae tuae vilitatem collatae cum Christi Divinitate. 4-to perfectiones Christi in quantum Deus est et Homo.

Secundo, Adoratio. Adora: 1-mo Sanctissimam Trinitatem in Eucharistia existentem. 2-do Christi Humanitatem intra te nunc existentem. 3-tio eundem existentem in tot locis S. Ecclesiae, in quibus conservatur Sacra Eucharistia, gaudendo de eius cultu et honore iis in locis, in quibus valde fre-

quentatur et colitur, et doleńdo de exiguo cultu in illis locis in quibus non valde honoratur, vel etiam blasphematur. 4-to Christi Animam speciatim tanquam plenissimam omnibus sanctitatis ornamentis et meritis, et tam antiquo ac constanti foecundoque erga te amore. 5-to Christi Corpus, tam multa et acerba et indigna propter te passum, et tandem occisum, oscula spiritualia imprimendo iis corporis partibus, quae magis tui causa fuerunt doloribus, et vulneribus excruciatae.

Tertio, Gratiarum actio. Gratias age ex intimo affectu: 1-mo pro eius adventu in hac Communione. 2-do pro eius adventu in Incarnatione. 3-tio pro tot meritis et exemplis virtutum ab eo, dum viveret, collectis et relictis in beneficium tuum. 4-to pro institutione huius Sanctissimi Sacramenti et aliorum. 5-to pro eius morte et nostra Redemptione. 6-to pro eo, quod te ad sacerdotium evexerit. 7-mo pro beneficio creationis. 8-vo pro conservatione. 9-no pro conversione ad fidem. 10-mo pro iustificatione. 11-mo pro vocatione ad religionem. 12-mo pro perseverantia in statu gratiae et religionis. 13-tio pro patientia eius in tolerando tot peccatis tuis et aliorum, ac imperfectionibus. 14-to pro Sanctitate tot Sanctis concessa. 15-to pro tribulationibus, quibus es unquam exagitatus. 16-to pro assidua perfectione tui in via perfectionis. 17-mo pro beneficiis peculiaribus insignibus, quae nulli desunt propria. 18-vo pro eo vel iis, quae tibi mediate vel immediate concessit. 19-no pro omnibus aliis generalibus et particularibus, quae alicui creaturae

Deus adhuc concessit, et in posterum concedet praesertim quae dedit ipsi Christi Humanitati, SS. Matri eius, et aliis Sanctis ac Electis: 20-mo pro institutione tui ordinis si religiosus es. 21-mo pro propagatione eiusdem. 22-do pro tot tribulationibus, quibus vexatus est, et adhuc vexatur. 23-tio pro tot Sanctis et doctis hominibus ei datis. 24-to pro tot ad eam suaviter et mirabiliter vocatis. 25-to pro fructu ab eo in universo mundo edito. 26-to pro tot bonis amicis, qui eum valde amant. 27-mo pro tot adversariis eum persequentibus, quia praebent ei materiam meritorum.

Quarto, Oblatio. Offer Sanctissimae Trinitati Sanctissimum Sacramentum, quod suscepisti, ad eius gustum, honorem et consolationem, pro omnibus beneficiis ab ea acceptis tuis et aliorum, pro necessitatibus, tuis et aliorum, praesertim tuorum et tui ordinis vivorum ac mortuorum amicorum, et inimicorum. Offer Christo suscepto, in unione eius meritorum et sanctorum membrorum eius: 1-mo animam et corpus tuum cum omnibus potentiis, membris, sensibus, actionibus et cessationibus ab iis, desiderando tantam rerum omnium tuarum sanctitatem, ut sis perpetuum quoddam holocaustum, ardens ad gustum et honorem Divinae Maiestatis, et quodammodo te consumens, et in nihilum redigens pure propter Dominum Deum tuum. 2-do voluntatem moriendi potius, vel quidvis aliud tolerandi, quam offendendi eum peccato deliberate facto mortali vel veniali. 3-tio perfectiora semper eligendi, et in aeque perfectis ea, quae magis repugnant sen-

sibus tuis, iudicio, voluntati et honori, quantum spes maioris divinae gloriae patitur, ut ita quam maxime sis similis Christo crucifixo. 4-to perseverandi in observatione Dei mandatorum et consiliorum et regularum, vitaque perfecta ac tribulationibus plena. 5-to patiendi multa gravia, putata pro levibus, pro Christo. 6-to in omnibus actionibus tuis nullum alium finem, quam ipsum Deum quaerendi. 7-mo, omnes homines, si fieri posset, ad eius maximum amorem convertendi, vel conversos esse, sciendi.

Quinto, Petitio. Pete a Christo ferventer: 1-mo remissionem peccatorum tuorum quoad culpam et poenam. 2-do perseverantiam in eius gratia et vita sancta. 3-tio tribulationes acres, frequentes, diversas, personales habitas pro levibus, occultas, sine causa ex parte tua, et sine peccato tuo et aliorum tribulantium. 4-to perpetuum augmentum humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiae, fidei, spei, charitatis, prudentiae, iustitiae, fortitudinis, temperantiae, patientiae, devotionis, orationis, discretionis spirituum, passionum mortificationis, puritatis cordis quam maximae, et aliarum virtutum.

Pete purum habere cor ab actibus malis materialiter et formaliter, immeritoriis, tepidis, habitibus vitiosis, motibus passionum inordinatarum, obligatione poenae temporalis nunc, et in hora mortis tuae.

Pete gratiam, in omnibus actionibus tuis quaerendi hoc quod natura, perfectio et mortificatio exigit; omnes actiones tuas tam intense eliciendi,

quam sunt intensi habitus infusi et acquisiti in te; et ut actiones tuae cognitioni adaequate respondeant; ut in omnibus perfectissime respondeas divinae gubernationi; diutissime vivendi cum magna sanctitate, et fructu animarum; affligendi corpus asperrime, sine detrimento maiorum bonorum, praesertim sanitatis: utiliter concionandi, conversandi, confessiones audiendi: dolores aliquos acres colicos, vel alios apto tempore sentiendi, ut eorum sensu exsolvas debitum poenae temporalis. Pete denique ut, quam simillime fieri potest, ita dirigantur omnes tuae potentiae, sensus, membra, actionesque tuae, quaemadmodum eius Divinitas dirigebat easdem res Sanctissimae Humanitatis.

Pete etiam a Deo Patre: 1-mo Ecclesiae sanctae pastorum vigilantiam, et vitam exemplarem; conversionem infidelium, haereticorum, schismaticorum, peccatorum, tepidorum, multiplicationem et progressum perpetuum perseverantemque sanctorum. 2-do regibus ac dominis temporalibus religionis ac iustitiae amorem, mutuam concordiam, in negotiis civilibus licitis successum. 3-tio afflictis: in morbo et paupertate auxilium et solatium; in persecutionibus hominum patientiam, et ab iis, si id sit cum maiori Dei gloria coniunctum, liberationem. 4-to adversariis tuis multa gratiae et gloriae dona. 5-to S. ordini tuo vel congregationi mortificationem omnium passionum, devotionem, aedificationem, zelum animarum et fructum perpetuum, in virtute ac literis progressum, in tribulationibus protectionem, sufficientiam bonorum temporalium, abundantiam ope-

rariorum pro vinea Domini. 6-to, defunctis tui ordinis vel congregationis: iis praesertim, qui nuper obierunt, vel qui suffragiis communibus commendati sunt: et his, qui tui adversarii fuerunt: cognatis, amicis, reliquis, praesertim iis, qui vel nullis, vel valde exiguis suffragiis iuvantur, ut liberentur a purgatorii poenis quam primum, et in coelo tui sint peculiares patroni. 7-mo, illis negotiis, quae ultimo erant a Superioribus commendata orationibus nostris prosperum successum, vel, si personae sint commendatae, ut a Deo iuventur in eo in quo orationibus nostris egent. Huc revocandum est id, pro quo in scheda menstrua orandum praescribitur.

Sexto, Actus virtutum variarum circa Sanctissimum Sacramentum elicies:

1-mo, *Adorationis,* adorando illud in te ipso susceptum, et in omnibus aliis templis universi mundi, adoratione latriae. Porro hunc adorationis actum intensiorem efficias cogitando de illis templis, in quibus parum honoratur Sanctissimum Sacramentum, vel in quibus graviora contra eius cultum peccata committuntur. 2-do, *Fidei,* considerando Christum, qui est in SS. Sacramento, a te susceptum, esse verum Deum et Hominem, et cuius Divinitati ac Humanitati conveniunt omnia ea, quae de iis credit S. Ecclesia, et quae de iis negarunt haeretici. 3-tio, *Spei,* sperando a Christo, ut a Deo, multa dona naturalia et supernaturalia, gratiae et gloriae, tanquam a causa principali, ab Homine vero eadem per eius merita acquirenda. 4-to, *Charitatis: Primo,* eliciendo internum quemdam voluntatis fer-

vidae amplexum erga Christum ut Deum et Hominem. *Secundo,* gaudendo quod eius Divinitas tam perfecta sit in se et respectu nostri, ut perfecte cognosci non possit. *Tertio,* gaudendo quod in coelis ab Angelis et Beatis, in hac vero vita a christianis, iustis praesertim ac sanctis aliquatenus colatur et ametur, et quod eius Corpus et Anima in coelis tam beata sit et tot donis ornata. *Quarto,* dolendo quod tot peccata contra illum facta sint, fiant et futura sint a te et ab aliis. Item quod, licet ipse tam multa fecerit et passus sit pro humano genere, tamen culpa sua tam multi damnantur. *Quinto,* desiderando: *a)* ut quamprimum fieri potest, cessent peccata et imperfectiones in mundo. *b)* ut iusti multiplicentur, et Sancti proficiant maxime in sanctitate cum perseverantia. *c)* ut infideles, et alii ad veram fidem perducantur. *d)* ut Deus, et Christus ut Homo positive honorentur et amentur ab hominibus, eo modo, quo Deus ipse vult, se et Christi Humanitatem amari et honorari.

Septimo, distingue in Christo ut Deo, *attributa* eius Divinitatis, et alias perfectiones, et earum occasione diversos actus elicias: 1-mo, cogitando de eius Independentia, seu de eo, quod est a se, ut theologi dicunt; et roga, ut eamdem tibi det, ut ab alio nullo dependeas, nisi ab eo, et a superioribus solis propter eum. 2-do, de Aeternitate: et roga longam vitam ad agendum et patiendum pro eo quam plurima. 3-tio, de Immensitate: et desidera ut in omnibus locis cognoscatur et ametur; et pro illis peccatis quae fiunt alicubi, in quamdam recompensa-

tionem elice intensum actum adorationis et amoris erga illum. 4-to, cogitando de infinita vi Christi Domini effectus naturales et supernaturales producendi; et roga, ut tibi omnis generis dona naturalia et supernaturalia det, ut ita possis esse quasi esca quaedam vel rete ad capiendos omnes homines, et ad eius amorem adducendos. 5-to, de eius infinita Sapientia; et roga, ut det tibi scientiam rerum illarum, quibus eges ad instructionem tui et aliorum: donum consilii, prudentiae, discretionis spirituum; et tuo ordini profectum in virtute et in literarum studiis. 6-to, de Bonitate illius; et roga ut in actibus tuis Deus non videat, nisi bonitatem; quod fiet, si omnes actus tui liberi, fiant sine imperfectionibus, et proptem finem supernaturalem, scilicet Deum. 7-mo, de eius Filiatione ac Hypostasi, per quam Christus constituitur in esse Filii; et roga, ut ipse tibi, quantum fieri potest tam libenter et copiose (proportionaliter loquendo, et de potentia ordinaria) communicet perfectiones naturales et supernaturales gratiae et gloriae, quae filiis suis per adoptionem concedi possunt, quantum Ipsi per generationem activam fuerunt communicata illa, quae Ipse habuit in se, ut est compositum quoddam ex persona Verbi et natura humana. 8-vo, cogitando de Concursu eius actuali ad omnes actiones creaturarum; et roga, ut sicut ille actualiter suum concursum, quo tecum et in te concurrit ad actiones tuas, refert ad se tanquam ad finem, — ita omnes et singulas actiones, nulla neglecta, actualiter ordines ad eum, propter eum; idque ita perfecte, ut nulla

res in actionibus tuis, in recto vel obliquo sit, ad quam Deus directe non concurrat: ut nullus defectus in iis reperiatur, hunc enim solum Deus producere non potest.

Eodem modo alias perfectiones in Deo distinguere poteris, et earum occasione alios actus elicere, v. g. gaudii, gaudendo quod illas perfectiones Deus habeat in se; gratiarum actionis, quod eas nobis manifestarit, et effectus ad hoc, proportionatos iis, nobis communicarit. Simili modo distinguendae sunt perfectiones Humanitatis Christi, tam eae quae ad integritatem spectant naturae humanae, ut sunt: corpus cum membris, anima cum potentiis rationalibus et irrationalibus, — quam, quae naturae superadditae sunt, sive sint habitus, sive actus, iique vel permanentes, ut visio beata, vel transeuntes, ut actus loquendi, orandi, miracula patrandi, etc.

In considerandis autem Animae potentiis et habitibus, inter cetera rogabis Christum Deum, ut potentias tuas efficiat quam simillimas suis, ita eas ornando habitibus sicut eius potentiae ornatae erant, et ita excitando eas ad actus, sicut excitabat suas. Considerando quodlibet membrum Christi ante te pendentis in cruce, rogabis, ut sicut in eo Verbum dirigebat ea membra, et movebat perfectissimo modo, ita etiam, ingressus ipse ad te in Sanctissima Communione, non modo potentias internas, sed etiam omnia membra et actiones externas dirigat, ut sis quoddam exemplar et veluti imago Humanitatis Christi, exprimendo omnes actiones tuas internas et externas quam simillime illi modo, quo Christus

Dominus ut Homo faciebat intus et extra; haec est enim illa transformatio, quae a sanctis Doctoribus numeratur inter fructus Communionis.

Ultimo, claudenda est tota Communio et gratiarum actio, praesentando Christum Dominum in Sanctissima Eucharistia susceptum Spiritibus Beatis:

Ad Angelos Sanctos: «Aspicite Ministri Altissimi, verbum illius facientes, primogenitum Patris aeterni, quem introeuntem in orbem terrarum, iussu Patris coelestis adorastis; et facite me in eo spiritu et veritate illi servire, quo vos eidem in hac vita servivistis, et nunc in illa beata et coelesti servitis».

Ad SS. Patriarchas et Prophetas. «Aspicite coelestes Nuncii conscii mirabilium secretorum, promissum ab initio mundi Redemptorem, quem desiderastis et tanto tempore expectastis; et facite me totis viribus et affectibus cordis ad ipsum anhelare, et post ipsum dilectum meum die ac nocte suspirare».

Ad SS. Apostolos. «Aspicite Evangelii Praedicatores clarissimi, vestrum dilectissimum Magistrum, quem toto corde tam ardenter amastis; et facite me eundem super omnia, intimis cordis medullis ferventer amare».

Ad SS. Martyres. «Aspicite, Testes fidei fortissimi, Christum crucifixum, pro cuius amore sanguinem vestrum tam libenter fudistis; et facite me pro eius amore perpetuis cruciari molestiis, et semper in cruce vivere, et cruce quam molestissima, sive naturae imperio, sive manibus impiorum ad Dominum meum migrare».

Ad SS. Confessores Pontifices. «Aspicite Pastores gregis Dominici Agnum immaculatum, quem omnipotenti Deo in sacro altari in odorem suavitatis immolastis; et facite me in tanto Sacrificio occupatum, digne illud Deo offerre, et me ipsum tam sacrae oblationi associatum, perpetuo eidem per opera sancta quam maxime in odorem suavitatis immolare».

Ad SS. Confessores Religiosos. «Aspicite Servi fideles Domini mei, dulcem et dilectum Dominum vestrum, pro quo omnia huius mundi oblectamenta, et affectu et re ipsa reliquistis; et facite me pro eiusdem amore in hoc statu pauperculo usque ad mortem perseverare, et ad magnae sanctitatis fastigium pervenire, pure propter Dominum Deum meum».

Ad SS. et BB. tui Ordinis. «Aspicite Fratres charissimi Ducem vestrum, cui vos verbo et exemplo tantopere in hac vita conformastis; et facite me et omnes fratres nostros adhuc pro eius honore in S. Ecclesia militantes copiosam animarum praedam, sine detrimento nostrae professionis reportare, et auctos quam plurimis et optimis operariis ad eamdem vineam vocatis cum grandibus manipulis meritorum ad vestram et Ducis nostri societatem pervenire».

Ad SS. Virgines. «Aspicite Sponsae Agni immaculati Dilectum vestrum, cui vestram virginitatem cum tanta exultatione conservastis; et facite me purum corde et opere semper oculis dilecti mei et vestri apparere, et purum ab omni labe peccati,

et poenae obligatione, ex hac vita, recta ad coelum migrare».

Ad Omnes Sanctos. «Aspicite mei Amici charissimi, consolatio pauperculae animae meae Magistrum, Auctorem, et praemium vestrae sanctitatis; et facite me iisdem passibus, in magna et spiritui ordinis mei conformi sanctitate semper procedere, — quibus annorum meorum series perpetuo crescens nunquam in eadem mora subsistens, volvitur».

Ad Dominum Iesum. «Recedo a te modicum, Domine mi, sed non sine te, consolatio, felicitas, et omne bonum animae meae, et me tuae amplissimae charitati, cum omnibus fratribus, amicis et inimicis nostris vehementer commendo. Ama nos Domine, quantum potes, et tuo amore inebria, et transforma nos quam simillime in te, gaudium et exultatio cordis nostri; et fac, ut toti simus in te, toti occupemur in te, et propter te, nihilque sit obiectum verborum actionumque nostrarum internarum et externarum, nisi tu amor noster, et omne bonum nestrum: qui vivis et regnas», etc.

Ultimo dic: «Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat», etc.

CAPUT XIX.

Modus audiendi Sacrum.

Dum Sacerdos ad pedem arae confitetur palam, excita in te, quam potes maximum dolorem peccatorum, veniamque enixe postula, ut quoad culpam omnem et poenam liber sis a peccatis.

Dum deinde ascendit ad altare, illud osculaturus, adora omnes coelites, eosque tibi ac tuis tam regno et civitati, quam incolis et domicilio tuo, atque adeo mundo toti auxiliatores advoca.

In introitu, ad ea quae legit de libro adverte (id quod servandum erit semper dum quid clara voce sacerdos pronuntiat), eosque in te accende affectus quos verba quae legit Sacerdos exigunt. Quod si exilis debilisque vox Sacerdotis non auditur, dic pluries. «Benedicta sit Sancta Trinitas, et «individua unitas: Confitebimur ei quia fecit nobis- «cum misericordiam suam. Gloria Patri», etc.

Ad „Kyrie eleison", dic ter Kyrie eleison, ter Christe eleison, ter Kyrie eleison: quemlibet ternarium ad singulas SS. Trinitatis personas dirigendo. Similiter «Gloria», cum Sacerdote decurras, quando id, est laus Dei una de praecipuis.

Ad „Dominus vobiscum", quando minister respondet, «Et cum spiritu tuo»: paucis, sed ardenter Deum roga, ut ministris Ecclesiae suae omnem gratiam et dona necessaria ad officium suum rite exequendum dignetur elargiri.

Ad Orationes quas Sacerdos dicit, attende, eisque similes affectus tuos associa, et quod petit, tu quoque pete. Alias deinde communes Ecclesiae necessitates Deo erunt commendandae, maxime vero quas hic adiiciam. 1-mo, conversio eorum, qui carent lumine fidei. 2-do, qui sunt in peccato mortali. 3-tio, conversio iustorum tepide Deo servientium. 4-to, multiplicatio sanctorum in Ecclesia Dei. 5-to, necessitates tuae civitatis, locive ubi commoraris, et mundi totius, atque hoc actitare poteris usque ad Evangelium.

Ad Evangelium, ausculta illud et proportionatos historiae affectus elice; exempli gratia esse poterunt: vel gratiarum actio pro miraculo patrato; vel humiliatio cum peccatoribus intercurrentibus; vel imploratio auxilii contra morbos spirituales: vel desiderium virtutis a Christo commendatae in illo quod audis Evangelio, et sic de aliis.

Credo, cum Sacerdote recites.

Ad verba: «Dominus vobiscum: Et cum Spiritu «tuo», id fiat quod dictum est supra.

Ad Offertorium, offer SS. Triadi vitam, passionem et mortem Christi Salvatoris, et merita eius ac omnium Sanctorum, tam vivorum quam mortuorum pro quinque illis capitibus obtinendis, videlicet «conversione eorum» etc., ut paulo ante dictum est.

Ad Praefationem, age Deo gratias pro omnibus beneficiis communibis et particularibus, praesertim iis quae non cognoscuntur ab hominibus, et quibus multi abutuntur, et pro quibus non tantas gratias agunt quantas possent et deberent.

Ad primum „Memento", ora pro vivis in particulari. 1-mo, pro Papa et omnibus superioribus, et confessariis. 2-do, pro parentibus et consanguineis. 3-tio, pro inimicis, qui te exacerbarunt. 4-to, pro amicis et benefactoribus tuis, et domicilii tui, praesertim qui se tuis precibus vel per literas, vel oretenus commendarunt et commendare solent. 5-to, pro afflictis in aliqua necessitate constitutis. 6-to, pro iis, qui boni aliquid animo conceperunt, ut id in effectum auxilio Dei deducant, quam primum et quam optime.

Ad Elevationem, adora affectu intensissimo SS. Sacramentum tam praesens quam absens ubivis terrarum, maxime ubi minus digne habetur. Ad eundem modum SS. Sanguinem adorabis, dum calix sacer elevatur.

Post Elevationem, I-mo, offer SS. Trinitati maximum illud Sacramentum, Corpus et Sanguinem Christi Domini pro sex illis rebus, commendatis ad «Memento vivorum», quibus septimam adiunges, videlicet pro necessitatibus tuis ac tuorum omnium amicorum: et octavam, pro omnibus beneficiis Dei, et pro remissione omnium tuorum peccatorum quoad culpam et quoad poenam. II-do, offer in unione SS. Sacramenti Deo dona tua honoraria, exigua licet, tamen cum affectu intenso, nimirum haec:

1-mo. Firmum propositum nunquam lethifere delinquendi.

2-do. Sed nec venialiter deliberate.

3-tio. Vivendi in perpetua castitate.

4-to. Perseverandi in vita religiosa, si religiosus es, si saecularis — in vita bona.

5-to. Sufferendi quidquid acciderit adversi.

6-to. Promovendi te et alios semper in via perfectionis, quantum licebit.

Post haec ora pro mortuis, tum aliis, tum iis a quibus es aliquid passus in hac vita. Isti enim sunt maiores tui benefactores, quia tibi offerunt materiam pro coronis in coelo.

Ad „Pater noster", id ipsum recita.

Inde, usque ad «Agnus Dei», percurre pulcherrimam illam orationem: «Respice quaesumus Domine, «super hanc familiam tuam» etc. verum percurre illam multo cum affectu, et si supererit tempus, repete: imo saepe in die illam itera, praesertim dum alicubi te continget esse cum aliis, ut in refectorio et alias.

Ad „Agnus Dei", ter id ipsum pronuntia.

Deinde erga Christum in SS. Sacramento hos affectus elice:

1-mo. Deum praesentem hic adora.

2-do. Age gratias quod hic adesse sit dignatus.

3-tio. Pete ab ipso per merita sua et quinque vulnera, quinque gratias:

1-mo. Remissionem omnium tuorum et alienorum peccatorum, quoad culpam et poenam.

2-do. Excellentem tibi et aliis sanctitatem quam maximam.

3-tio. Continuum auxilium in omnibus necessitatibus tuis et aliorum, corporalibus et spiritualibus.

4-to. Magnam gratiam adversariis et inimicis tuis si qui sunt, aut erunt.

5-to. Commenda illi in particulari praesentem aliquam necessitatem, seu tuam, seu alienam, maxime eam, quae vel ab episcopo, vel in ordine tuo solet in scheda aliqua affigi vel in refectorio commendari omnium precibus.

Ad Communionem, sic operare:

1-mo. Crede praesentiam Christi Corporis et Sanguinis sine panis et vini substantia.

2-do. Desidera communicare, cumque id fieri semper nequeat, saltem affectu piae ac tenerae voluntatis eum spiritualiter recipe.

3-tio. Excita in te actus amoris fervidi ac defecati, adversus Christum in SS. Sacramento: ut Creatorem tuum, Conservatorem, Dominum, Defensorem, Patrem, Amicum, Sponsum, ac Fratrem charissimum ac dulcissimum.

Dum Sacerdos circa calicem adaptandum occupatur, age gratias pro Eucharistiae beneficio, pete gratiam communicandi saepius, idque maxima cum perfectione ac fructu tuo, quodsi tempus patiatur, quantum sit id beneficium rumina.

Ad Orationes ultimas, id pete a Deo quod ante Evangelium petendum dixi.

Benedictionem sacerdotalem summa cum humilitate, fide, desiderioque coelestis benedictionis recipe, genibus flexis, tantillum inclinato capite ob reverentiam ordinis sacerdotalis, Christi officium repraesentantis.

Ad Evangelium S. Ioannis, ausculta illud, Deoque redde gratias pro beneficio Incarnationis: pete tuo corpori ac membris omnibus, animoque tuo ac omnibus potentiis, omnibusque actionibus tuis tantam gratiae ac donorum coelestium ubertatem, quantam Christus meruit pro nobis, proportione quadam applicandam.

Ad „Verbum Caro factum est", adora affectu maximo Humanitatem Christi unitam Verbo, et in coelo et in SS. Sacramento, et implorata benedictione a SS. Trinitate et Christi Humanitate, recede ad reliqua munia, tibi praescripta, pure propter Dei amorem obeunda.

Existimo hunc modum audiendi Sacrum placere Divinae Maiestati: quia cum illum italice a me prius scriptum, accomodassem Romae moniali ordinis S. Benedicti, in «Turri Speculorum» (ut vocant) tunc manenti, Emiliae Mutae, germanae sorori Cardinalis Muti et Marchionissae Mutae, illaque ob defectum temporis illum tunc legere non valens, scriptum meum reposuisset in cella, honesta quidem, sed ob inclusum diu aërem, occlusas fenestras et portam habente, tetri odoris, postquam die sequenti in eadem cella illud accepit ad legendum, sensit ex ipso scripto effundi suavissimum odorem instar liliorum, quorum tunc tempus non erat, et quamvis nullus esset odor naturalis suavis in ea cella, nec artificialis.

CAPUT XX.

De Devotionibus quae fieri possunt in Nocte Nativitatis Domini.

Prooemium. Iuxta quantitatem temporis quod habebis pro meditando hoc mysterio, in singulis titulis Domini Iesu immorare, ponderando fusius quam hic scriptum sit, quomodo, qua ratione fuerit lux, via, pastor, etc. et in singulis fac reflexionem ad te duplicem: I. quomodo singulis istis titulis praestiterit, et praestet tibi et aliis Dominus Iesus singulare beneficium, te docendo, illuminando, ducendo, pascendo, regendo, redimendo etc. II. quomodo tu non correspondeas tam bene uti deberes, eius illuminationi, doctrinae, ductui, etc. ut ita te humilies, et doleas breviter [infra id facturus ex professo, fusius [1]], et proponas emendationem, et petas gratiam te emendandi, et compatiaris ei quod multi alii, et fere omnes non correspondeant his eius beneficiis, quae praeseferunt isti eius tam multi tituli. «Placet «Deo, dixit in raptu B. M. Magdalena de Pazzis, «in viatoribus magis exercitium doloris quam amo«ris, quia illud est species martyrii, quo animae «fiunt similes ei in Cruce pendenti, et dolore suo «possunt compati eius magnis poenis, et flere amaris «lacrimis eius Passionem». Et post quamdam Communionem didicit a Domino, «ut instar turturis «gemeret eique compateretur, quod tam parum sit «cognitus et amatus a creaturis» [2]).

[1]) Sub *„Quarto“*. [2]) Parte IV. c. 29.

Primo. Adora omnium primo D. Iesum, ‹Puerum «de Bethlehem» [uti eum appellabat S. Franciscus Assisias, dum impetrata licentia a Summo Pontifice, fecit nocte Natalis Domini praeparari praesepium, apportari foenum, bovem ad asinum ad locum adduci, et puerulum ex aliqua materia fictum reponi in illo praesepio [1])]. Adora inquam in humanitate, tanquam Hominem Verbo Divino hypostatice unitum, quia in humanitate tunc primum comparuit. Adora autem, tanquam futurum *Exemplar* omnis sanctitatis; *Lucem mundi*, etiam hac nocte illuminantem pastores; *Viam* peregrinantium viatorum, etiam hac nocte ducentem ad se pastores; *Fratrem nostrum* factum per assumptam humanitatem; *Veritatem*, per impletionem visibilem veritatum praedictarum a Prophetis de eius adventu nunc inchoatam manifeste; *Parvulum* Filium Virginis, *Agnum Dei* tollentem peccata mundi, *Emmanuelem*, nobiscum Deum; *Iustum nostrum*, in se iustum, et omnis nostrae iustitiae fontem inexhaustum; *Principem pacis*, quam hac nocte annunciant Angeli. *Non habentem ubi caput reclinet*, quia non erat ei locus in diversorio hac nocte; *Magistrum*, nunc et postea exemplo suo docentem nos paupertatem, patientiam, humilitatem, mansuetudine, postea et exemplo et verbo plura docturum; *Legislatorem*, futurum auctorem novae legis, quia nihil poterat lex vetus ad perfectum adducere, uti nova lex adducit; *Pastorem*, pro oviculis etiam malis moriturum, et

[1]) Vitae c. IX. n. 149 (Boll. L. 770).

tot lupis se expositurum in passione, et alias; *Ducem* militiae, sub vexillo Crucis milites congregaturum; *Admirabilem*, et in persona sua, habente unitam humanam naturam et tot alia, nota theologis, — et in operibus miraculosis; *Consiliarium*, sana consilia per Scripturam, per suam praedicationem, et per internas inspirationes suppeditaturum; *Signum, cui contradicetur* tot modis, et a Iudeis, et ab aliis, et a viventibus non iuxta eius doctrinam et consilia; *Ruinam multorum* qui ei non credunt et non obediunt; *Resurrectionem multorum*, qui ei credunt et obediunt; *Panem de coelo descendentem*, nos in Eucharistia pascentem; *Gallinam*, nos sub alas suas congregaturum si voluerimus; *Clamantem in deserto* huius mundi, quid? «Poenitentiam agite; intrate «per angustam portam; qui non baiulat Crucem «suam et sequitur me quotidie, non est me dignus». *Amicum*, qui, «quae audivit a Patre, nota fecit nobis», et modo, per inspirationes occultas et per superiores, et per socios bonos idem facit; *Petram fundamentalem et angularem* Ecclesiae, cuius te fecit filium, relictis tot aliis, infidelibus, Iudaeis, haereticis, schismaticis; *Caput Ecclesiae*, cuius te fecit membrum (laus Deo) vivum, et quidem, si religiosus es, cubicularium, et si sacerdos es, dispensatorem tot thesaurorum Ecclesiae, per Sacramentorum administrationem, et verbi Dei praedicationem; *Redemptorem*, in Cruce completurum tuam redemptionem, inchoatam; ab Incarnationis instanti, et nunc publice inchoatam; *Salvatorem*, post mortem deducturum ad coelum iustos salvandos; *Vitam*, in

coelo se praebiturum obiectum vitae aeternae, post tui salvationem; *Mediatorem*, in coelo perpetuum, in causis, et, ut ita dicam, litibus peccatorum cum Deo Patre; *Advocatum*, intercedentem pro misellis peccatoribus ne damnentur; *Propitiationem pro peccatis nostris*, eorum remissionem concedentem peccatoribus, id petentibus, et non petentibus; *Sacerdotem*, cum ministris Ecclesiae quotidie sacrificantem in sacris altaribus; *Agnum Dei tollentem peccata mundi*, his modis: 1-mo. Non puniendo statim peccantes. 2-do. Expectando diu peccatores, ut poenitentiam agant. 3-tio. Poenitentiam agentibus parcendo. 4-to. Recidentibus toties in peccata alias condonata, gratiam suam conferendo. 5-to. Poenas pro peccatis debitas variis modis condonando, vel in leviores satisfactiones commutando, easque benigne acceptando. 6-to. Pro peccatis satisfaciendo, vita, passione, et morte sua. 7-mo. Multos praeservando a peccatis, *Patrem futuri seculi*, quia semper ut pater filium prodigum, recipit peccatores ad se recurrentes, omnibus saeculis huius vitae, quam diu durabit mundus; *Leonem*, arcentem lupos infernales ne nos devorent; *Regem regum et Dominum dominantium*, cui omnes monarchae subsunt; *Salutare Dei*, quia semper paratus est omnibus dare auxilia et dona salutis; *Iudicem* futurum; et tandem *Deum fortem, Deum de Deo, consubstantialem Patri.*

Secundo. Actu explicito fidei, corde et ore haec omnia pronuncia sic: «Credo, et sanguine meo paratus sum confirmare hanc veritatem, te esse verum

et realem hominem» (contra omnes haereses), «te esse exemplar omnis sanctitatis» (contra blasphemos Iudaeos qui id negabant), et sic alios titulos.

Tertio, gratias illi age, quod homo factus sit, et hac ratione voluerit esse tuum Exemplar, Lux, Via, etc. percurre explicite omnes titulos eius.

Quarto. Dole, quod non corresponderis illius titulis, non sequendo eius exempla, non exequendo eius lumina, non incedendo per viam ab eo demonstratam, et sic percurre alios eius titulos, cum melius illum noscas quam multi alii saeculares, et cum sis servus et domesticus eius.

Quinto. Offer ei aliquod donum vel aliqua, uti solet fieri hospitibus magnis, maxime si visitent Domini, suum servum et mancipium.

Offerre autem potes haec:

1-mo. Vota tua.

2-do. Voluntatem nunquam peccandi mortaliter.

3-tio. Voluntatem nunquam peccandi deliberate.

4-to. Nunquam peccandi indeliberate, saepe.

5-to. Nunquam gravia peccata venialia committendi, uti sunt detractiones.

6-to. Nunquam in operibus Dei cultus, peccandi etiam indeliberate.

7-mo. Nunquam contra castitatem, etiam mente peccandi venialiter.

8-vo. Semper eligendi quod perfectius est.

9-no. Inter aeque perfecta vel dubia, eligendi id quod est magis conforme eius vitae humiliatae, et contemptae.

10-mo. Semper proficiendi in virtute.

11-mo. Nunquam detrectandi rem a superiore iniunctam, nisi ea (quod nunquam erit) sit peccatum, et plane physice sit impossibile ut eam exequaris.

12-mo. Conversandi semper cum magis spiritualibus, etiamsi ob id deberes pati a nonsuperioribus ipsam mortem.

13-tio. Corrigendi aequales, dum violant regulas in praesentia tua, si speres inde fructum, et id suaviter et quasi ridendo, non impetuose faciendo.

14-to. Ob humanos respectus nil mali faciendi, nil boni omittendi.

15-to. De rebus ore religioso dignis semper loquendi.

16-to. De nulla iniuria querelas instituendi.

17-mo. Bene interpretandi aliena dicta, et facta, et intentiones.

18-vo. Omnia faciendi, quae aequalis vel inferior te, a te expetierit, quae possis facere sine offensa Dei et superiorum.

19-mo. Nunquam eligendi aut procurandi ullum locum, officium, gradum, occupationem, sed instar iumenti, id acceptandi, vel non habendi, quod superior iniunxerit, vel non concesserit, nisi aliud facere clara et certa necessitas coëgerit.

20-mo. Amandi semper adversarios vel inimicos, iisque benefaciendi.

Sexto. Adiungendo te pastoribus, tanquam mendicus pete:

1-mo. Remissionem peccatorum quoad culpam.

2-do. Remissionem peccatorum quoad poenam

3-tio. Vitae sanctitatem.

4-to. Perpetuum progressum in virtutibus et in sanctitate.

5-to. Gratiam alios faciendi meliores, per tuam conversationem, per tua colloquia (sunt hae res distinctae), per tuas preces, et aliis modis Deo notis et solitis: uti est, ipsa praesentia et habitatio in aliquo loco, quia Deus multa mala avertit, multa bona confert, et domiciliis et personis, solo intuitu, quod ibi maneant aliqui sui dilecti amici.

6-to. Alias necessitates tuas personales commenda, quae sunt diversae, uti sunt diversae personae.

7-mo. Pro S. Ecclesia pete: 1-mo. Ut minuatur in ea numerus peccatorum. 2-do. Ut convertantur quam plurimi infideles, Iudaei, haeretici, schismatici. 3-tio. Ut multiplicentur magni Sancti. 4-to. Ut pastores Ecclesiae, quam plurimos trahant ad Dei timorem et amorem, verbo et exemplo.

8-vo. Pro religiosis Ordinibus, et tuo Ordine pete: 1-mo. Ut maneant in primitivo spiritu. 2-do. Ut semper proficiant in virtute. 3-tio. Ut det eis Deus temporalia subsidia, ad victum et vestitum sufficientia. 4-to. Ut eos contra adversarios tueatur. 5-to. Ut faciat, idoneas personas ad illos intrare, et non permittat ingredi, qui sint futuri scandalosi et non perseveraturi. 6-to. Ut eorum benefactoribus ample benedicat in hac vita et in futura.

9-no. Pro principibus saecularibus: 1-mo. Ut colant et venerentur S. Ecclesiam, et tueantur. 2-do. Ut inter se sint concordes. 3-tio. Ut subditos regant sicut filios Dei, non iniuste, non despotice, sed favorabiliter. 4-to. Ut habeant felicem succes-

sum in negotiis iustis, ad sui regni incolumitatem et propagationem spectantibus. 5-to. Ut sic transeant per bona temporalia, ut non amittant aeterna.

10-mo. Pro mortuis: 1-mo. Ex purgatorio liberationem aliquorum faciendam in hoc primo ingressu Domini Iesu in mundum. 2-do. Quia aliqui iusto iudicio Dei debent diutius manere,—ut saltem poenae illorum allevientur, ut agnoscant Christi Nativitatem annue celebrari, et fructum eius tanquam Salutaris Dei et Agni tollentis peccata mundi, etiam hac ratione percipiant.

Septimo. Age gratias Patri aeterno pro Christo nato, et pro tot beneficiis inde ortis, etc.

Octavo. Age gratias Spiritui Sancto, quod cooperatus sit huic rei: *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi.*

Nono. Age gratias Verbo, quod dignatum sit unire sibi hypostatice Christi Humanitatem, et eius corpusculum in instanti formare totum, et nasci salva virginitate Mariae.

Decimo. Gratias age Sanctissimae Trinitati, quod Sanctissimae Humanitati concesserit claram visionem beatificam ipsius, ab instanti conceptionis, et meritorum plenitudinem (in qua non crevit) in beneficium multiplex generis humani.

Undecimo. Gratias age B. Virgini, quod Christum pepererit, et se disposuerit sancte ad hanc Nativitatem.

Duodecimo. Gratias age S. Iosepho, quod Christo nato servierit, et postea.

Decimo tertio. Gratias age illis Angelis qui cantarunt *Gloria in excelsis*, etc. et duxerunt pastores ad praesepe Christi.

Decimo quarto. Age gratias illis pastoribus qui Christum adorarunt primi.

Decimo quinto. Cogita quales actus Puer de Beth-«lehem» elicuerit in praesepio erga Deum Patrem, erga Spiritum Sanctum, erga Mariam, et Ioseph, et Pastores, et Angelos qui tunc cantabant, et ex omnibus proficere stude.

Decimo sexto. Offer SS. Trinitati Puellum Iesum, pro tuis peccatis, pro beneficiis, pro necessitatibus tuis et aliorum, vivorum ac mortuorum.

Decimo septimo. Compatere Christo Domino considerando eius sanctissima membra, praesertim manus et pedes, qui suo tempore erunt clavis perforandi tui causa, et totum corpus flagris lacerandum, et caput spinea corona pungendum. Sic B. V. Maria revelavit S. Birgittae se fecisse. «Licet, inquit, «ex divina inspiratione scirem Filium meum passu-«rum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gla-«dium pertransiturum animam meam, et Filium «meum positum in signum cui contradicetur, gra-«vius perforabat cor meum dolor iste, qui usque «dum assumpta fui corpore et anima in coelum, «nunquam defuit a corde meo, licet ex consolatione «Spiritus Dei temperabatur... Et quoties aspiciebam «Filium meum, quoties involvebam eum pannis, quo-«ties videbam eius manus et pedes, toties animus «meus quasi novo dolore absorptus est, quia cogi-«tabam quomodo crucifigeretur» [1]).

---

[1]) Revel. l. VI. c. 57 (pag. 524 G J).

Decimo octavo. Adora et osculare in spiritu, stabulum et praesepe in quo collocatus fuit Christus, et pannos illos sive lintea quibus Dominus Iesus parvulus fuit involutus, et foenum illud aut paleas supra quas iacuit; demulce in spiritu illum bosculum et asellum, qui suo modo famulabantur Domino tuo parvulo. Hoc olim docuit S. Augustinus: «Veneremur Christum in praesepi, qui quadrifa-«riam mundum replevit in fide. Adoremus pannos «infantiae, ex quibus facta sunt emplastra naturae. «Honorate pastores, qui primi, ab Angelo mysterium «didicerunt».

CAPUT XXI.

De Devotionibus adhibendis Tempore Bacchanaliorum.

Devotiones quae possunt fieri et solent ab animabus Deum amantibus, diebus Bacchanaliorum, et aliis in quibus homines mundani solito magis solent offendere Deum:

1-mo. Abstinere tunc ab aliquo peculiari peccato in quod quis solet saepius labi.

2-do. Augere tempus orationis, saltem mediam horam addere.

3-tio. Legere diutius solito, saltem per unam horam, librum aliquem spiritualem, non curiosum, sed excitativum piorum affectuum erga Deum, uti sunt: Confessiones S. Augustini, Thomae de Kempis De Imitatione Christi, vitae Sanctorum, et similes.

4-to. Nova aliqua poenitentia carnem affligere, vel antiqua longiore.

5-to. Visitare frequentius quotidie SS. Eucharistiam, et post peractas solitas devotiones, excitare in nobis affectum compassionis magis erga Deum his diebus, eo modo quo solent amici, solatii causa invisere alterum amicum, ex amore erga illum; et aliquam lacrimulam spargere, pro peccatis huius temporis, maxime illarum personarum, quae vel ratione sui status, vel ratione beneficiorum maiorum a Deo perceptorum, ceteris magis deberent abstinere ab offendendo Deo.

6-to. Qualibet hora, saltem breviter sed cum magno affectu excitare affectum doloris, de peccatis huius temporis. Quod fieri potest etiam ambulando per domum, comedendo, etc.

7-mo. Saltem ter in die profundissima genuflexione, cum magno affectu adorare Divinam Maiestatem versus quatuor partes mundi, in quibus tunc Deus magis offenditur, desiderando quodammodo compensare hac amorosa adoratione peccata, quae tunc in illis partibus fiunt, et dolendo de illis, et petendo remissionem eorum ac conversionem peccatorum, et ad id obtinendum offerre sanguinem et merita Christi Iesu, quod vehementer Deo placet, et peccatoribus prodest. Id enim faciendo B. M. Magdalena de Pazzis [1]) multis peccatoribus conversionem impetravit.

---

[1]) «C. 101. vitae»; et part. I. c. 104. in Vita, auctore *Leonardo Venturio*, Luccae 1716.

8-vo. Opera bona ordinaria facere his diebus perfectius, diligentius et ferventius, praesertim ea quae spectant ad immediatum cultum Dei. Cum enim his temporibus mundani homines et servi diaboli sint diligentiores et ferventiores in offendendo Deo, aequum est, ut animae Deum amantes, saltem eadem proportione sint diligentiores et ferventiores in bene operando et colendo Deo [1]).

9-no. Adiungere aliquam extraordinariam Communionem ad placandum Deum offensum, et ad eum magis colendum.

10-mo. Cum his diebus etiam magis offendatur Deus excessu in cibo et potu, — mortificare gulam magis solito his diebus, sive in quantitate sive in qualitate.

11-mo. Cum sermonibus impuris his diebus magis offendatur Deus, saltem per aliquam particulam temporis, data opera, conventione facta cum aliquo bono amico, loqui de rebus mere divinis, ad dandum gustum et consolationem Magno Deo.

12-mo. Cum hoc tempore magis quam antea homines otio culpabili indulgeant, dare operam, ut praeter honestam et religiosam recreationem (quae culpa vacat), tempus otiose et inutiliter non transigatur, quin potius aliqua pars temporis tribuatur extra recreationem alicui seriae et non recreativae, sed ex alio capite utili occupationi.

---

[1]) Qua de re vide infra c. XXXI. doctrinas divinitus traditas S. Gertrudi pro diebus Bacchanaliorum, et eius tunc vivendi modum. (Nota auct.).

13-tio. Qui habent aliqua vota, his diebus illa renovent, tum propter illa motiva quae recensui capite octavo, tum quia D. Iesus ante Dominicam Quinquagesimae elegit feriam quintam, (quam Itali vocant: diem Iovis pinguem) pro desponsanda sibi, modo admirabili S. Catharina Senense, pretiosissima gemma sanctissimi Ordinis Praedicatorum, quam nostra Societas, praesertim in Italia colit peculiari studio, tanquam eam, quae in vita, moribus et occupationibus suis, processit semper eo modo, quo Societatis nostrae institutum nobis praescribit esse procedendum.

Claudam hoc caput modo quo Bacchanalia peregerit Beatus [1]) Henricus Suso Ordinis Praedicatorum. «Nam Sabbato ante Dominicam Septuage-«simae, quo Alleluia intermittitur, et homines mun-«dani plus solito ob imminentia Bacchanalia inci-«piunt esse amentiae dediti, ipse in suo corde coe-«lestia sibi Bacchanalia coepit instruere in hunc «modum: Cogitabat primum momentaneam ac per-«nicialem carnalium Bacchanalium voluptatem, atque «ut plerique pro brevi delectatione diuturnis impli-«centur calamitatibus et miseriis: orabatque psal-«mum L. *Miserere mei Deus* etc. in honorem prae-«potentis Dei pro cunctis peccatis, iniuriis et con-

[1]) Sic enim appellatus est a magnis scriptoribus: *Ant. Senense,* in Chron. Praedicat. ad annum 1340, *Leandro Alberto,* De viris illustr. Ord. Praed. l. V. *Ioan. Mich. Pio,* De viris illustr. Ord. Praedic. l. II. c. 46. *Abrah. Bzovio,* in Eccles. Annal. tom. XIV. (Nota auct); et in Boll. t. III. 266. (N. edit.).

«tumeliis, quae illo petulantissimo tempore ei infer-
«rentur. Haec autem, Bacchanalia rusticorum appel-
«labat, ut qui nihil melius noverint. Secundo, prae-
«ludia illa coelestis vitae meditabatur, uti Deus cum
«amicis suis in hoc etiam dum mortali corpore, per
consolationes divinas quasi ludat: moxque quidquid
ipse eiusmodi expertus esset, multa cum gratiarum
«actione et laude commemorans, in Deo ac Domino
«suo delectabatur.

Eodem conversionis suae tempore spiritale
«quoddam carnisprivium illi divinitus praestitum
«fuit, quod eiusmodi erat: In ipsis Bacchanalibus,
ante Completorium, in hypocaustum calidum sese
«receperat, quod se calefaceret; admodum enim fri-
gore et fame laborabat: sed longe infestior illi
sitis erat, quam tum patiebatur. Cumque cerneret
alios vesci carnibus et potare vinum, se interim
«fame et siti confecto, intus se moneri sentiens,
«foras mox abiit, miseransque se ipsum ex alto
«corde traxit suspiria. Eadem vero nocte in visione
«esse sibi videbatur in valetudinario quodam, audi-
«vitque foris coelestem concini cantilenam, tanta
«vocis suavitate, ut nulla possit cithara eam aequi-
«parare melodiam: eratque vox tanquam pueri scho-
«lastici annorum duodecim. Igitur oblitus idem
«Sapientiae Minister cibi ac potus, melodiam hanc
«arrectis hauriebat auribus, dicens magno cordis
«aestu: «Ecquis cantat foris? equidem in terris nun-
««quam melos eiusmodi percipi». Respondit illi
««eximia forma adolescens, qui tum forte aderat:
««Noveris melodem hunc puerum tibi modulari, te-

«que hoc cantandi officio spectare». Ait Minister: «O si mei meminerit Deus! Oro te, coelice adolescens, iube illum amplius canere». Rursus ergo «cantare coepit altissimo vocis sono, absolvitque «tres integras, plane coelestes cantiones. Quibus finitis, puer ille, ut ipsi videbatur, per aëra accessit «ad domicilii illius ubi erat Minister, fenestras, «porrexitque ei ramusculum rubentibus admodum «confertum granis similitudine fragorum. Tulit autem «adolescens ante dictus ramusculum e manibus pueri, «laetusque eum obtulit Ministro cum his verbis: «Age mi frater et consodalis, cape rubros hos fructus, a tui amantissimo Domino, hoc ipso speciosissimo adolescentulo Regis aeterni Filio, quem «hactenus cantantem audisti, tibi dono datos. O «quantopere is te amat»! His auditis, frater ille «prae gaudio, rubore vultus infusus, excepit hilariter sportellam cum fructibus, aitque: «O me felicem, cui tam optatum contingit munus a praeclaro «divinoque hoc adolescentulo, quod me sane non «potest non perpetua animi exultatione afficere». «Versusque ad adolescentem reliquosque beatos Spiritus illic praesentes: «Amici, inquit carissimi, «aequumne est, gratiosum hunc et coelestem iuvenculum a me impense amari? Merito profecto mihi «diligendus est: atque si mihi gratissima illius esset «perspecta voluntas, eam modis omnibus exequerer». Convertitque se ad memoratum adolescentem «et ait: «Dic mihi carissime, rectene tibi sentire «videor»? Subridens ille suaviter: «Plane, inquit, «recte sentis, ac iure illum amare debebis, qui te

«prae multis aliis benignius spectat et amat. Quam-«obrem ingenti illum fac amore prosequaris: adeo-«que certum habeas, etiam prae multis aliis duriora «te deinceps perpeti oportere: simulque praepares «te». Ait ille: «Faciam id libentissime: precorque «ut mihi illius visendi copiam obtineas, quo gra-«tias illi agam pro ipsius praeclaro munere». Perge, inquit adolescens, ad fenestram et prospice». Aperuit ille fenestram, et ecce vidit illic puerum scho-lasticum, tantae venustatis, ut non sit illi unquam «quisquam visus similis: cumque vellet per fene-«stram ad illum egredi, blande illi se inclinans, sua-«viter illi benedixit, et e vestigio ab eius evanuit «oculis. Sicque visio illa finita est. Redditus sibi «ipsi, gratias egit Deo pro eiusmodi divinis Bac-«chanalibus ipsi praestitis» [1]).

CAPUT XXII.

De piis Affectibus in Quadragesima, praesertim ultimis diebus Hebdomadae Sanctae, exercendis.

Cum in Quadragesima et hebdomada Sancta magis recolatur memoria Passionis et mortis Christi Domini, nostri causa susceptae, aequum est, hoc potissimum tempore, grati animi demonstrationibus, tam magnum et admirandum Dei beneficium celebrare, iis modis quos attuli capite VI. huius Opusculi, quos alio modo hic iterabo:

---

[1]) Vitae c. XIII. totum (Boll. t. III. 273).

Primus autem *modus* esse potest, si non assidua, frequentissima tamen Christi passionis et mortis, eaque affectuosa recordatio: revocando in memoriam singula quaeque, quae Christus Dominus nostri causa in vitae fine passus est. Hoc Beatissima Virgo Maria docuit S. Birgittam, tradens ei modum quo spiritualiter vestiri deberet. «Monile, inquit, est «consideratio passionis Christi. Hoc sit iugiter fixum «in pectore tuo. Quomodo derisus et flagellatus, «quomodo sanguinolentus et omnibus nervis con«fossus, vivus stabat in cruce. Quomodo in morte «ex passione doloris acutissimi, totum corpus con«tremuit. Quomodo in manus Patris commendabat «Spiritum» [1]) etc. Et Christus Dominus inter laudes bonorum Christianorum posuit, et dixit eidem Sanctae, «quod illorum cogitatio, tota sit ad pas«sionem eius» [2]).

Quantopere autem placeat Christo Domino, recordatio pia Passionis illius, declaravit S. Gertrudi Virgini ordinis S. Benedicti, «quae dum qua«dam vice, quasi deficientibus viribus meritorum, «in via, qua in spiritu ad Dominum properabat, «decumberet, Dominus benignissima pietate sua accli«natus, ad eam dixit: «Ex iure legis matrimonialis ««decet, ut ubicumque Regina decubuerit, Rex ad ««eam visendam properet». Per quae verba intellexit, «quod Dominus ex pietate sua, videtur sibi tantum «teneri animae quae passionis suae memoriam cum

---

[1]) Revel. l. I. c. 7 (pag. 12 H). [2]) Ibid. l. II. c. 19 ante medium (pag. 133 A).

«devotione pro modulo frequentat, quantum Rex «tenetur Reginae, lege matrimoniali. Nam cognovit «se illam dignantissimam Domini visitationem pro«inde meruisse, quod in feria sexta studebat reco«lere Dominicam passionem, et intellexit, quod qui«cumque tepesceret in devotione, semper tamen be«nignius respiceretur a Domino, si passionis memo«riam non omitteret celebrare» [1]).

Et talis etiam simplex recordatio Passionis Dominicae, iudicio S. Bernardi, est quaedam spiritualis communio: «Beneficia passionis et redemptionis «ipsius recolere, ad fruendum suaviter in conscien«tia, et recondendum fideliter in memoria, est spi«ritualiter manducare corpus Christi, et bibere eius «sanguinem, in memoriam eius: qui omnibus in se «credentibus praecepit dicens: *Hoc facite in meam «commemorationem*» [2]) (Luc. XXII. 19).

Quae spiritualis communio, non erit sine magno fructu. Nam ut Christus Dominus dixit in quodam raptu B. M. Magdalenae Pazziae: «Dico tibi, si «qualibet feria sexta attendes horae qua exspiravi «in cruce, continuo recipies particulares gratias a «Spiritu, quem reddidi Patri aeterno. Et quamvis «illum non senties, nihilominus semper requiescet «in te» [3]). Ideo merito S. Theodorus Studita suadebat: «Et si Pascha praeteriit, nequaquam memo-

---

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 39 (pag. 279). [2]) Epist. ad fratr. de monte Dei l. I. c. X. n. 30 (P. l. CLXXXIV. 327 A). [3]) «3. par. vit. §. 1. die ; et apud *L. Venturium,* par. III. c. IV. 1. giorno (vol. II. p. 100).

«ria eius praetereat, sed salutifera vulnera, crucem, «sepulturam, perpetuo sub oculos revocemus» [1]).

Secundus modus gratitudinem demonstrandi Christo Domino pro nobis passo, ob eius passionem et mortem, est, excitare in se affectus doloris, ob eam, a Domino Iesu pro nobis modis toleratam indignissimis.

Hoc erat exercitium Beatissimae Virginis Mariae. Narratur in gestis S. Gertrudis quoddam colloquium Christi Domini cum B. V. Maria, tale: «Dic mihi «Domina Mater, quid tibi suavius fuit in terris, «inter illa quae tibi exhibui a corpore exeunti, «quia ista rogat me, ut matri suae (scilicet S. Ger«trudis, ultimo morbo lethali laboranti) similiter fa«ciam». Tunc benignissima et misericordissima Virgo respondit benigne: «In hoc Fili mi magis delecta«bar, quod tam securum refugium in ulnas tuas «habui». Ad hoc Dominus respondit: «Hoc Mater «mea, pro eo accepisti, quod toties dolorosis suspi«riis passionem meam in terris recoluisti» [2]). Merito ergo S. Franciscus, teste S. Bonaventura, «ne«mora replebat gemitibus, et deplorabat alta voce, «quasi coram se positam, Dominicam passionem» [3]). Nam ut revelatum fuit ab Angelis B. Ioannae de Cruce, «Divina Maiestas cum tanto affectu amoris «percipit planctum ob passionem Christi Domini, «et illum planctum, adeo esse ei gratum sacrificium.

---

[1]) Catech. ad discip., ser. I initio (P. gr. XCIX 509 A). [2]) Insin. div. piet. l. V. c. 2 (pag. 677—8). [3]) Vitae c. X. n. 143. (Boll. t. L. 769).

ac si spargeretur sanguis, et afflictiones magnae «pro eo tolerarentur» [1]).

Idcirco B. Petrus Faber existimabat (ut scribit in eius vita Orlandinus), sicut Christo vias passionis ad gloriam, ita Mariae compassionem inprimis fuisse, qua Filio patienti indoluit» [2]).

Tertius modus est, gratias agere pro passionis et mortis Christi Domini beneficio: tum propter acerbissimos dolores, quos tunc Christus Dominus pro nobis sustinuit, tum, quia morte sua complevit valorem omnium meritorum suorum antecedentium et opus nostrae redemptionis; quod sub conditione mortis Christi Domini, ex pacto inito inter Deum Patrem et Verbum incarnatum, perficiendum erat, ut docent theologi et SS. Patres, et praedixerat Isaias: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Ideo dispertiam ei plurimos* (electos) *et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam* [3]).

Quartus modus est, offerre saepissime Patri aeterno et ipsi Christo Domino, passionem et mortem eius, et sanguinem pro nobis effusum, tum ad glorificandum et recreandum eum hac omnium prestantissima oblatione, tum pro peccatis nostris, petendo et exigendo quodammodo, per hanc oblationem, remissionem peccatorum commissorum, praeservationem a futuris, conversionem scelestorum, a Deo

[1]) «C. 14. vit.» [2]) Lib. II. c. 5 non procul ab init. [3]) Is. LIII. 10.

per malam fidem et scelera aversorum, et liberationem a poenis temporalibus quae debentur peccatis, tum pro beneficiis acceptis communibus et personalibus, tum pro impetratione auxiliorum divinorum, ad subveniendum tam multis necessitatibus spiritualibus et temporalibus, vivorum ac defunctorum; ad haec enim omnia valet talis oblatio. Ideo ad eam faciendam B. M. Magdalena Pazzia ab ipso Deo saepe fuit excitata, dum coram illa Deus conquereretur, quod pauci essent in mundo, qui conarentur placare iram eius contra peccatores. Ideoque saepissime in diei, illa offerebat Christi sanguinem pro variis statibus peccatorum: et ordinarie quotidie quinquagies illum offerebat, uti et pro defunctis. Quod cum tanto ardore animi faciebat, ut saepe ei Deus ostenderit, multarum animarum, ab ea, hac ratione impetratam fuisse conversionem, et multarum animarum liberationem e purgatorio, uti scribitur in eius vita Romae impressa. Porro in altera vita eiusdem, antea Florentiae impressa, et edita a confessario eius, tunc vivente, hoc edocta divinitus in quodam raptu, exclamans dixit: «Quo«tiescumque creatura offert hunc sanguinem quo est «redempta aeterno Patri, tale donum offert, ut quasi «non habeat Deus pretium, quo illud solvat. Hoc «donum est tam magnum, ut Pater aeternus, se re«putet obligatum creaturae suae» [1]).

Hoc multo antea docuerat Christus Dominus S. Gertrudem: «Quicumque (quantumlibet gravi pec-

[1]) «C. 101. 3. p. §. 5. nox. pag. 127».

‹catorum pondere se senserit depressum) respirare «poterit in spem veniae, offerendo Deo Patri meam ‹innocentissimam passionem et mortem. Et credat, ‹se per hoc, saluberrimum fructum indulgentiae ‹obtinere: quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quam devota me‹moria meae passionis, cum vera poenitentia et fide «recta» [1]).

Quintus modus est, devote, mente et oculis quandoque aspicere imaginem Christi crucifixi, et diu immorari in tali affectuoso mentis et oculorum aspectu. Sic Christus Dominus instruxit hac de re S. Gertrudem: ‹Cum homo dirigit se ad crucifixum, ‹aestimet in corde suo Dominum Iesum blanda ‹voce dicentem: Ecce quomodo causa tui amoris, ««pendi in cruce, nudus et despectus, et toto cor‹«pore vulneratus, nec non per singula membra di‹«stentus. Et iam tali dulcore charitatis afficitur cor ‹‹meum erga te, quod, si saluti tuae expediret, et ‹‹aliter salvari non posses, iam pro te solo vellem ««omnia tolerare, quae unquam aestimare posses, me ««tolerasse pro toto mundo»» [2]).

Sextus modus est, meditari omnia mysteria passionis et mortis Christi, per pias et longiusculas considerationes (prout sunt diversae a simplici recordatione passionis Dominicae, de qua supra in primo modo actum est). Sane B. Albertus Magnus citatus et receptus a P. Ludovico de Ponte, asserit

---

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 25 (pag. 505 — 6).
[2]) Ibid. l. III. c. 41 (pag. 282 — 3).

simplicem Christi passionis memoriam et meditationem, plus utilitatis homini afferre, quam si anno integro in pane et aqua ieiunaret, ac flagellis se quotidie usque ad sanguinem caederet, et psalterium totum quotidie recitaret. Cur hoc? Respondet P. Ludovicus de Ponte, «quia praedicta opera, etsi «bona et valde utilia, si nude exerceantur, non «habent tantam vim ad purificandum cor a suis «vitiis, illudque veritatibus ac virtutibus illustran«dum, et inflammatis Divini amoris affectibus perfi«ciendum,—atque attenta et profunda Christi Domini «nostri passionis meditatio, quae omnia haec efficit, «additque etiam spiritum et vitam poenitentiis ipsis «et operibus externis, promovendo efficaciter ad «ferventem eorundem exercitationem» [1]). Ideo Christus Dominus suam dilectam Magdalenam, dum se poenitentiae causa in eremum recepisset, et scire vellet, qua in re se occupare deberet, docuit per Archangelum Michaëlem, cum cruce pulcherrima in manu, ad portam antri eius posita, missum, ut semper ante oculos haberet, semperque revolveret Christi passionem: in quo exercitio per 32 annos mansit, ut scribit Sylvester in «Rosa aurea», et ait S. M. Magdalenam id cuidam Dominicano viro sancto revelasse. Et ita cum S. Gertrudis quadam vice «circa passionem Dominicam mentem gereret «occupatam, intellexit, quod quando aliquis rumi«nat orationes et lectiones de Dominica passione, «in infinitum hoc maioris virtutis esse, quam de

[1]) Medit. p. IV. introd., ultima verba ante §. 1.

«ceteris exercitiis [1]). Merito ergo scripsit, S. Augustinus: «Quod me plus omnibus accendit, urget, «movet, et permovet ad te diligendum, super omnia, «inquam, amabilem te mihi reddit o bone Iesu, «ignominiosissima et amara mors est, quam sustinuisti, opus redemptionis nostrae. Hoc solum, vel «hoc omnino totam vitam nostram, totum laborem «nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deni«que nostrum, facile sibi vendicat, totum hoc in«quam est, quod devotionem nostram, et excitat «melius, et quaerit suavius, et auget amplius». Imo et nostra curat vitia: «Quid tam efficax, inquit S. Bernardus, ad curanda conscientiae vulnera, nec «non ad purgandam mentis aciem, quam Christi «vulnerum sedula meditatio ? [2]) Nam ut ait S. Bonaventura: «Qui se intente et devote in Sanctissima «vita, et passione Domini exercet, omnia utilia et «necessaria sibi, abundanter ibi invenit, nec opus «est, ut extra Iesum aliquid quaerat» [3]).

Porro in meditatione mysteriorum passionis et mortis Christi, sex affectus praecipui eliciendi sunt: 1-mo. Compassionis erga Christum Dominum tam crudeliter pro te tractatum. 2-do. Doloris de peccatis tuis et alienis, pro quibus tanta passus est. 3-tio et 4-to. Amoris et gratiarum actionis erga tantum Benefactorem, qui sanguinem et vitam pro te dedit, ut te ingratum et indignum eriperet e

---

[1]) Insin. div. piet. l. III. c. 41 (pag. 283). [2]) In Cant. ser. LXII. n. 7 initio (P. l. CLXXXIII. 179 B). [3]) Coll. VII.

potestate et servitute diaboli, liberaret a peccatis, et ab inferno, et tot donis gratiae et gloriae ditaret. 5-to. Spei, quia si pro te talia passus est, antequam natus esses, ut te faceret regni sui et aliorum bonorum haeredem, non damnabit te (nisi volueris tui damnationem peccando lethaliter procurare), ne privetur et frustretur tam magno pretio sanguinis et vitae suae, pro tua salute et sanctificatione dato. 6-to. Imitationis, de quo iam dicendum est.

Septimus modus est, imitari heroicas Christi virtutes, quae maxime resplenduerunt in decursu passionis Christi, facto initio ab oratione eius in horto. Porro ideam decerpendi imitationis fructus ex Christi passione, docuit ipse Christus Dominus S. Gertrudem hoc modo: «Cum enim dixisset ad Dominum: Eia nunc Domine, doce me qualiter possim tibi laudabiliter Passionem tuam venerandam percolere», respondit Dominus: «Ut scilicet frequentius mente revolvas, cum gratitudine et compassione anxietatem illam, qua ego Creator tuus et Dominus, in agonia constitutus prolixius oravi, et prae nimia vehementia anxietatis, desiderii, et amoris, sanguineo sudore faciem terrae irrigavi; et omnia opera tua, omniaque circa te agenda, mihi commendes in unione subiectionis illius, qua ego eadem oratione dixi ad Patrem: *Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.* Et sic omnia, prospera et adversa suscipias in illo amore, quo ego tibi omnia illa mitto ad salutem. Prospera ergo suscipias cum gratitudine, in unione illius amoris, quo ego Ama-

tor tuus, fragilitati tuae condescendes, ea tibi procuro, ut per ea discas aeternam prosperitatem cogitando sperare. Adversa vero suscipias in unione illius amoris, quo, ex affectu paternae fidelitatis, ea tibi immito ad praeparandum tibi pro his «aeternum bonum» [1]).

Quod si quaeras, quid imitari deberes potissimum in passione et morte Christi Domini, spectans ad tuum religiosum statum et conditionem?

Respondeo primo, placituram magis Christo Domino imitationem eius virtutum in passione demonstratarum, ceteris paribus, quam alios affectus supra commemoratos. Quia imitatio Christi virtutum in passione exhibitarum est immediatus finis eius passionis; supradicti autem affectus, sunt media ad hunc finem: finis autem est perfectior mediis ad finem, ut theologi et philosophi docent.

Porro finem Christi passionis et mortis, Spiritus Sanctus per Apostolum Paulum sic expressit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... et exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* [2]). Et alio in loco: *Vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis, nunc reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso* [3]). Nunquam autem sancti

[1]) Ins. div. piet. l. IV. c. 22 (pag. 488 — 9). [2]) Ephes. V. 25, 27. [3]) Coloss. I. 21, 22.

crimus et irreprehensibiles, nisi virtutes eius imitemur, quae maxime resplenduerunt in passione illius. Virtutes enim faciunt hominem irreprehensibilem et sanctum.

Respondeo secundo, has potissimum quatuordecim virtutes in eius passione demonstratas, nos debere imitari, et hoc tempore serio considerare quomodo eas exercere, et factis (vel saltem efficaci desiderio, si occasio deest) exprimere debemus. In singulis autem virtutibus quas considerabis, tria fac: 1-mo. Considera cur debeas Christum in illis imitari. 2-do. Post excitatam voluntatem ad eum imitandum, in singulis, offer Patri aeterno et Christo, hanc voluntatem, in unione passionis eius et virtutum ac meritorum illius. 3-tio. Pete gratiam duplicem: exequendi hanc voluntatem, et habendi occasionem bonam illius:

Primo. Ne in occasionibus offendendi Deum magnis et periculosis, eum offendamus. Habuit Christus Dominus maximas occasiones impatientiae, irae, odii, dum tam multa iniuste pateretur ab inimicis suis Iudaeis et Ethnicis, tamen nullum tale aliudve peccatum admisit, imo ne quidem peccare potuit, ut tu idem facias.

Secundo. Perfectissimam habuit resignationem et conformitatem cum divina voluntate, praevidendo passionem suam in horto, et tam vivaciter apprehendendo, ut sudaverit cruente. Cum autem nulla unquam possit tibi contingere calamitas aequalis passioni et morti Christi, debes te resolvere, ut eius exemplo, omnia (nulla re excepta) patiaris,

quaecumque ulla pura creatura pati potest, et paratus sis ad omnia toleranda, ac dicas: *Non mea, sed tua voluntas fiat:* etiamsi deberes perdere omnia quae habes, et non promoveri ad ullam rem speciosam, et pati omnes possibiles iniurias. Et hanc resolutam voluntatem offer Patri aeterno, in unione passionis Christi, tanquam fructum eius passionis: siquidem omnes actus supernaturales nostri sunt fructus eius meritorum, et passionis et mortis.

Tertio. Noli subterfugere nec declinare ullam molestiam et crucem, etiam praevisam: sicut ille non effugit milites se ad necem quaerentes, cum facile posset se abscondere in illo horto, et aliis modis supernaturalibus evadere.

Quarto. Quo te sentis magis corpore ac animo afflictum, eo libentius et diutius vaces orationi, sicut Christus *factus in horto in agonia, prolixius oravit.*

Quinto. Omnes adversarios tuos, si quos habebis, blande alloquere, etsi vitae tuae insidiarentur, uti Christus allocutus est Iudam, vocans eum, non ironice, sed ex benevolo corde, amicum suum. Magni enim amici nostri sunt, nostri inimici, quia detrahendo nobis, accusando nos, increpando nos, struendo insidias, faciunt nobis rectam ad coelum scalam ex suis linguis et pennis, quibus nos sinistre coram aliis describunt.

Sexto. Sine resistentia ulla migra ad illas civitates, vel oppida, vel pagos, vel domicilia, vel cubicula, quo a tuis superioribus mitteris, sicut Christus

Dominus permisit se trahi et duci a lictoribus ad domum Annae et Caiphae, et Pilati, et Herodis, et ad patibulum. Nunquam mitteris ad loca tam mala et incommoda, uti erant ista, ad quae, et quidem tanquam latro et noxius, tractus et missus est Dominus tuus.

Septimo. Noli aegre ferre ullas iniustas delationes et accusationes tui, etiam malevolo animo et calumniose institutas contra te, quamvis vitae iacturam ob illas facere deberes, quia Christus Dominus aequo animo eas tui causa tulit.

Octavo. Accusatus iniuste, noli te excusare, nisi superior id exigat a te, et nisi sit accusatio de re, ob quam non purgatam, adires periculum perdendae vocationis seu dimissionis ex ordine.

Nono. Iniquas tui condemnationes, praesertim te inaudito factas a superioribus tuis, aequo animo, et silenti ore ac penna feras, sicut Christus sententiam iniquam mortis tulit.

Decimo. Quasvis poenitentias, etsi illas non mereris, simili modo subeas, quia non te occident, uti occidit Christum sententia contra eum lata. Et aequum est, te adhuc plura pati, quam passus sit Rex, Dux huius sacrae militiae, et Dominus tuus.

Undecimo. Noli aegre ferre et conqueri, si viliores te, ineptiores ad officia, imperfectiores, minus meriti, et prorsus indigni, aut anteponantur tibi, aut melius tractentur domi, et foris, quam tu. Nam Christus non aegre tulit, Barabbae se esse postpositum, et quidem in materia non honorum et graduum, sed in ipsa vita, cuius iacturam fecit: inte-

rim liberato a morte quam merebatur scelesto homicida.

Duodecimo. Confusiones tui publicas ama, siquidem Christus nudus totus in cruce pependit (ut docent Sancti) cum summa confusione, et antea passus est tot ludibria et irrisiones.

Decimo tertio. Ama adversarios tuos, benefac illis, pro illis ora, sicut Christus amavit crucifixores suos, et vestes suas illis donavit, privans se omni vestimento, usque ad indusium.

Decimo quarto. Morere spiritualiter in Christo, his modis qui apparent in cadavere quovis:

1-mo. Noli cogitare de rebus ad te non spectantibus, nec loqui.

2-do. Noli esse sollicitus de te, quoad officia, gradus, habitationis locum, et alia.

3-tio. Noli appetere speciosas occupationes, gradus, loca, personas.

4-to. Sis contentus si te omnes fugiant ut cadaver, si excludaris a conversatione magnorum, uti fit cadaveribus.

5-to. Sinas te instar cadaveris a Superioribus tuis, hoc vel illo loco, aut gradu, aut officio occupari.

6-to. Non videas nec audias alienos defectus ad censurandum illos, sed instar mortui, clausos ad tales censuras habeas sensus.

7-mo. Pro beneficio reputa si tracteris, etiam ab inferioribus sine ullo respectu, quia cadaveri mortuo hac re non fit iniuria, sed id ei fit tan-

quam illi conveniens, et sub terra abscondendo, procul ab hominum conspectu.

Hos et his similes actus saepe itera ante sepulchrum Christi Domini, et offer in gratiarum actionem pro eius passione et morte, sic bene finies Quadragesimam, et habebis laetum Pascha.

CAPUT XXIII.

De aliis piis Considerationibus ante Sepulchrum Domini.

Beata V. Maria dixit B. Birgittae: «In Sepul«chro Filii mei semper cogitatio et cor meum ver«sabatur» [1]).

Considera primo, qualis fuerit Dominus Iesus, qui sepultus in sepulchro ecclesiastico, representatur nobis, in memoriam verae et realis eius sepulturae. Fuit ornatus omnibus possibilibus sibi virtutibus; praesertim his septem: puritate, humilitate, patientia, obedientia, amore proximorum, amore Dei, devotione:

Puritas in eo fuit sextuplex: imaginationis, cogitationum, affectionum, intentionum, sensuum, conversationis. Discurre per singula, in singulis complace tibi, tanquam in monilibus quibusdam, quibus exornata fuit beata illius anima et corpus illius sanctissimum, illudque spiritualiter osculare, his puritatibus in eximio gradu decoratum. Hoc facto,

[1]) Revel. l. II. c. 21 (pag. 137 B).

confer eius imaginationes, cum tuis imaginationibus; cogitationes eius, cum tuis cogitationibus, et sic reliqua quatuor; agnosces magnam disparitatem: ideo humilia te, deplora tuas contrarias qualitates, et veniam pete tuorum peccatorum et defectuum, et propone seriam emendationem, quae ut in te sit, ideo Christus occidi se permisit pro te, et post occisionem hic sepultus est, et gratias age pro relictis sanctae Ecclesiae his puritatis exemplis, et per ea, pro meritis quibus redempti sumus.

Humilitas in eo non fuit necessitatis, ut ait S. Bernardus, sed charitatis. Quia cum esset aequalis Deo in Divinitate, et sine ullo peccato ac imperfectione etiam inculpabili in Humanitate, tanquam infimus Dei servus erga Deum se gessit; ideoque a Prophetis solet appellari *servus* [1]). Hinc in horto Gethsemani (et procul dubio alias quoque quando pernoctabat in oratione Dei) *orans procidit in faciem suam* [2]). Et agnoscens melius quam nos, se esse creaturam Dei ratione animae et corporis, profundissime se humiliabat sub infinita Maiestate Divinitatis in se et in aliis divinis personis existentis. Ex qua cognitione vilitatis suae naturalis quam habuit respectu Dei ut creatura, permisit ab hominibus, tui causa, tam indigne et vilissime tractari tota vita sua. Hinc natus ex paupere Matre, educatus a fabro, exclusus in nativitate ex diversorio, natus in stabulo, fugiens non semel adversarios, erat subditus Mariae et Ioseph, discipulos ex in-

[1]) Zachar. III. 8. [2]) Matth. XXVI. 39.

fima hominum sorte elegit; ut plurimum turbae vili, vix alicui e primariis hominibus carus fuit, et tot modis indigne post ablutos discipulis pedes tractatus ab Ethnicis militibus, et praesidibus, Herode ac Pilato, et Iudaeis omnis status, una cum latronibus, in medio eorum tanquam princeps latronum, et regnum Iudaeorum ambiens, nudus crucifixus est. Complaceas tibi in hac eius multiplici humilitate, osculare corpus eius tot humiliationis actibus decoratum, confer cum tuis superbis, et fac reliqua sicut in priore puncto dictum est, de puritate eius.

Patientia eius, soror humilitatis, fuit eximia et interna, et externa. Interna, sine ullis motibus irae, odii, aversionis, desideriis vindictae erga persecutores suos, cum gustu adversitatum, cum desiderio insatiabili plura et plura semper patiendi, sine ullo taedio; in iniuriis patiebatur ab omni genere hominum, etiam a suis domesticis et consanguineis, qui eum ligare volebant, tanquam *in furorem versum* [1]), id est, stultum factum. Exterior etiam patientia fuit admirabilis, quia nec verbo, nec facto ullo, nec gustu, ullum impatientiae signum ostendit, nec vultus mutatione. Complaceas tibi in hac eius virtute, osculare eum, et confer hanc patientiam internam et externam, cum tuis impatientiis, et fac reliqua ut in primo puncto.

Obedientia fuit Christi summa, erga Deum Patrem in omnibus, cuius nunquam voluntatem transgressus est. *Factus ei obediens usque ad mortem,*

[1]) Mar. III. 4.

mortem autem crucis [1]). Erga Matrem quoque suam, et erga nutritium suum Sanctum Ioseph, et quod magis est, erga eos a quibus in horto captus et ligatus fuit, et ductus ad varia tribunalia, prout volebant; et vestibus (dum flagellandus esset) se spoliavit eorum iussu, denique crucis sententiam iniquam acceptavit, crucem baiulavit, cruci se affigi permisit, et cum latronibus deputatus est. Complaceas tibi in hac eius patientia, osculare corpus hoc, et reliqua fac ut in primo puncto.

Amor proximorum, et amicorum et inimicorum, et indifferentium, fuit in eo summus, proportionatus amori erga Patrem aeternum, siquidem vere amans et perfectus, eodem habitu amat proximum propter Deum, quo ipsum Deum, ut docet S. Thomas [2]), et ante illum S. Augustinus [3]): qui, alio in loco praeclare ait: «Nos ipsos tanto magis diligi«mus, quanto magis diligimus Deum. Ex una igitur «eademque charitate, Deum proximumque diligimus: «sed Deum propter Deum, nos autem et proximum, «propter Deum» [4]). Cum ergo Christus amaverit intensissime et perpetuo Deum, etiam intensissime et perpetuo amavit homines propter sic amatum Deum. Omnes effectus et signa amoris demonstrando, et pertransiens benefaciendo, et tandem animam suam ponendo pro omnibus, etiam pro inimicis et cruci-

---

[1]) Philipp. II. 8. [2]) II.II^{ae} q. XXV. a. 1. ☉. [3]) In Ioan. tract. LXV. n. 2 (P. l. XXXV. 1809). [4]) De Trinit. l. VIII. c. 8 ipse finis (P. l. XLII. 959).

fixoribus suis. Complaceas tibi in hac eius dilectione, et fac reliqua.

Amor Dei in Christo fuit intensissimus, et tanquam erga Patrem suum naturalem a quo fuit genitus ab aeterno, et tanquam erga Patrem temporaneum (ut ita dicam) — quia et in Humanitate assumpta fuit Filius Dei Patris, etsi diverso modo — et tanquam erga suum Creatorem (quod ad animam et corpus), et tanquam erga suum summum benefactorem in gratiae et gloriae donis, quae habuit supra omnes angelicos Spiritus maiora, et supra Matrem suam Sanctissimam. Complaceas tibi, etc.

Devotio Christi fuit summa et ardentissima et infatigabilis, eaque duplex: *I-ma*, illa quam theologi cum S. Thoma docent esse «actum voluntatis prompte «tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famula«tum... seu prompte faciendi ea quae ad Dei ser«vitium pertinent [1]). Qui actus, immediate pertinent «ad virtutem religionis» [ut S. Thomas alibi ait [2])], «mediate ad charitatem, quae est religionis princi«pium, eo quod ad charitatem pertineat immediate, «quod homo tradat seipsum Deo, adhaerendo ei «per quamdam spiritus unionem: sed quod homo «tradat seipsum ad aliqua opera divini cultus, hoc «immediate pertinet ad religionem». Cum autem in Christo fuerit amor Dei summus, etiam devotio haec, ab illo tanquam a principio, per modum actus imperati, sed a virtute religionis eliciti, fuit summa. Unde etiam nescientibus parentibus, duodennis man-

[1]) II.II^ae q. LXXXII. a. 1. ⊙. [2]) Ibid. a. 2. ad 1.

sit Hierosolymis, et Matri Sanctissimae suae, hac de re pie sollicitae dixit: *Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* [1]) Ex hac devotionis plenitudine dixit de se: *Ego quae placita sunt ei facio semper* [2]). Complaceas tibi in hoc, etc.

2-da devotio in Christo fuit, prout a vulgo accipitur, pro orationis frequentia et teneritudine quadam in agendo cum Deo. Haec quoque erat summa, et proportionata amori erga Deum et religioni. Unde fiebat, ut saepe *pernoctaret in oratione Dei* [3]). Hic subsiste, et considera qualis materia fuerit orationis Christi, cum funderet preces ad Deum Patrem: quantus fervor precum illius, qui actus vel affectus voluntatis erga Deum, quam late patens erat Cor illius orantis pro nobis, et nominatim pro te; per scientiam enim visionis, singulos nostrum agnovit ab instanti suae conceptionis, et pro singulis nostrum nominatim oravit Patrem coelestem, destinando nobis singulis singillatim varia dona naturae et gratiae, et (ut sperandum est) etiam praemia gloriae. Complaceas hic et delectaris in tam benigno et benevolentissimo Corde eius erga te, et osculare, et fac reliquos actus ut in primo puncto.

Considera secundo, Christi animae statum, quem habuit dum eius corpus in sepulchro iaceret. Erat enim tunc in limbo Patrum, illis qui erant antea plene purgati ab omni scoria et rubigine peccati, dando: *Primo,* lumen gloriae, et visionem beatificam

[1]) Luc. II. 49. [2]) Ioan. VIII. 29. [3]) Luc. VI. 12.

Secundo, eos sua reali praesentia consolando. *Tertio,* benignissime colloquendo cum illis, et manifestando illis, quae pro earum, dum viveret sanctificatione, aliisque bonis ad eam ordinatis, fecerit et passus sit per triginta tres annos vitae suae, et quantum pretium Patri aeterno dederit ut eos tunc faceret visione beatifica frui SS. Trinitatis, quam in ipso puncto mortis Christi acceperunt, quae erat terminus a quo, descensus realis (et ut ita dicam localis) animae Christi a cruce ad inferos. *Quarto,* adducendo animam boni Latronis ad limbum [siquidem ut constat ex Evangelio, post mortem Christi aliquandiu supervixit [1])], et Sanctis illis Patrum beatorum iam animabus, hanc praedam tartareo lupo in cruce ereptam gloriose ostendendo, tanquam fructum mortis suae, ob quam praevisam, bonus Latro a Deo consecutus est veram contritionem de peccatis suis, cum fide vera in Christum et amore coniunctam, ac confessione eius decoratam. *Quinto,* edocendo eos quantis sceleribus obrutus fuisset ille Latro [ut pie ponderat noster Theophilus Raynaudus [2])], usque adeo, ut in ipsa etiam cruce, per summam barbariem probris et convitiis eum proscinderet, sed postea conversus [ut Sancti Patres [3]) aiunt], socii confixi, in scelere et nequitia

---

[1]) Ioan. XIX. 32, 33. [2]) Metamorph. Latr. in Apost. c. XIII. n. 16 (pag. 598 edit. Lugd. 1634). [3]) S. Chrys. in Epist. ad Rom., hom. XXI. n. 4 paulo ante fin. (P. gr. LX. 607); et in Matth., hom. LXXXVII. n. 2 prope fin. (P. gr. LVIII. 772);

obdurati impietatem reprehenderet, regiaeque potestatis Christi solemnem professionem in Hierosolimitanae urbis ac prope universi theatro ediderit, erectissima spe et flagrantissima charitate erga Christum accensus. *Sexto,* alia quoque bonis illis spiritibus, ut ait S. Petrus [1]) praedicando, usque ad ipsum resurrectionis Dominicae tempus; tamdiu enim fuit in limbo, ut indicavit ipse Christus Dominus [2]) et asserunt sancti Patres [3]). *Septimo,* Spoliando infernum animabus illis sanctis, et educendo eas ex illo.

Considera tertio, omnia membra Christi Domini iacentis in sepulchro: *Primo,* ut erant obiectum gratissimum Deo Patri, tum propter eximiam puritatem quam tota vita habuerunt, tum propter signa obedientiae Patri aeterno exhibitae, in perferendis tot vulneribus a flagellis, spinea corona, detractione et avulsione vestium ante crucifixionem, et clavis, ac lancea post mortem, relictis in eis, et sanguine rubentibus.

Ideo: 1-mo, adora illa propter te tam male tractata. 2-do, gratias age pro iis, quae tui causa passus

---

S. Hier. Epist. LVIII. n. 1 in fine (P. l. XXII. 580); *S. Hilar.* In Matth. c. XXXIII. n. 5 (P. l. IX. 1074); *Orig.* Comment. series, n. 133 (P. gr. XIII. 1781); «Arab. l. 10. Luc.»

[1]) I. Petr. III. 19. [2]) Matth. XII. 40. [3]) *S. Greg. Nyss.* orat de Resurr. I (P. gr. XLVI. 610 D et sq.); *Tertul.* De anima, c. LV (P. l. II. 788 A); *S. Iren.* Contra haeres. l. V. c. XXXI. n. 2 (P. gr. VII. 1209); *S. Thom.* III^{a}. q. LII. a. 4. ☉.

est. 3-tio, offer te illi ad patiendum pro eo similia. 4-to, dole de peccatis, ob quae tam indigne tractatus est. 5-to, pete remissionem peccatorum, pro quibus tantum pretium Patri aeterno obtulit. 6-to, promitte emendationem morum, ne eum deinceps offendas, et offendendo exhibeas novam materiam patiendi pro te: siquidem Apostolus ait a peccatoribus *rursum crucifigi Filium Dei* (per peccata mortalia) *et ostentui haberi* [1]) (per peccata venialia deliberate commissa). *Secundo,* aspice membra illa oculis mentis, considerando, quae fecerunt et passa sunt tota vita sua, incipiendo ab eius incommoda in stabulo nativitate usque ad mortem in cruce, et sex affectus supradictos elice, scilicet: adorationis, gratiarum actionis, oblationis, etc. quibus adde septimum: osculare illa singula, et postea lintea quibus involutum erat reliquum corpus, et sepulchrum in quo iacuit.

Considera quarto, quinque vulnera Christi a clavis et lancea facta: quae singula adora, gratias age pro duobus beneficiis: *Primo,* quod tam acerbum dolorem Christus Dominus pertulerit in quatuor vulneribus manuum et pedum. *Secundo,* quod tam pretiosum sanguinem ex iis effuderit in pretium et redemptionem tui, dole de peccatis, causis illorum vulnerum. Pete per ea remissionem peccatorum tuorum et alienorum, maxime eorum qui te afflixerunt aliquando. Promitte emendationem.

Sed potissimum in unione meritorum Christi, hoc est eius vitae, passionis et mortis ac sanguinis

[1]) Hebr. VI. 6.

in ea pro nobis effusi, offer temetipsum Christo Domino in gratiarum actionem pro eadem eius merita, nimirum:

1-mo. Manui dextrae eius: velle te pati patienter, libenter, et gaudenter iniquas tui accusationes, omnes, possibiles.

2-do. Manui sinistrae: pati eodem modo, malam opinionem de te, omnium, praesertim superiorum, et eorum quorum tibi gratia et favor necessarius est, et ab amore proprio in imperfectis expeti solet.

3-tio. Pedi dextro: pati eodem modo, contemptum internum eorundem, ex mala opinione oriri solitum.

4-to. Pedi sinistro: pati eodem modo contemptum externum eorundem, et tui vel degradationem a rebus quas habeas caras, vel non promotionem ad speciosa et honorifica.

5-to. Lateri Christi: pati eodem modo, infamias, verbis et pennis scribentium literas, quibus fama tua denigretur publice coram multis, non tantum privatim coram superioribus per accusationes, manui dextrae Christi oblatas.

Considera quinto, Caput Domini Iesu spinis coronatum et arundinibus percussum [1]), simili modo ut supra. Adora illud, gratias age, dole, pete remissionem peccatorum, promitte emendationem. Offer autem illi in gratiarum actionem pro eius vita, passione, et morte, voluntatem patiendi omnes poenitentias iniustas, seu humiliationes positivas, verbo

[1]) Matth. XXVII. 29, 30.

et scripto superiorum declarandas, et omnes te inaudito tui condemnationes, denique quasvis externas mortificationes et persecutiones superiorum, aequalium et inferiorum, in quantum non praeiudicant divinae gloriae et bono communi.

Considera sexto, in anima Christi, licet tam crudeli morte avulsa a corpore, admirabile desiderium nostrae salutis, pro qua si opus esset adhuc iterum, et saepe, etiam pro singulis nostrum pateretur, sicut antea pro omnibus passus est. Sic enim ipse hoc revelavit S. Birgittae: «Ego qui creavi te, nulli «membro meo peperci ad supplicium pro te, et ad«huc sic charitative diligo animam tuam, ut ante«quam ea carerem, adhuc iterum, si possibile esset, «pro ea crucifigerer» [1]).

Quod etiam de aliis hominibus dictum esse scribit a Christo Domino sancto Carpo S. Dionysius Areopagita: «Nimirum paratum se esse, mortem «denuo, humani generis redimendi causa subire. «Haec, inquit S. Dionysius, ipse audivi a Carpo, «et vera mihi esse persuadeo» [2]). Et alia vice Christus Dominus dixit S. Birgittae: «Adhuc ex chari«tate libenter iterum morerer pro homine si esset «possibile» [3]). Plus adhuc dixit alias: «O amici mei, «sic tenere diligo oves istas, quod si possibile esset «adhuc mori propter quamlibet ovem, speciali morte, «qualem in cruce semel pro omnibus passus sum,

---

[1]) Rev. l. I. c. 1 (pag. 2 E). [2]) Epist. VIII. (ad Demoph.) §. 6 in fin. (P. gr. III. 1099). [3]) Rev. l. 1. c. 30 (pag. 45 K).

«magis eas redimerem, quam carere eis vellem» [1]). Idem dixit alio in loco [2]). Sed maxime sequenti dicto suum demonstravit amorem erga hominum salutem: «Si adhuc possibile esset, quod ego toties «morerer quot sunt animae in inferno, ita, quod «pro qualibet earum, talem mortem sustinerem qua«lem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum «paratum esset, subire haec omnia, cum libenti vo«luntate, et perfectissima charitate» [3]).

Admirare, et adora, et lauda abyssum istam divinae charitatis, gratias age pro illa, et in signum gratiarum actionis, resigna et offer Christo Domino, omnia quaecumque potes facere et pati pro illo, in hac et in altera vita, nulla re excepta: et descende ad particularium rerum amori proprio iucundarum abdicationem et resignationem.

Considera septimo, solitudinem Christi Domini in sepulchro iacentis: quomodo derelictus est ab omnibus, nullus suorum ei astitit; omnes deseruerunt eum. Cum tamen et Herodes, et Pilatus, et Annas, et Caiphas, et alii Scribae ac Pharisaei et Principes sacerdotum et Seniores populi, eius inimici, tunc habuerint magnum comitatum servorum et aliorum. Compatere Christo Domino; et videns eum ita solum, visita eum in spiritu, assiste ei semper, solare instar Angeli cum in horto confortantis, paulo post resurrecturum ad gloriam corporis, pro-

---

[1]) Rev. l. I. c. 59 ante finem (pag. 90 K). [2]) Ibid. c. 58 (pag. 88 H). [3]) Ibid. l. VII. c. 19 post initium (pag. 604 E).

pone ei tuas et tuorum necessitates, veniam pete, age gratias pro omnibus beneficiis, et sis contentus deseri ab omnibus et nesciri, ac nominatim pete, tibi et tuis, mortem felicem: *Primo*, ut moriaris in gratia Dei. *Secundo*, ut moriaris cum magnis meritis, quo possis Deum in coelo quam maxime glorificare. *Tertio*, ut moriaris facto magno fructu, in quam plurimis animabus, pro quibus Christus mortuus et sepultus est. *Quarto*, ut moriaris inglorius et infamis (sine praeiudicio tamen divinae gloriae et boni communis, et sine offensa Dei), sicut et Christus infami morte inter latrones, tanquam latro mortuus est. *Quinto*, ut moriaris sine ulla obligatione poenae in purgatorio luendae. *Sexto*, ut moriaris praeterea relicto ingenti thesauro satisfactionum tibi non necessarium, pro indulgentiis a Romano Pontifice dispensandis, in beneficium animarum a Christo Domino redemptarum. *Septimo*, ut etiam post mortem Deum glorifices, illis modis quibus Deus glorificari solet per memoriam bonorum exemplorum in vita relictorum, per doctrinas aliis relictas, per scripta aliis communicata, per preces, per merita etc.: tum ut ita Christo Domino Capiti tuo sis similior, qui etiam post mortem prodest nobis tot modis: tum ut hac ratione in te appareat et dilatetur per te fructus passionis eius fructuosissimae, ob maiorem gloriam Christi Domini tui, et confusionem daemonum inimicorum eius.

Considera octavo, pietatem Ioseph ab Arimathaea et Nicodemi, qui impetratum a Pilato corpus Domini Iesu, *et ligatum linteis, cum aromatibus*,

... *mixtura myrrhae et aloës*, sepelierunt, in horto, propinquo loco crucifixionis, in monumento novo, *in quo nondum quisquam positus fuerat* [1]). Gaude, quod inventi sint aliqui solliciti de Christo sepeliendo, et contemptis humanis respectibus, petierunt a Pilato corpus Iesu, et liberales erga eum fuerunt, comparatis centum libris aromatum, et non in qualicumque loco eum sepelierant, sed in monumento novo, a nullo peccatore profanato.

Gratias eis age pro his obsequiis, in spiritu illos laudans pro hac observantia et pietate, et imitari stude illos in supradictis, suo modo nunc Christum gloriosum tractanto, et sine humanis respectibus promovendo eius gloriam et bonum animae, tum tuae tum aliorum.

CAPUT XXIV.

Quomodo Christus Dominus post Resurrectionem est excipiendus.

Inter alios piae devotionis affectus, quibus bonae mentes solent excipere Christum Dominum a mortuis resurgentem, hi quoque, si libuerit, esse possunt:

Primo. Adora Christum resuscitatum in Divinitate eius, qua substantialis est Patri et Spiritui Sancto, seu unum quid cum Patre et Spiritu Sancto, in una et indivisibili natura divina. Adora,

---

[1]) Ioann. XIX. 38, 39, 40, 41.

inquam, ut Deum aeternum, et Creatorem ac Dominum universarum creaturarum, a quo omnes dependent in suo esse, et in omnibus operationibus suis, a quo conservantur, proteguntur, gubernantur. Adorata autem divina eius natura, adora singillatim eius divina attributa: aeternitatem, immensitatem, bonitatem, sapientiam, potentiam, impassibilitatem, independentiam ab ulla re, seu ut loquimur in scholis, «esse a se», et haec omnia infinito modo infinita in eo. In particulari vero, praecipuo quodam affectu, adora eius patientiam, qua te et alios peccantes, non punivit statim post peccata commissa, uti merebaris, sed expectavit diu ad poenitentiam, item recidentem toties in similia peccata, toleravit diu, item remisit peccata toties per absolutionem sacerdotalem; item liberavit, et plene convertit a multis peccatis plurimos, ne in ea deinceps relaberentur: item dedit gratiam satisfaciendi aliquo modo pro peccatis commissis: item dedit horrorem et magnam detestationem quorundam peccatorum: item dedit rarum lapsum in quaedam peccata venialia, vel nullum in aliqua. Quae omnia sunt magna beneficia peccatoribus concessa, et merentur specialem gratitudinem, quae hac adoratione, aliqua ex parte demonstratur, demonstranda infra alio modo quoque, scilicet gratiarum actione.

Secundo. Adora in hac Divinitate Christi commune divinis personis, aeternum, quo ab aeterno destinavit creare tot creaturas in tempore, et tot beneficiis naturalibus eas ditare, per tot saecula ad finem mundi duratura, et creaturas rationales An-

gelicas tam multas praeservare a peccatis omnibus, homines vero omnes redimere per Incarnationem ex Maria Virgine, et ex redemptis, tam multos sanctificare et salvare.

Tertio. Adora aeternam Voluntatem Verbi, qua decrevit assumere hypostatice humanam naturam, et in ea, et per eam per tot annos tam multa facere, docere, et pati, pro tua et totius mundi salute, etsi bene praevideret innumeros homines sua culpa non usuros his salutis remediis, quae ille suo sanguine, denique tota vita, passione ac morte nobis comparavit; et tam multos, non bene usuros uti possent, si vellent divinae gratiae cooperari.

Quarto. Adora Christi Personam, uti est diversa et distincta a Persona Patris et Spiritus Sancti, et a natura humana, quam sibi hypostatice in sua Incarnatione univit.

Quinto. Adora eandem Christi Personam, ut unitam humanae naturae quam assumpsit, et veluti Humanitate nostra tectam et vestitam (prout SS. Patres loqui solent), et factam creaturis rationalibus aspectabilem. Hoc est, *adora Verbum Carnem factum, et habitantem in nobis, et formam servi* in humanitate passibili tam diu praeferentem.

Sexto. Adora Christum, in assumpta natura tam multa passum pro te et pro aliis, discurrendo per praecipua quae passus est; cum tamen id non fuerit necesse, quia poterat te aliter salvare, sine suo incommodo, condonando tibi gratuito, sine ulla satisfactione peccata tua: sed ut copiosa esset redemptio tui, voluit te emere pretio magno, sanguine

et vita propria pro te amissa. Nominatim autem adora Christi animam, quae plena fuit doloribus ab instanti creationis suae et Incarnationis Verbi. Nam ut post S. Ambrosium [1]) ait B. Laurentius Iustinianus: «Christus a suae conceptionis exordio, quoad«usque in cruce confixus, Patri reddidit spiritum, «nunquam pati desiit: non sicut ceteri, sed incom«parabiliter supra universos; longe tamen efficacius «in anima, quam in corpore perpessus est dolores «maximos, actuales cruciatus, spirituales gladios: per«secutiones ab hominibus, a suis civibus, ab alieni«genis, et a sui generis secundum carnem domesticis «et contribulibus: contra quos nullum inconstantiae «ostendit signum, nec acclamavit, neque contradic«tionis protulit verbum, sed *tanquam agnus coram «tondente se obmutuit, et non aperuit os suum* «(Is. LIII. 7)» [2]). Quocirca merito dixit S. Bernardus: «Tota vita Christi, crux fuit et martyrium» [3]).

Septimo. Adora Christi resuscitati Corpus gloriosum, insignitum cicatricibus seu vulneribus, quae in eo retinere voluit in testimonium amoris sui erga te iis redemptum, et in demonstrationem, quam libenter sit passus pro te, ut voluerit relinquere signa eorum vulnerum, quae ei tam acrem dolorem incusserunt, et per quae vitae iacturam tui causa fecit: «et ut haberet semper, quae pro te exhiberet «Patri ad reconciliandum eum, nobis offensum», ut

---

[1]) De instit. virg. c. XI. n. 69 (P. l. XVI. 337). [2]) De perfect. grad. c. IX (pag. 438 I. t. II). [3]) Vitis myst. c. XXXV. (P. l. CLXXXIV. 711 C).

ait B. Laurentius Iustinianus [1]). «Et ut ipsum Do-«minum crucifixum fuisse, et neminem pro eo re-«surrexisse intelligeres», inquit S. Chrystomus [2]), et S. Cyrillus; «et ut propositis eius mortis indiciis «pro nobis susceptae, misericordiam Domini cantare «non cessemus», ait V. Beda; «et in signum per-«petis victoriae, inquit idem, vulnerum cicatrices «abolere noluit» [3]): Et ut salutis humanae pretium «exigat, et obedientiae donativum requirat», dicit S. Cyprianus.

Octavo. Gratias ei age pro tui redemptione peracta, per quam es liberatus a servitute diaboli et peccati, et a poenis inferni, et repletus tot aliis bonis, quae in S. Ecclesia habes, ab eo mediate vel immediate instituta et relicta, pro tua sanctificatione et salute. Nominatim autem ei gratias age, pro his quae pro te passus est in carne sua ante resurrectionem.

Nono. Gratias ei age pro tot animabus sanctis ex purgatorio et limbo liberatis, et beatifica Dei visione donatis.

Decimo. Gratias ei age quod post resurrectionem suam se aspectandum praebuerit Sanctissimae Matri suae, et discipulis et aliis, eosque solatus sit, et testes suae resurrectionis, pro stabilienda magis fide nostra reliquerit.

---

[1]) De triumph. Christi agone, c. XV initio (pag. 389 I. t. II). [2]) In Ioan. hom. LXXXVII. n. 1 (P. gr. LIX. 474). [3]) Expos. in Lucae c. XXIV. v. 40 (P. l. XCII. 630 CD, 631 A).

Undecimo. Gratias ei age pro doctrinis ab eo post resurrectionem, ante ascensionem relictis pro instructione Ecclesiae circa materias et formas sacramentorum, adeo nobis necessariorum ad salutem et utilium, quod tunc eum fecisse, docet S. Augustinus [1]).

Duodecimo. Gratias ei age pro Sacramento poenitentiae, post suam resurrectionem, in beneficium tuum et aliorum peccatorum instituto, sine quo, (o Deus bone) quam difficilis fuisset salus tua, et quam multo plures quam nunc damnentur, damnarentur.

Decimo tertio. Gratulare ei gloriam corporis, eiusque gloriosas dotes: claritatem, agilitatem, subtilitatem, impassibilitatem, immortalitatem.

Decimo quarto. Gratulare ei quod morte sua promeruerit sibi varia; scilicet, ut docent theologi, gloriam sui corporis: impassibilitatem animae suae, seu indolentiam: resurrectionem corporis sui, et omnes dotes gloriosi corporis: triumphum suae ascensionis: regiam dignitatem et dominium supra universum orbem, et potestatem plenam in coelo et in terra: exaltationem nominis sui, factam per praeclara de eo testimonia et encomia prophetarum, angelorum, et Dei ipsius: summum sacerdotium in Ecclesia sibi proprium et singulare, praestantius sacerdotiis naturae, mosaicis, et legis novae: auctoritatem supremi Capitis in Ecclesia: et iudiciariam

[1]) De doctr. christ. l. III. c. 9 (P. l. XXXIV. 71).

potestatem, et forte alia quae nos nescimus, et non docuerunt theologi.

Decimo quinto. Gratulare ei multiplicem fructum eius vitae, passionis et mortis, in creaturas rationales, angelicas et humanas derivatum, iuxta valde probabilem opinionem theologorum (quoad Angelos et Adamum, et iuxta communem, quoad alios). Nimirum, quia ob praevisa Christi merita, et Angeli omnes, et Adam, denique omnes homines, gratiam quam habuerunt ante peccatum et post (ab hominibus commissum) habuerunt, tam primam quam subsequentem, quam omnia alia gratiae dona, item praeservationem a peccatis quae non commiserunt, et liberationem a peccatis commissis, iustificationem post peccata commissa, omnia augmenta gratiae, omnia auxilia gratiae praevenientis et adiuvantis, per quae fecerunt aliquos actus supernaturales meritorios, et naturales, ordinatos ad vitam aeternam vel sanctificationem hominum, et ad incrementum in ea, et profectum in virtutibus, et ad perseverandum finaliter in gratia, item gratiam sanctificantem quam conferunt sacramenta rite suscepta, liberando aliquos a peccato originali, alios a peccatis voluntarie commissis, et gratias alias sacramentales, quae intuitu sacramentorum conferuntur hominibus: item valorem et fructum indulgentiarum: item victoriam tentationum, consecutionem salutis aeternae: liberationem a poenis purgatorii: praeservationem a poenis inferni, item resurrectionem nostrorum corporum: item gratias gratis datas, quibus Deus illustrat servos suos in vita, morte et post mortem:

denique ipsam gratiam praedestinationis, ex qua emanant a Deo omnia alia dona gratiae et gloriae, quam consequuntur tam multi electi.

Decimo sexto. Gratulare Christo innumerorum Angelorum et animarum Sanctarum in coelo choros, quod eum adorant ut Caput suum, et ut largitorem et causam omnium gratiarum et bonorum quae habent. Nam ut ait S. Bernardus: «Christus qui ere«xit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne labe«retur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc «a captivitate defendens. Et hac ratione Dominus «Iesus Christus fuit utrique redemptio, solvens illum, «et servans istum. Liquet ergo S. Angelis Dominum «Christum fuisse redemptionem, sicut iustitiam, sicut «sapientiam, sicut sanctificationem... Et omne quod «erat Angelis, factus est nobis» [1]).

Decimo septimo. Gratulare Christo honorem latriae, qui ei exhibetur in coelo et extra coelum, per universum orbem terrarum, ac in purgatorio; et per sacrificia, et per templa, et per imagines, et per vota, et per preces, et tot aliis modis bonorum operum, quae ab hominibus fiunt, et fient usque ad finem mundi.

Decimo octavo. Gratias age Christo Domino, quia morte sua nos liberavit a morte aeterna, a potestate diaboli, a peccatis, et tot bonis positivis in iustificatione et post illam ditavit et ditare non cessat. Denique gratias age pro omnibus illis bene-

---

[1]) In Cant. ser. XXII. n. 6 (P. l. CLXXXIII. 880 C).

ficiis, quae paulo ante, in 15. et 16. puncto, sunt commemorata.

Decimo nono. Offer Christo resuscitato in signum gratitudinis et amoris pro beneficio redemptionis, in se tam multa dona continente, offer inquam in unione eius meritorum:

1-mo. Voluntatem nunquam mortaliter peccandi.

2-do. Voluntatem nunquam venialiter deliberate peccandi.

3-tio. Voluntatem nunquam indeliberata peccata venialia gravia committendi.

4-to. Voluntatem, quantum fieri potest, etiam pauca indeliberata committendi, praesertim in actionibus ad divinum cultum spectantibus.

5-to. Offer ei tua vota religiosa, et alia si quae habes.

6-to. Offer ei voluntatem nil faciendi propter alium finem quam ipsum, sine desiderio remunerationis.

7-mo. Offer ei voluntatem omnia opera bene faciendi iuxta praescriptum rectae rationis et legum divinarum, ac Ecclesiae, et tui Ordinis.

8-vo. Offer voluntatem exequendi omnia bona proposita personalia, et Dei inspirationes.

9-no. Offer voluntatem eligendi semper perfectiora.

10-mo. Offer voluntatem inter res aeque perfectas, eligendi eam, quae est magis conformis eius vitae afflictae, et tribulatae, et humiliatae ab hominibus.

11-mo. Offer ei voluntatem semper proficiendi de bono in melius.

12-mo. Offer ei voluntatem semper amandi et benefaciendi iis, a quibus aliquid passus es, vel patieris.

13-tio. Offer ei voluntatem sine ullis humanis respectibus promovendi eius gloriam et cultum, domi et foris.

14-to. Offer ei libertatem tuam omnem, ut tanquam iumentum ob amorem ipsius nihil speciosi velis eligere, nil detrectare (solo peccato excepto), sed in omnibus obedire eius vicariis, imo et aliis, in quantum licebit et decebit.

15-to. Offer ei desiderium efficax patiendi pro eius amore omnia possibilia adversa, omnes iniurias, et si esset eius maior gloria, etiam poenas damnatorum, salva eius amicitia et gratia.

Vigesimo. Pete a Christo resuscitato, per omnia merita vitae, passionis, et mortis eius:

1-mo. Ut tibi det quam maximum fructum et effectus suae vitae et passionis et mortis, quoad fugam peccatorum, et sancte vivendi rationem, ac proficiendi in ea, in te et in aliis quam plurimis.

2-do. Ut tibi det gratiam post mortem recta eundi ad coelum.

3-tio. Pete eandem pro iis, a quibus aliquid passus es et patieris.

4-to. Pete conversionem innumerabilium infidelium, haereticorum, schismaticorum, Haebreorum, peccatorum, tepidorum.

5-to. Pete Sanctae Ecclesiae incrementum, tum per iam dictam conversionem malorum, tum per multiplicationem quam maximam eximiorum Sanctorum.

6-to. Pete liberationem animarum ex purgatorio quam plurimarum.

7-mo. Commenda alias tuas particulares necessitates, et publicas et privatas.

8-vo. Dic orationem illam. «Anima Christi sanc-«tifica me» etc.

9-no. Conclude has devotiones illa pulchra oratione: «Respice quaesumus Domine super hanc fa-«miliam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Chri-«stus, non dubitavit manibus tradi nocentium et «crucis subire tormentum, qui tecum vivit et regnat «in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula «saeculorum. Amen».

CAPUT XXV.

De Praeparationibus praemittendis Festo Pentecostes, ad obtinenda multa Dona Spiritus Sancti.

Non possum meliores suadere praeparationes pro personis in spiritu provectis, praemittendas solemnitati Pentecostes, ad obtinenda multa dona Spiritus S. quam eas, quae habentur in vita B. M. Magdalenae Pazziae, ab ea adhibitae. Cum enim die Ascensionis cogitaret de hac praeparatione, abstracta a sensibus coepit loqui hoc modo: «O Sancti Apo-«stoli, quando Dominus ascendit in coelum, docuit «vos quid facere deberetis pro recipiendo Spiritu S. «Docete ergo nunc me. O pure Ioannes, o amabilis «Philippe, non scietis mihi negare. Dicite mihi quale

«debeat esse meum coenaculum? quales operationes «internae et externae, quales elevationes mentis in «his paucis diebus?

«Bonum erit aedificare coenaculum in alto. Erit «coenaculum latus Verbi, in quo manendum sit in «unione amoris. Qualis debet esse meus cibus et «potus spiritualis? volo illum placidum sumere cui- «libet denti: considerationem operationum grandium «et humillimarum quas fecit Verbum incarnatum, «manendo hic nobiscum. Potus erit Sanguis qui «exit ex illis quatuor fontibus ipsius sacrarum ma- «nuum et pedum: et aliquando potest iri ad illum «fontem, qui habet tot canales, ipsius venerandi «capitis. O amorosum Verbum, triginta tribus annis «mansisti nobiscum; et ego debeo facere triginta «tres actus annihilationis intra diem et noctem. Et «haec erit una operationum internarum.

«Post octo dies a tua nativitate dedisti sangui- «nem nobis; et ego debeo facere octies examen con- «scientiae, intra diem et noctem: quia si anima non «est bene examinata et purgata a suis defectibus, «non est apta ad dandum sanguinem pro te, id est, «ad se offerendam tibi in actum martyrii: et quo- «ties faciam examen conscientiae, adiungam renova- «tionem votorum religiosorum.

«Quadraginta diebus mansisti in terra, postquam «a morte resurrexisti; et ego debeo intra diem et «noctem quadragies elevare mentem meam ad te.

«Septem annis fuisti in Aegypto; et ego debeo «intra diem et noctem, offerre tibi septies illos qui «sunt in tenebris peccati.

«Quadraginta diebus mansisti postquam es na-«tus, antequam te offerres in templo; et ego debeo «intra diem et noctem quadragies offerre me tibi, «in beneplacitum tuae voluntatis.

«Nutrimentum spirituale erit quotidiana medi-«tatio tuae sanctissimae passionis, associando illam «meditationi illius ardentis amoris, cum quo incar-«natus es, et humilitatis cum qua conversatus es; «et mansuetudinis, cum qua praedicasti; et laetitiae «cum qua exaudisti Chananaeam et Samaritanam: «illa non rogavit te, sed tu invitasti eam ad peten-«dum. Meditabor etiam illa verba: *Hic est Filius «meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Ci-«bus meus est, ut faciam voluntatem Patris mei. «Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.*

«Duodecim annis mansisti antequam ostenderes «tuam sapientiam: duodecim actus internos amoris «debeo facere erga proximum, et duodecim humilita-«tis, similiter internos. O quot se occasiones offerunt «nobis istorum actuum internorum, quantae capti-«vationes intellectus et voluntatis?

«Septies debeo adorare SS. Sacramentum, loco «illorum qui illud non adorant; septies enim meus «Christus, qui portat crucem capite inclinato, pro «omnibus electis, cecidit in terram.

«Ter debeo dare laudem particularem Virgini «Sanctissimae, tanquam Matri et protectrici parti-«culari omnium animarum religiosarum: ut illa con-«currat particulariter auxilio suo, ad observantiam «trium votorum religiosorum.

«Et quanto plus potero, debeo praestare obse-«quia charitatis meo proximo, cum toto illo amore «et iucunditate animi, quae est possibilis.

«Semper ero in actu custodiendi meos sensus, «et ne reputer pro singulari, debeo facere hoc horis «et temporibus et modis debitis: nam si ego nun-«quam aspicerem, aliqua posset cogitare quod ha-«beam aliquam indignationem cum ipsa: et si nun-«quam responderem, darem illi occasionem suspi-«candi.

«Ter in die revocare in memoriam sororibus, «cum quibus conversamur, dignitatem vocationis ad «quam sumus vocatae: dicendo aliquam laudem ipsius «vocationis, et continuo illius recordari in meipsa.

«Quoties offertur occasio, consolari afflictos, tam «in interiori quam in exteriori, et in conclusione «cuiusvis rei, debeo manere in continuo actu cha-«ritatis, et custodire cor» [1]).

Optimi sunt isti actus: sed meo iudicio, non sunt pro iis qui in via purgativa adhuc et illuminativa versantur, nec cor habent mundatum a peccatis deliberatis frequentibus, et inordinatis passionum motibus non refraenatis, sed eos permittentes insolescere, etsi ad peccatum aliud non procederent. Sed sunt pro iis qui sunt in via unitiva, et raro peccant, et nunquam graviter et deliberate Deum offendunt, uti erat ista Sancta, quae pro se, iuxta statum suum perfectissimum, hos actus Deo inspirante elicere proposuit.

---

[1]) «Cap. 80».

Ponam ergo ego alios actus pro tironibus, et qui adhuc rixantur cum vitiis et concupiscentiis, in iisque saepe succumbunt:

Prima ergo et fundamentalis praeparatio ad excipiendum Spiritum Sanctum esse debet, purgare animam a peccatis bona confessione, si iis notabiliter coinquinata esse cognoscitur, vel si non est iis coinquinata, puram conservare diligentius quam hactenus feceris. Nam ut monet S. Gregorius Papa: «Pensate fratres charissimi, quanta sit ista dignitas, «habere in cordis hospitio adventum Dei. Certe si «domum nostram quisquam dives aut praepotens «amicus intraret, omni festinantia domus tota mun«daretur, ne quid fortasse esset, quod oculos amici «intrantis offenderet. Tergat ergo sordes pravi ope«ris, qui Deo praeparat domum mentis» [1]). Cur autem id faciendum sit, explicat S. Bernardus «Spiritus ille odit sordes, nec habitare potest in «corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi etiam proprium peccata «odisse» [2]). Nec tantum gravia odit, sed etiam minima. Quia ut idem S. Bernardus alibi ait: «Sanc«tus Spiritus nec minimam paleam intra cordis «quod possidet habitaculum patitur residere» [3]).

Haec ergo sit prima praeparatio pro recipiendo Spiritu Sancto: animae purgatio et puritas, quae,

---

[1]) In Evangelia, l. II. hom. XXX. n. 2 initio (P. l. LXXVI. 1220 D). [2]) In festo Pent. ser. III. n. 5 (P. l. CLXXXIII. 332 B). [3]) Ibid. ser. II. n. 8 (Ibid. 330 A).

quo maior erit in homine iusto, desiderante dona Spiritus Sancti, eo plura consequetur. Ideo toto hoc tempore, a die Ascensionis usque ad festum Pentecostes (sed et postea) speciali conatu vites omnia peccata. Nam ut bene dixit Ioannes Abbas vir sanctus: «Mens, quae renunciavit mundo, hoc «est, quae abscidit et amputavit a se omne vitium, «et nullum introeundi ad se diabolo aditum dere«liquit, quae iram cohibet, furorem reprimit, men«dacium fugit, execratur invidiam, et non solum «non detrahere, sed nec male quidem sentire aut «suspicari se de proximo suo patitur, quae fratris «gaudia, sua ducit, et tristitiam eius suam tristitiam «deputat: quae haec et horum similia observat «mens, Spiritui Sancto aperit in se locum, qui cum «ingressus fuerit et illuminaverit eam, semper ibi «gaudia, semper laetitia, charitas, patientia, longa«nimitas, bonitas, et omnes qui sunt fructus Spiri«tus, oriuntur» [1]). Inter omnia vero peccata, maxime his diebus vitanda sunt, impuritas et superbia. Nam ut Christus Dominus dixit S. Birgittae: «obstacu«lum quod retentat aquam, superbia mentis et am«bitio est, qua gratia Spiritus S. obstruitur, et omne «bonum quo anima fructificare debet impeditur» [2]). Sed et omnia alia peccata, in quae nos labi continget his diebus, sint prorsus indeliberata, nam quae scientur et deliberate committuntur, valde displicent Spiritui S., et illius accessum arcent. Hinc S. Ber-

---

[1]) *Rufinus.* Hist. monach. c. I (P. l. XXI. 396 CD). [2]) Revel. l. IV. c. 97 (pag. 328 K).

nardus: «Cavete, inquit ne quis parva reputet, quan-«tumlibet parva, si scienter delinquere convincatur. «Nemo dicat in corde suo: «levia sunt ista, non «curo corrigere; non est magnum si in his maneam «venialibus minimisque peccatis». Haec est enim «dilectissimi, impoenitentia, haec blasphemia in Spi-«ritum Sanctum, blasphemia irremissibilis» [1]).

Secunda praeparatio ad recipiendum Spiritum Sanctum sit, linguae custodia, ne toto hoc tempore Spiritus Sanctus offendatur vitiis linguae. Cum enim frequentius offendatur Deus linguae vitiis, quam aliis modis, ab hominibus iustis, magno studio cohibenda est lingua, ne Spiritum Sanctum offendat quem desiderat, praesertim, quia ut ait S. Basilius Magnus (nota lector terribilem sententiam magni Doctoris Ecclesiae), «licet verbum ipsum quod dici-«tur, genere ipso de numero sit bonorum, tamen «nisi ad aedificationem fidei dirigatur, nequaquam «propterea quod bonum sit, liber sit a periculo qui «illud locutus sit, quippe qui videlicet ex eo quod «aedificationi illud non accommodaverit contristare «noscitur Spiritum Sanctum Dei» [2]). Quanto ergo magis contristant Spiritum Sanctum mendacia, verba scurrilia, detractoria, contentiosa, impura?

Tertia praeparatio esse potest, illis diebus post Christi Ascensionem usque ad Pentecosten, solito attentius et diutius meditationi rerum divinarum

---

[1]) In conver. S. Pauli ser. I. n. 5 (P. l. CLXXXIII. 363 A). [2]) Reg. brev. tract. XXIII. (P. g. XXXI. 1098—9).

praesertim beneficiorum Dei vacare. ‹Cum S. Ger-«trudis Dominum orasset in Octava Paschae, quando «legitur Dominum insufflando dedisse suis disci-«pulis Spiritum Sanctum, ut etiam sibi suavifluum «Spiritum largiri dignaretur; ei respondit Dominus: ««Si desideras Spiritum Sanctum accipere, oportet ««te ad modum discipulorum meorum prius latus ««et manus meas contrectare». In quibus verbis in-«tellexit, quod quicumque Spiritum Sanctum desi-«derat suscipere, debet contrectare manus Domini, «id est, cum gratitudine perpendere amorem cordis «divini, quo nos ab aeterno praedestinavit in filios «et haeredes regni sui, et quomodo tam infinitis «bonis continuo nos indignos praevenit, et ingratos «subsequitur gratiis. Manus etiam Domini debet «contrectare, hoc est, cum gratitudine recolere sin-«gula opera redemptionis, quibus Dominus triginta «tribus annis pro amore nostro laboravit, et specia-«liter in sua passione et morte. Cumque ex horum «memoria et gratitudine incaluerit, offerat Deo cor «suum in unione illius amoris, quo ipse dixit, *sicut «misit me vivens Pater, et ego mitto vos*, etc. «ad omne benaplacitum divinae voluntatis ita, quod «homo in nullo quidquam velit, vel desideret, quam «beneplacitum Dei: et insuper se ad omnia facienda ‹et sufferenda praebeat, quaecumque Dominus sibi in-«iungit. Quod cum quis fecerit, indubitanter Spiritum «Sanctum Paracletum suscipit eo affectu, quo discipuli «hoc die susceperunt per insufflationem Filii Dei» [1]).

[1]) Insin. div. piet. l. IV c. 32 (pag. 528—9).

Quarta praeparatio esse potest, maius et frequentius his diebus exercitium virtutum praecipuarum, quibus oblectatur Spiritus Sanctus. Hoc ipsum orans S. Gertrudis intellexit: «Ad susceptionem Spiritus «Sancti quatuor virtutibus animam praeparari: pu«ritate, humilitate, tranquillitate (scilicet pacifica con«versatione) et concordia, si in his proficere stu«deret» [1]). Ideo, observavit S. Bernardus, ab Apostolo Spiritum Sanctum numerari in medio virtutum (II. Cor. VI. 6). «In catalogo inquit spiri«tualium exercitiorum Apostolus prudenter inter«seruit Spiritum Sanctum dicens: *In castitate, in «scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu «Sancto in charitate non ficta, in verbo veritatis, «in virtute Dei*: quia uti Spiritus Sanctus est causa harum virtutum; ita oblectatur illis, et per illas accersitur [2]).

Quinta praeparatio, per recitationem horarum canonicarum a sacerdotibus, seu psalmorum quorundam appositorum ab aliis, solito ferventiorem, esse potest. «Vox enim psalmodiae, inquit S. Gregorius «Papa, cum per intentionem (id est fervorem) cor«dis agitur, per hanc Omnipotenti Domino ad cor «iter paratur» [3]).

Sexta praeparatio est, conatus maior his diebus ad assequendam perfectionem. Sic B. V. Maria

---

[1]) Insin. div. pietat. l. IV. c. 38 (pag. 546). [2]) Epist. ad frat. de monte Dei, l. II. c. III. n. 17 (P. l. CLXXXIV. 349 B). [3]) In Ezechielem, l. I. hom. I. n. 15 (P. l. LXXVI. 793 A).

dixit S. Birgittae: «Deus omnes cum gratia sua «visitat. Eos vero qui sic cogitant: «nos inquiunt ««abstinere volumus a peccato, et in quantum pos- ««sumus conari volumus ad perfectionem», hos visi- «tat Spiritus Sanctus frequentius ut perfectius pos- «sint» [1]).

Septima praeparatio, adiuncta praeteritis, est maximi momenti, ardenter et frequenter in die, imo ad singularum horarum interdiu pulsum, desiderare multa et magna dona Spiritus Sancti, ad quae obtinenda, erigenda est spes nostra Christi vorbis: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [2]). Et ita Dominus etiam S. Gertrudi dixit: «Ego cuilibet donavi fistulam auream ««talis virtutis, ut ea quilibet sibi attrahere possit ««de intimis mei deificati cordis quaecumque deside- ««rat». Quam fistulam illa intellexit bonam esse vo- «luntatem, per quam omne bonum spirituale, tam «coelestium quam terrestrium, sibi potest proprie «vendicare» [3]). Merito ergo S. Bernardus excitat: «Qui desiderat, abundantius desideret, quoniam «quantumcumque desiderare poterit, tantum est ac- ««cepturus. Imo, non secundum imperfectionem «modumve desiderii, sed mensuram accepturus est «bonam et confertam et coagitatam et superef- «fluentem» [4]).

---

[1]) Rev. l. IV. c. 16 post medium (pag. 241 CE). [2]) Matth. V. 6. [3]) Insin. div. piet. l. III. c. 30 (pag. 239). [4]) In festo omn. SS. ser. I. n. 11 (P. l. CLXXXIII. 458).

Octava praeparatio, est frequens et fervens oratio ex sanctis desideriis orta, petens a Spiritu S. in nos venturo dona eius quamplurima et maxima: «Precibus insistendum est, inquit B. Laurentius «Iustinianus, et Dei suffragium flagitandum, qua«tenus quotidie nobis semper potiora donentur. «Contingit enim persaepe, ut quod nequeunt merita, «desideriorum interpellationes largiantur. Delectatur «quippe Dominus orationibus supplicantium, ut eo«rum votis annuat: si tamen corde simplici fun«dantur, humilique mente ac devotione fideli. Nempe «si tria haec conveniant in orante, de omni re, quam«cumque petierit secundum Deum, fiet illi a Patre «luminum eiusque Filio D. Nostro Iesu Christo» [1]).

Nona praeparatio esse potest, suscepta ob hunc finem aliqua corporis afflictio his diebus, uti sunt cilicia, disciplinae, ieiunia, abstinentia, durus lectus.

CAPUT XXVI.

Devotiones quae possunt fieri per Octavam Corporis Christi.

1-mo. Quolibet die meditari aliquid de SS. Sacramento Eucharistiae.

2-do. Saepius illud visitare in die: et si desit tempus diu manendi in hac visitatione, breviter sed ferventer expedire devotiones.

---

[1]) Ser. in Exalt. S. Crucis, ipse finis (pag. 81 II. t. II.

3-tio. Ob amorem SS. Sacramenti, ab omni peccato linguae abstinere per totam Octavam, praesertim a murmurationibus, detractionibus, mendaciis, et verbis iracundis.

4-to. Communicare saepius infra Octavam.

5-to. Quotidie facere disciplinam (cum licentia) ad placandum Deum ob irreverentias quae fiunt in mundo erga SS. Eucharistiam.

6-to. Saltem ter in die: mane, post meridiem, et ante somnum, quinquies genuflectere versus quatuor partes mundi, breviter sed affectuose, ob tres causas:

a) Petendo remissionem illorum quae fiunt in illa parte mundi contra SS. Sacramentum Eucharistiae, in illo recipiendo, et aliis modis.

b) Gratias agendo Divinae Maiestati pro beneficiis collatis beneficio SS. Sacramenti et SS. Sacrificii Missae, vivis et defunctis.

c) Commendando Christo Domino nostro in SS. Eucharistia existenti in ea parte mundi, omnes necessitates spirituales et temporales vivorum et mortuorum.

7-mo. Dum auditur hora, sonante horologio: *a)* Devote dicere illam orationem: «Deus qui nobis sub Sacramento mirabili», etc. *b)* Communicare Spiritualiter. *c)* Saltem interne, si es cum aliis, et exterius si solus es, saltem capitis inclinatione, adorare SS. Eucharistiam in eo loco existentem, qui est proximus tibi vel cubiculo tuo.

8-vo. Tempore prandii et coenae communicare spiritualiter, occasione cibi et potus.

9-no. Per hos octo dies, magis servare silentium et minus loqui de rebus indifferentibus.

10-mo. Per hos octo dies quotidie, solito devotius aspicere SS. Eucharistiam, flectendo in tali loco ex quo possit videri SS. Eucharistia tempore Missae supra corporale posita, vel, si hoc fieri nequeat, aspiciendo illam expositam publice in sacro illo ferculo quod Monstrantiam appellamus. Nam S. Gertrudis divinitus intellexit, «quod quoties homo cum «desiderio et devotione inspexerit hostiam in qua «latet corpus Christi sacramentaliter, toties meritum «suum auget in coelo, quia aeternaliter in futura «visione Dei tot sibi speciales delectationes allu«dent, quoties in terris cum devotione et desiderio «inspexit corpus Christi, vel etiam vellet videre si «posset, cum rationabiliter impeditur» [1]).

CAPUT XXVII.

Devotiones quae possunt fieri per Octavam alicuius Sancti.

Primo. Selige unum tantum peccatum veniale, a quo saltem per octavam illius Sancti prorsus abstineas. Hoc autem sit, ne in rebus ad Dei cultum spectantibus, hoc toto tempore peccES venialiter, hoc est, in meditatione, Sacro, examinibus, coronis, Communione.

---

[1]) Insin. div. pietat. l. IV. c. 25. ipse finis (pag. 510).

Secundo. Per actus positivos, saepius in die iteratos, saltem tot vicibus quot vixit annis ille Sanctus elicias actus probandi mente omnia, quae vides fieri, dici, omitti ab aliis. Hoc est, omnia excusando, laudando, sola mente. Hoc enim est valde necessarium, plus quam alia omnia; ex cuius neglectu oriuntur multae Dei offensae iudiciorum temerariorum, detractionum mentalium, detractionum verbalium, malarum informationum, et impedimentorum multarum rerum bonarum. Vel, si hoc non placet, elicias toties actus alicuius alterius virtutis in honorem illius Sancti.

Tertio. Pete a Deo breviter, et ardenter, toto hoc tempore, ut per merita Christi Iesu, et per merita ac intercessionem illius Sancti, concedat tibi Deus, illam virtutem, qua ille maxime placuit Deo. Tempora autem id petendi sint haec: 1-mo. In colloquio meditationis. 2-do. In sacro, immediate post elevationem, et iterum dum Sacerdos sumit SS. Sanguinem. 3-tio. In fine examinum conscientiae. 4-to. Dum exis e cubiculo, toties quoties (oblatis prius Deo singulis passibus tuis), primum quod petes, sit hoc. 5-to. Illis binis temporibus, quibus in triclinio expectas benedictionem mensae: tunc autem praeter Christi merita, et illius Sancti intercessionem et merita, adhibe expresse etiam hoc, ut per merita aliorum servorum Dei, tibi Deus id concedat.

Quarto. Loco lectionis spiritualis, lege quotidie aliquid e vita illius Sancti, illam partem vitae, in qua non tam res ab eo gestae narrantur, quam

peculiares virtutes illius: oratio humilitas, patientia, charitas, et aliae.

Quinto. Meditationes quotidianas per illos octo dies institue de praecipuis eius virtutibus, unam uno die, et actus ac excellentiam illius considerando, alias, aliis diebus.

Sexto. Commenda illi Sancto communes et proprias tuas necessitates, modo speciali et ferventer, praesertim bonum finem vitae tuae, ut feliciter, omnibus Sacramentis munitus, et plenus magnis meritis in gratia Dei moriaris. Sane S. Gertrudis intellexit divinitus «quod dum aliquis finem vitae «suae cuiusvis Sanctorum specialibus orationibus «commendat, statim orationes illae deferuntur ante «tribunal iudicis, et ille Sanctus cui committuntur, «constituitur a Deo advocatus super eas, ut ex ipsis «bona provideat sibi devotis, tempore oportuno» [1]).

Septimo. Age gratias Deo saepe in die pro beneficiis naturae, gratiae, gloriae et honoris illi Sancto, et per illum aliis collatis. Quod adeo placuit Deo, ut S. Gertrudis divinitus intellexerit: «quandocumque aliquis gratias agit Deo pro Sancto aliquo, «Dominus de merito Sancti illius, auget gratiam in «anima eius, qui pro eo gratias persolvit» [2]).

---

[1]) Insin. div. pietat. l. IV. c. 53 (pag. 617).
[2]) Ibid. c. 56 (pag. 627).

CAPUT XXVIII.

De quibusdam Festis Beatissimae Virginis Mariae pie celebrandis.

Cum S. Gertrudis desideraret investigare quid orationis B. Virgo acceptaret, specialius in festo Annuntiationis, edocta est a Domino: «quod si quis «per octavam quotidie legeret (hoc est, diceret) 45 «Ave Maria cum devotione, in memoriam illorum «dierum, quibus Dominus Iesus crevit in utero suo, «ille tam acceptum famulatum sibi exhiberet, sicut «si eo die quo Dominum concepit sibi affuisset, et «per singulos dies usque ad partum, diligentissima «sibi obsequia impendisset, et, quam invite illi tunc «pro servitio suo Virgo denegasset, quidquid ab ea «desiderasset, tam invite vellet isti denegare peti-«tionem suam» [1]).

Cum vero in vigilia Assumptionis, sub missa («Vultum tuum») dum legeretur collecta: «Deus qui virginalem aulam»... B. Gertrudis devotius intenderet verbis illis, scilicet: «ut sua nos defensione munitos, iucundos faciat eius interesse festivitati», videbatur «delicata Mater benigne expandere pallium suum, «quasi ad suscipiendum omnes ad se confugientes «in speciale patrocinium. Tunc advenientes SS. An-«geli adducebant coram ea omnes personas quae se «speciali devotione, vel orationibus ad idem festum «Assumptionis devote praeparaverant, in specie iu-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 12 (pag. 453).

«venerabilium speciosarum, quae reverenter sedentes «ante eam, sicut filiae coram Matre, Sanctorum An«gelorum ministerio undique fulciebantur, et ab «insidiis malignorum spirituum defendebantur, et ad «quaeque bona promovebantur. Intellexitque talem «protectionem angelorum obtentam per antedicta «verba collectae, scilicet: «ut sua nos defensione «munitos», quia ad imperium eius multitudo An«gelorum undique defendendo protegit omnes glo«riosam Virginem invocantes. Post haec videbantur «quasi sub pallium eius accurrere quaedam diversi «generis bestiolae, per quas notabantur omnes pec«catores, ad ipsam specialem devotionem habentes. «Quas omnes Mater misericordiae benigne susci«piens, et quasi pallio suo protegens, delicata manu «sua singulas contrectando et deliniendo, ipsis ami«cabiliter blandiebatur: quemadmodum quis blandiri «solet catulo suo. Per hoc manifeste insinuans, quam «misericorditer suscipit omnes se invocantes, et «quam materna pietate defendit, et protegit etiam «adhuc peccatis deditos in se sperantes, donec eos «Filio suo reconciliet, veraciter poenitentes» [1]).

In festo vero Nativitatis gloriosae Virginis Mariae, dum S. Gertrudis «tot persolvisset Ave Maria, «quot diebus ipsa praeclara Maris stella crevit in «utero matris (quod fieri potest, si 33 Ave Maria, «quotidie recitentur per octo dies), et haec devote «offerret eidem, requisivit ab ea, quid erga benigni«tatem ipsius merentur, qui simili devotione ad ho-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 49 (pag. 576—7—8).

«norem eius, eundem numerum persolverent cum «salutatione Angelica? Cui benignissima Virgo re- «spondit: Hoc inquit merentur, quod aeternaliter «in coelis, speciali iucunditate participabunt mecum «felicius omnia gaudia quae recepi, et adhuc sine «intermissione renovata recipio pro singulis virtu- «tibus, ad quas Beata et Gloriosa Trinitas animam «meam singulis diebus, secundum optimum bene- «placitum suum, decenter habilitavit» [1]).

CAPUT XXIX.

De Alphabeto Vitae spiritualis.

Multi vel habentur, vel haberi volunt pro spiritualibus viris, qui hoc nomen non merentur. Tales sunt, qui putant vitam spiritualem consistere in multis et longis precibus, in ieiuniis, et aliis asperitatibus carnem affligentibus, in visitationibus templorum, — et de extirpatione vitiorum, de mortificatione naturalium passionum, de moderatione affectuum irae, zeli, amoris, non sunt solliciti, nec illis aeque ac precibus intenti, et in exercitio virtutum valde segnes. Bene itaque scripsit B. Laurentius Iustinianus: «O quam rari sunt, qui spirituales re «et nomine censendi sunt. Vocabulum hoc, denun- «tiatione sortiuntur multi, effectum vero ipsius, pauci: «spirituales viros illos arbitror esse dicendos, qui «carnales habentes edomitas voluptates, carnem spi-

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 53 (pag. 609).

«ritui, mentem rationi, devotioni affectum, intentio-«nemque animi aeternae substernunt dominio Sa-«pientiae. Haec quippe est regula disciplinae coele-«stis: haec inquam est spiritualis forma virorum in «carne, et supra naturam spiritualiter conversantium, «et quotidie proficientium in idipsum» [1]).

Quocirca compendio explicabo, ordine alphabeti, quae requirantur, ut homo vere sit spiritualis, seu spiritualiter et secundum Dei spiritum, non humanum et politicum vivens, ac in omnibus procedens:

Abstinere ab omni peccato, ita, ne unquam deliberate offendatur Deus, et indeliberate raro.

Bene facere omnia opera ordinaria, iuxta rectae rationis, et regularum, et superiorum praescriptum.

Censurare nullum, ne quidem interius, et Clamosa voce nunquam in colloquio uti.

Desiderare perpetuas cruces, et auctores earum tenere diligere propter Deum.

Eligere in omnibus id, quod est perfectius, et inter aeque perfecta, id quod magis displicet amori proprio.

Fidelem Deo esse, etiam in parvis, nullam parvam legem vel regulam transgrediendo.

Gratis Deo servire, omnia faciendo ex amore benevolentiae, sine intuitu praemii.

Humiliare se infra omnes homines et daemones.

Interpretari bene omnia aliorum dicta et facta, et intentiones.

---

[1]) De obedientia, c. XVI post init. (pag. 332 I. A. II).

Laudare omnes aliorum res, quae non sunt manifesta peccata.

Meliorum conversationem quaerere, et conari ut meliores evadant ii, cum quibus conversaberis.

Nihil accipere vel dare sine facultate; ne quidem indivisibile (si religiosus es), et Nunquam irasci.

Orationes sine ullo peccato Deo offerre, easque ad morum tuorum emendationem dirigere.

Profectui perpetuo in virtutibus attendere.

Quaerere Deum explicite in omnibus rebus, dicendo: «propter te Domine», saltem mente.

Resignare Deo et Superioribus tuum liberum arbitrium, ut nil detrectes, nil eligas, nisi iuxta eorum voluntatem.

Silentio premere mala quae pateris, et bona quae facis, nisi certa necessitas aliud suadeat.

Temporis omnes particulas bene expendere in rebus meritoriis, et tibi convenientibus.

Vivere in communitate irreprehensibiliter, et sine singularitatibus, alios merito offendentibus.

Zelare pro Dei honore propagando, et zelum attemperare, iuxta praescriptum rectae rationis et voluntatis superiorum.

CAPUT XXX.

Modus dicendi brevem Coronam, quando quis habet Caput fatigatum, aut meditari non potest, sive in Itinere, sive in Infirmitate, sive aliquo alio Tempore.

Accepta in manus corona seu rosario precario, et facto signo Sanctae Crucis, percurre singulos

globulos, cum pio mentis affectu et fervore et attentione, dicendo:

1-mo. «Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto».

2-do. Eodem modo ad singulos globulos coronae, percurrendo totam, dicito: «Laus tibi Christe».

Et sic deinceps infrascriptos versiculos, vel alios, ad quos magis afficeris, excerptos ex Psalmis, vel ex Evangelio, aut aliis Scripturae libris, vel ex precibus ecclesiasticis, quae in missali, vel breviaro Romano habentur.

Mihi placent infra scripti versiculi; quia continent praecipuos et maxime nobis necessarios affectus erga Deum, et sunt hi:

3-tio. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.*

4-to. *Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.*

5-to. «Spiritus Sancti gratia illuminet sensus et «corda nostra».

6-to. «Divinum auxilium maneat semper no-«biscum».

7-mo. *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.*

Intelligendo per «spiritum», dum hoc dicis, duo: *Primo,* statum spiritualem animae, ut sit bonus, et sanctimonia plenus, per quam reddaris vere homo spiritualis, et Deo valde charus. *Secundo,* intelligendo animam, et hoc versiculo commendando Deo felicem eius egressum futurum, tempore mortis.

8-vo. *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.*

9-no. «Miserere nostri Domine, miserere nostri», vel: «Miserere mei Deus».

10-mo. *Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.*

11-mo. «A peste, fame et bello, libera nos Do-«mine».

12-mo. «Requiescant in pace»: pro animabus purgatorii.

13-tio. *Deus propitius esto mihi peccatori.*

14-to. «Qui plasmasti me miserere mei». Induendo quodammodo personam, et humilem affectum Thaidis, paulo post commemorandum.

15-to. *Sit nomen Domini benedictum ex hoc, nunc et usque in saecula.*

16-to. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.*

17-mo. Tempore paschali, ad singulos globulos dicendum est: *Alleluia.*

18-vo. «Omnia Deo»: dicendum est ad singulos parvulos, — ad maiores vero globulos, quos tangendo dum dicimus coronam ordinariam Deiparae, solemus dicere orationem Dominicam, in hac parva corona, dicenda sunt haec quatuor verba: «Adscribo», «Commendo», «Offero», «Resigno»; intelligendo ea hoc sensu:

«Adscribo» tibi Domine omnia bona, quae habeo, tanquam a te mihi sine meis meritis data.

«Commendo» tibi omnes meas et aliorum necessitates, tam vivorum, quam mortuorum.

«Offero» tibi me, et omnia mea in obsequium tuum, ex amore tui, et sanguinem ac merita omnia

Christi: pro peccatis nostris, et pro beneficiis tuis, et pro necessitatibus nostris, ad laudem et gloriam tuam.

«Resigno» me tibi et omnia mea, ad voluntatem tuam, et Superiorum meorum. Tali orandi modo utebatur, S. David Profeta; nam psalmo CXXXV. septies et vities haec verba repetit: *Quoniam in aeternum misericordia eius:* Et Christus Dominus in horto iterabat haec verba: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non mea sed tua voluntas fiat* [1]). Et David psalmo ultimo, in quinque eius versibus, undecies nos ad Deum laudandum invitat.

Tali etiam orandi modo utebatur S. Franciscus, tota nocte nil aliud dicens quam haec verba: «Deus «meus et omnia».

Noster Pater Didacus Martinez, Peruani regni vocatus apostolus, miraculis clarus, quotidie dicebat 400-tis et 600-tis quandoque vicibus: «Gratias Deo», vel, «Deo gratias». Et ut alii idem facerent, suadebat dicens: «Nullam aliam orationem esse brevio«rem, et magis divinis oculis acceptam». Actus vero amoris quotidie multorum millium vicibus eliciebat, ut scribitur in Relatione pro eius canonisatione impetranda, facta.

Noster Pater Iacobus Cerrutus Italus, ter millies quotidie vota renovabat: oblationes vero, et gratiarum actiones, ad eum numerum perveniebant,

[1]) Matth. XXVI. 39; Luc. XXII. 42.

quem solus Deus nosset; semel 24000-ia vicibus, vota renovavit.

Huc spectat mos subditorum P. Consalvi Sylveriae martyris, de quibus in eius vita scribit Nicolaus Godignus [1]). «Erant, inquit, qui brevi oratiuncula «decies millies in die augustissimum Trinitatis auxi«lium invocarent. Erant etiam qui certas alias pre«ces, percursis rosarii globulis toties recitarent.»

Similiter et S. Thais, olim meretrix, edocta a S. Paphnutio Abbate, ne ob foeditatem peccatorum usurparet Sanctum Dei Nomen, cum ab eo quaesivisset orandi formulam (post suam conversionem), hanc ab eo edocta, et nullam aliam, toto triennio, et animo et ore agitabat: «Qui plasmasti me, mise«rere mei»; adeoque placuit Deo haec simplex, et una sola conversae peccatricis oratio, ut cum exacto triennio S. Paphnutius consuluisset S. Antonium, an illi peccatrici essent condonata peccata: S. Antonius convocato suorum discipulorum coetu, iubet eos orationi instare, ut Deus patefacere dignaretur quod Paphnutius scire optabat. Orantibus illis, S. Paulus simplex, S. Antonii discipulus, vidit in coelo erectum cubile, auro gemmisque praefulgens, ad cuius custodiam, quasi excubabant quatuor puellae virgines, augusta specie et miri decoris. Sed dum cogitaret, hoc coeleste cubile praeparatum esse suo magistro Antonio, quo praestantiorem virtute, sciebat neminem, inter haec voce coelitus delapsa monetur: «Non Antonio, hanc gloriam, sed Thaidi

[1]) Lib. III. c. 10.

esse praeparatam». Quod dum Paulus retulisset, cognita Dei voluntate Paphnutius discessit, et reversus ad monasterium, in quo fuerat Thais inclusa, ostium, quod plumbo signaverat et obstruxerat, dissipavit, et Thaidi petenti, ut adhuc diutius ita permaneret inclusa, dixit: «Egredere, quoniam «remisit tibi Deus peccata tua». Et cum eam inde eduxisset, quindecim diebus tantum vixit Thais, et sancte quievit. Ita scribitur in Vitis Patrum [1]), et in Menaeis et Menologio Graecorum [2]). Sic Gregorius Lopez laicus saecularis Hispanus, magna sanctitatis fama celebris, a Deo edoctus, ad singulas respirationes dum vigilaret, etiam dum comederet et biberet, ac cum hominibus loqueretur, haec verba mente dicebat per triennium: «Fiat vo«luntas tua sicut in coelo et in terra, Amen, Iesus». Quae etiam noctu evigilans repetebat, uti scribit eius familiaris presbyter Franciscus Lossa [3]), aitque eum haec verba volutasse ad singulas suas respirationes per integrum triennium dum vigilaret.

Sic etiam multo ante, hanc orandi formulam commendaverat Christus Dominus S. Birgittae. «Vos, «inquit, omnem voluntatem mihi committite, et di«cite: *Fiat voluntas tua*» [4]).

Et alloquens S. Catharinam Genuensem, ei dixit,

---

[1]) Lib. I. sub fine (P. l. LXXIII.661); [Boll. t. LII. pag. 225]. [2]) Die 8. Oct. [3]) Cap. III. eius vitae impressae Ulyssiponae, anno 1615. [4]) Revel. l. II. c. 28 ipse finis (pag. 150 L).

ut recitans orationem Dominicam, in ea pro fundamento acciperet illa verba: *Fiat voluntas tua.*

S. Basilius suadet peccatori, ut ad imitationem Chananeae, identidem inclamet illud: *Miserere mei Fili David.*

S. Chrysostomus ponderans efficaciam orationis eius, qua impetravit Anna prolem in sua sterilitate, et verba illa: *Cum multiplicaret preces coram Domino* (I. Reg. I. 12); «quae est, inquit, hic verbo«rum multitudo?... Assidue sonabat, eadem dicens: «*Adonai, Kyrie, Eloi Sabaoth,* nec destitit iisdem «verbis iterandis multum temporis absumere» [1]).

Et alibi idem S. Chrysostomus, excitans etiam saeculares ad orandum, in foro inter turbas, saltem mente, sine voce: «Dic, inquit, in mente, *Miserere «mei Deus,* et absolvisti precationem. Qui enim «dicit, *Miserere,* confessionem offert, et peccatum «suum agnoscit; lapsorum enim est, misericordiam «requirere. Qui dicit, *Miserere mei,* remissionem «delictorum accepit: qui enim misericordiam con«secutus est, non punitur. Qui dicit, *Miserere mei* «regnum coelorum obtinuit. Quem enim Deus mi«seretur, non a poena solum liberat, sed futurorum «etiam bonorum possessione dignatur» [2]).

De S. Marcella scribit S. Hieronymus [3]), eam sem-

---

[1]) De Anna Ser. II. n. 2 in medio (P. gr. LIV. 645). [2]) De Anna ser. IV n. 6 init. (P. gr. LIV. 667). [3]) Epist CXXVII. (ad Principiam) n. 4 initium (P. l. XXII. 1089).

per cantasse illud Psalmi: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

S. quoque Philippus Nerius hunc suis discipulis coronam recitandi modum tradebat, et ipse in more habebat: ad singulorum globulorum contactum, brevissimas iterare sententias, pios affectus erga Deum et Beatam Virginem Mariam exprimentes; ut scribunt in eius vita Gallonius [1]) et Baccius [2]). Et quod magis est, a coelitibus hic modus dicendae coronae discendus est: quia ut scribitur: *Requiem non habebant die ac nocte, dicentes: Sanctus Sanctus Sanctus* [3]).

«Crebra enim eiusdem sententiae repetitio, in«quit S. Augustinus, non quasi narrantis necessita«tem, sed affectum exultantis ostendit: sic enim «loqui gaudentes solent, ut non eis sufficiat semel «enunciare quod gaudent» [4]).

Vim quoque multiplicem, et spiritualem fructum afferre recitationem illius versiculi: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina,* fuse ostendit Cassianus [5]). Quem saepe iterare solitam S. Catharinam Senensem, scribit in eius vita B. Raymundus. Et S. Philippus Nerius id quoque commendabat suis. Porro quamvis in tali recitatione coronae, possint cum fructu et cum

---

[1]) «Pag. 279»; (Boll. t. XIX. pag. 505 D E). [2]) Lib. II. c. II. n. 3 et 4; (Boll. t. XIX. pag. 548 D E). [3]) Apoc. IV. 8. [4]) Enarr. in psal. VI. n. 11 (P. l. XXXVI. 95). [5]) Collat. X. c. 10 (P. l. XLIX. 832 B).

merito proferri piae sententiae et orationes iaculatoriae a nobis ipsis excogitatae, tamen ceteris paribus, melius est uti potius sententiis Scripturae, uti suadent S. Basilius [1]), et S. Gregorius Nazianzenus; vel iis, quibus Ecclesia in Officio divino utitur, nos quoque utamur. Tales enim oratiunculae et sententiae praestantiori modo quam nostrae, sunt a Spiritu Sancto inspiratae, et a Sanctis scriptae. Quocirca, uti ponderat S. Gregorius Nazianzenus, ex hoc capite sunt magis acceptae Deo et Sanctis, qui eas tanquam a se factas agnoscunt.

Eodem modo quo brevibus versiculis (tangendo globulos coronae) prolatis honoratur Deus, potest honorari Beatissima Virgo Maria, dicendo haec vel similia verba (iuxta devotionem cuiusque) affectu filiali, tanquam dilectissimam matrem Nostram alloquendo: «Sancta Maria Virgo purissima, et Mater «Dei sanctissima, ac gloriosissima, ora pro nobis». Et hanc formulam verborum valde commendo, quia continet in se praecipua privilegia, quae divinitus accepit: tum Maternitatem cum inviolata Virginitate, tum summam Sanctitatem et gloriam in coelo, qua a nullo Sancto superatur, sed solum a Deo et Christi humanitate.

Potest etiam dici illud ex litaniis ecclesiasticis desumptum, quod B. Virgini Mariae esse valde acceptum, revelatum est divinitus nostro P. Iacobo Rhem [2]): «Mater admirabilis ora pro nobis».

---

[1]) Const. mon. c. I. n. 2 (P. gr. XXXI. 1330 A); epist. CCVII n. 4 (XXXII. 763 C). [2]) «Ann. Societ.»

Et in festis Sanctorum, vel quotidie per mensem, potest invocari ille Sanctus percurrendo coronam, qui eo die colitur in Ecclesia ecclesiastico Officio, et qui nobis obtigit in scheda, quae in Societate nostra et in Congregationibus B. Virginis Mariae solet distribui singulis mensibus.

Sic etiam quando sunt aliquae peculiares necessitates, possunt eodem modo invocari varii Sancti. Verbi gratia, tempore pestis: «S. Sebastiane», vel, «S. Roche, ora pro nobis», in itinere: «S. Raphael «ora pro nobis». Tempore belli: «Omnes Sancti mi«lites orate pro nobis».

Hae autem omnes oratiunculae, cum breves sint, possunt hoc ut dictum est, modo, coronae globulos tangendo, dici in summis occupationibus et distractivis negotiis, interrumpendo illarum recitationem sine ullo scrupulo (quia id licet), et prolata aliqua re necessaria, vel ordinata, iterum redeundo ad coronae continuationem. Et hunc orandi modum, in summis occupationibus, etiam distractivis, et in foro, suadebat S. Chrysostomus his verbis: «Ne «mihi dicat quispiam, quod nequeat homo saecula«ribus affixus et foro, continue per diem orare»... (non «tantum una vel altera hora, uti nos facimus), «potest «enim, et quam facillime... et affixus tribunali... «Ubicumque sis, potes altare tuum constituere... si «mentem tantum ferventem exhibeas, orationis per«fectionem consumaveris. Ubicumque sis, ora, tem«plum es, ne locum quaeras, non enim locum Deus «veretur, sed unum exquirit, – fervidam mentem et

«continentem animum» [1]). Similia docet S. Basilius [2]). Et Beata Clara de monte Falco, Deo inspirante, eum quotidie millies adorabat, genuflectendo toties, et totidem orationes iaculatorias offerendo, ut scribit in eius vita Baptista Pergilius [3]).

«Interrogaverunt quidam Abbatem Macarium di-«centes: Quomodo debemus orare. Et dixit eis se-«nex: Non opus est multum loqui in oratione, sed «extendere manus frequenter, et dicere: «Domine ««sicut vis et scis, miserere mei». Si autem instat bel-«lum in animo, dicere: «Adiuva me». Et quia ipse scit «quae expediant, — faciet misericordiam nobiscum» [4]).

De talibus orationibus brevissimis, intelligendum est id quod in «Vitis Patrum» legimus: «Narrave-«runt fratres dicentes, quia venimus aliquando ad «quosdam senes, et cum ex more facta esset ora-«tio, salutantes invicem sedimus, et postquam locuti «sumus, cum discederemus, poposcimus ut fieret «rursus oratio. Dixit autem unus illorum seniorum «ad nos: «Quid enim, non orastis»? Et nos diximus: ««Etiam, sed cum intravimus, Pater, tunc facta est ««oratio, et ex illa hora usque modo locuti sumus». «Et ille dixit: «Ignoscite mihi fratres, quia vobiscum ««sedens quidam frater et loquens, centum et tres ora-««tiones fecit». Hoc cum dixisset, facta oratione dimi-«serunt nos» [5]).

---

[1]) Hom. ad pop. LXXIX (pag. 406 C edit. Parisiensis). [2]) Homil. in mart. Iulitt. n. 3 et 4 passim (P. gr. XXX. 242 — 3). [3]) «1. p. c. 6 fin.» [4]) Vitae Patrum, l. III. n. 207. (P. l. LXXIII. 806 B). [5]) Ibid. l. V. libell XII. n. 15 totus (Ibid. columna 943 B).

CAPUT XXXI.

De Modo colendi Deum per bonam Vitam.

Sunt quidem boni modi colendi Deum ii, quos supra recensui, sed nisi adsit vita bona, sunt sicut pulcherrimi rami ab arbore praecisi, et elegantissimi flores a radice sua avulsi; qui cito flaccescunt et arescunt, ideoque non diu durant.

Quaeres, quid sit bona vita? Respondeo, vitam bonam esse: *Declinare a malo, et facere bonum* [1]) ut ait Spiritus Sanctus per S. David; hoc est, ut docuit S. Tobias senex Tobiam iuniorem: *Cavere, ne aliquando peccato consentias, et praetermittas praecepta Domini Dei tui* [2]). Seu, bona vita est, nulla committere peccata quae Deus vetuit per se et per Superiores S. Ecclesiae, et nulla bona omittere quae Deus per se et per eosdem in S. Ecclesia Superiores praecepit. Et hae sunt iustitiae seu virtutis partes, ut docuit S. Augustinus [3]), et quidem, ut ait S. Thomas, partes «quasi integrales». [4] Sola enim vita bona erit melior Dei cultus, magis Deum laudans et glorificans, quam multae verborum preces et devotiunculae feminarum, vita bona destitutae. Ideo magnus est error illarum devotarum, quae aliquot horis in templo quotidie orando transactis, putant se per hoc christianae vitae sa-

---

[1]) Psalm. XXXVI. 27. [2]) Tob. IV. 6. [3]) De corrept. et gratia c. I. n. 2 (P. l. XLIV. 917). [4]) II.II^{ae} q. LXXIX. a 1. ⊙.

tisfecisse officiis; et dum domum redeunt, si vel prandium paratum non inveniant, vel aliquid a famulis vel ancillis no bene factum, in furorem actae, illis pessima quaeque imprecantur, immisericorditer flagellant, et tanquam rabidi canes totam domum perturbant latratibus intemperantis linguae. Satius enim illis fuisset, spontaneas omisisse preces, et in occasionibus oblatis Deum offendendi immoderata ira et odio et maledicentia, os sancto Dei timore fraenare. Idem iudicium esto de similibus talium devotulorum peccatis et bonorum operum omissionibus. Quae opera dum frequentantur ex Dei vel ecclesiasticorum Superiorum praeceptis, etiam tacente lingua et nil orante, sunt praestantissima oratio et Dei cultus valde Divinae Maiestati acceptus. Ut enim ait S. Chrysostomus, «multo fidelior «et certior doctrina operum quam sermonum. Nam «qui talis est, etiam silens, et cum non videtur, «docere potest: et alios quidem qui illum vident, «alios vero qui de illo audiunt: et multa fruetur «Dei gratia, cum efficiat, ut non solum per se, sed «et per alios qui illum vident, Dominus suus glori«ficetur. Talis, per mille linguas et ora multa, gratias «et laudes offeret Deo» [1]). Sic, ut idem ait alibi, «coeli taciti Deum laudibus prosequuntur, cum coe«lesti facie homines ad Divina praeconia invitant, «et dicuntur Deo laudem pronunciare: sic et qui «vitam duxerint puriorem, vel ore silenti Deum

[1]) In Genes. hom. XIII. n. 4 ante finem (P. gr. LIII. 110).

«extollere videbuntur, quando sui exemplo, et reli-«giosos homines, eundem ut laudibus efferant pelli-«ciunt. Siquidem Deus non tantum admirationis et «laudis in coelesti hac formata machina vindicat, «quantum gloriae sibi, ex optimis huius vitae hu-«manae actionibus comparat».[1]) Ideo, ut monet B. Laurentius Iustinianus, «intendat unusquisque Deum «in verbis, in moribus, in conversatione, et cunctis «operibus suis exhibere laudabilem. Plane nullum «hoc sacrificium maius, nullaque oblatio est ista accep-«tior. Per hanc utique, sancti homines spiritualibus «charismatibus decorati, Deo placere studuerunt, «ipsius gloriam et honorem nominis eius, merce-«dem propriam arbitrantes» [2]). Et talem Deum colendi modum bona vita petimus, dum in oratione Dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Quod explicans S. Gregorius Nyssenus ait: «Ne «propter vitam meam nomen Dei male audiat, sed «glorificetur et sanctificetur in me, *ut videant* ho-«mines *bona opera et glorificent Patrem qui est «in coelis* (Matth. V. 16).... Vi horum verborum «haec orat: «Auxilii tui praesidio atque adiumento ««fiam irreprehensibilis et inculpatus, iustus, pius; ««abstineam ab omni malo facinore, loquens id quod ««verum, faciens quod iustum sit, in rectitudine am-««bulans, temperantia illustris, integritate decoratus, ««sapientia atque prudentia ornatus, ad superna aspi-

[1]) Hom. ad pop. XXV (pag. 192 D. edit. Paris. sed alia versio. [2]) De instit. et reg. praelat., Prologus, (pag. 229 I. t. II.

«rans, terrena despiciens, institutis vitae angelicae «clarescens». Non enim aliter per hominem Deus glo«rificari potest nisi virtus eius testetur, Divinam «potentiam atque virtutem esse causam bonorum»[1]).

Ideo Sancti Patres [2]) docent, eum qui semper bonam vitam per bona opera sectatur, «semper orare», et satisfacere illi Christi dicto: *Oportet semper orare et non deficere* [3]), et Apostoli Pauli: *Sine intermissione orate* [4]). Quin ipse Deus Pater S. Catharinae dixit: «Praeter hanc orationem de«bitam, omnia quaecumque facit in charitate Dei et «proximi constitutus,... totum vocari potest oratio «continua: quia... non cessat orare, qui non cessat «bene facere» [5]). Et ipse Seneca hoc agnovit, cum scripsit: «Vis Deum propitiare? bonus esto; satis «illum coluit quisquis imitatus est» [6]); scilicet virtutes Dei et impeccabilitatem eiusdem.

Quamvis autem semper bona hominis vita sit excellens Dei cultus, magis tamen accepta est Deo,

---

[1]) De Oratione Dom., orat. III. (P. g. XLIV. 1154 C. et 1155 A). [2]) *S. Basil.* Hom. in mart. Julitt. n. 4 (P. g. XXXI. 243 D); *S. Laur. Iust.* Lign. vitae, de orat. c. VI in fine (pag. 89 II. t. I); *S. Cassianus*, Coll. IX. c. 6 (P. l. XLIX. 778 B); *S. Aug.* Epist. CXXX. (Ad Probam), c. IX. n. 18 et 19 (XXXIII. 501); *Idem*, Enarr. in Psal. XXXIV. ser. II. n. 16 (XXXVI. 541); et Enarr. in Psal. CXLVI n. 1 et 2 (XXXVII. 1899); *S. Thom.* II.II^{ae} q. LXXXIII. a. 1. ⊙; et q. CLXXXII. a. 3. ⊙; *S. Hilar.* Tract. in Psal. I. n. 7 (P. l. IX. 254 AB). [3]) Luc. XVIII. 1. [4]) I. Thess. V. 17. [5]) Dial. c. LXVI. ante fin. [6]) Epist. XCV. v. 50 fin.

dum iis temporibus viget quando alii, ex perversa saeculi consuetudine, magis solito offendunt Deum, uti fit in bacchanalibus et diebus festis; et dum in unione meritorum et operum Christi bona quae facimus Deo offerimus. Qua de re extat praeclara historia apud S. Gertrudem. «Apparuit enim ei Dominus «Iesus, sedens in throno gloriae suae, et S. Ioannes «Evangelista sedebat secus pedes Domini, scribens. «Tunc ista interrogavit eum quae scriberet. Cui «respondens Dominus ait: «Ego singula obsequia ««hesterno die a Congregatione ista mihi impensa, ««et adhuc per duos dies subsequentes» (erant dies bacchanaliorum) «impendenda, in hac facio charta ««diligenter annotari, in illum finem, ut cum ego (cui ««Pater omne iudicium dedit) unicuique post mortem ««suam fideliter reddidero mensuram bonam pro sin-««gulis laboribus operum suorum bonorum, et insu-««per addidero mensuram confertam ex fructu meae ««saluberrimae passionis et mortis (unde omne ho-««minum meritum mirifice nobilitatur), ducam eos ««cum hac charta ad Patrem, ut et ipse ex omnipo-««tentia paternae benignitatis superaddat eis mensu-««ram coagitatam et supereffluentem, pro beneficiis ««istis mihi in hac persecutione (qua nunc a mun-««danis infestor) benigne impensis. Quia cum ego ««sim fidelissimus omnium, multo minus possum ««omittere, quin recompensem benefactoribus meis ««bona, quam rex David, qui quamvis tempore ««vitae suae non praetermisit benefactoribus sibi, con-««gruis beneficiis respondere, tamen cum appropin-««quasset dies mortis eius, et commisisset regnum

«in manu filii sui Salomonis, dixit ei: «Filiis Berzellai, «Galaaditis facias gratiam, eruntque comedentes in «mensa tua, quia occurrerunt mihi cum fugerem «a facie fratris tui Absalonis». Quia sicut a quoli- «bet magis acceptatur beneficium exhibitum in ad- «versitate, quam in prosperitate; sic et ego magis accepto fidelitatem illam, quae mihi exhibetur tem- «pore isto, quo mundus plus peccando, me infestat». «B. itaque Ioannes sedens et scribens, videbatur quan- «doque calamum intingere in cornu quod manu te- «nebat, et ex eo literas nigras conscribere. Quan- «doque vero intingens calamum in vulnus amatorium «lateris Iesu, quod coram se apertum patebat, et «exinde roseas literas faciebat, distinguens eadem «rubea scripta, partim nigro colore partim aureo. «Intellexitque ista, per ea quae nigro colore erant «scripta, designari opera illa quae ex usu faciunt «quique religiosi, ut est ieiunium, quod ab omnibus «religiosis communiter in hac secunda feria inchoa- «tur, et similia. Per illa vero quae roseo colore erant «conscripta, designari opera illa, quae fiunt in me- «meriam Passionis Iesu Christi, pro emendatione «Ecclesiae, affectu speciali. Per hoc vero, quod eadem «rosea scripta, partim erant nigro colore, partim «aureo distincta, intellexit, quod illa quae in memo- «riam Passionis dominicae fiunt tali intentione, quod «ille qui ea facit, desideravit per ea gratiam Dei «obtinere, vel similia quae propriae cedunt saluti, «ab aliis describuntur colore nigro. Illa quoque quae «fiunt ita pure ad laudem Dei in unione Passionis «Christi, et ad salutem universitatis quod omnino

«abrenunciat quis omni merito, praemio et gratia, «ut saltem possit Deo laudem et amoris exhibitio- «nem offerre, describuntur aureo colore: quia quam- «vis praedicta opera copiosam apud Deum obti- «neant remunerationem, illa tamen quae fiunt pure «pro amore laudis Dei, multo maioris sunt meriti «ac dignitatis, et insuper conferunt homini in infi- «nitum maius augmentum salutis aeternae. Reco- «gnovit quoque, post binas distinctiones ubique locum «vacantem. Et cum perquireret a Domino, quid per «hoc notaretur, respondit: «Cum moris sit apud vos, «mihi tempore isto devotis semper desideriis et ««orationibus in memoriam meae Passionis adesse; ««singulas cogitationes et verba quibus mihi deservi- «tis diligenter feci conscribi. Locus vero vacans, «designat quod opera bona quae facitis, non habe- «tis in usu facere in memoriam Passionis meae». «Tunc illa: «Et quomodo, inquit, amantissime Deus ««hoc possemus tibi laudabiliter perficere»? Respon- «dit Dominus: «Ut omnia quae facitis in ieiuniis, ««vigiliis, ceterisque regularibus disciplinis, faceretis ««in unione meae Passionis. Et quandocumque ab ali- ««qua re abstinueritis in visu, auditu, verbo, aut ««similibus, semper illud offerretis mihi in unione ««illius amoris, quo ego omnes sensus meos continui ««in Passione mea. Licet enim vel unico intuitu ««potuissem terruisse omnes mihi adversantes, vel ««unico verbo convicisse falsi omnes mihi contra- ««dicentes, ego tamen tanquam ovis, quae portatur ««ad victimam, inclinato humiliter capite, oculisque ««depressis in terram, coram iudice non aperui os

«meum ad respondendum vel unicum excusationis «verbum, contra tot falsas querimonias mihi obie«ctas». Tunc ista: «Doce me Doctor optime unum «saltem factum quod specialiter in memoriam Pas«sionis tuae, possimus perficere» Respondit Do«minus. «Hoc ergo accipe, ut orantes expansis ma«nibus, formam meae Passionis Deo Patri proten«datis, pro emendatione universalis Ecclesiae, in «unione illius amoris quo ego in cruce manus ex«pandi». Et illa. «Si quis hoc facere vellet, oporte«ret eum angulos quaerere, eo quod iste modus non «habeatur in usu». Ad quod Dominus: «Hoc ipsum «studium quaerendi angulos mihi complaceret, et «opus illud exornaret, velut gemmae monile peror«nant». Et adiecit Dominus: «Si quis hoc in usum «duceret, quod palam expansis manibus orans, «nullius in hoc contradictionem expavesceret, ille «tantum mihi honoris exhiberet, quantum ille regi «defert honoris, qui ipsum solemniter inthroni«zat» etc. [1]).

Et multo ante haec sancta, dies bacchanaliorum traducebantur, qua de re haec ipsa scripsit: «Dum «cantaretur introitus Dominicae Quinquagesimae: «*Esto mihi in Deum protectorem*, dedisti mihi in«telligere, quod tu o Unice cordis mei a diversis ho«minibus convitia et persecutiones passus, per verba «praedicti introitus expeteres a me domicilium cor«dis mei ad requiescendum in eo. Hinc per illos «tres dies» (bacchanaliorum) «quoties ad cor meum

[1]) Insin. div. piet. l. IV. c. 16 (pag. 470).

«redii, videbaris mihi ad similitudinem languentis «supra pectus meum decumbere. Per totos etiam «illos tres dies, nihil investigavi quo tibi gratiorem «refectionem possem ministrare, quam ut oriationi-«bus, silentio, et ceteris afflictionibus, pro emen-«datione mundanorum hominum insudarem pro tuo «honore» [1]).

Denique, ad modum colendi pie Deum, spectant praeclara, et plus quam aurea monita S. Ioannis Chrysostomi, qui explicans illam sententiam S. Pauli Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite*, varios practicos modos proponit Deum pie colendi et glorificandi per bonae vitae actiones et necessarias omissiones, hoc est, modos declinandi a malo et faciendi bonum. «Licet, inquit, ad glo-«riam Dei obiurgare. Licet etiam ad Dei gloriam «corrigere, quemadmodum erga servos nostros saepe «animo commovemur. Quomodo autem licet propter «Deum obiurgare? Si ebrium aut furentem videris «vel servum, vel amicum, vel alium quempiam vi-«cinum tuum, aut in theatrum currentem, aut ani-«mam suam ipsius perdentem, aut iurantem, aut «peierantem, aut mentientem, stomachare, punito, re-«voca, corrige, et haec omnia propter Deum fecisti. «Si erga te peccantem videris, aut aliquam officii «partem erga te sui praetermittentem, remitte hoc «ei, et remisisti propter Christum. Nunc vero multi «contra faciunt, cum erga amicos, tum erga servos; «quando enim erga se alii peccant, acerbi, inexora-

[1]) Insin. div. piet. l. II. c. 14. (pag. 117).

«bilesque sunt iudices: quando autem in Deum con-«tumeliosi sunt, et suas ipsorum perdunt animas, «nullam eius rei rationem habent. Amici tibi acqui-«rendi sunt? propter Deum capito. At quomodo «amici et inimici propter Deum acquirendi sunt? «Si non amicitias illas colligamus unde pecunias «cogere, convivia agitare, imperia consequi poteri-«mus: sed illos prosequamur et acquiramus amicos, «qui mentem nostram moderari, praecipere honesta, «peccantes increpare, delinquentes arguere, supplan-«tatos erigere, consilio ac precibus opem ferre, et «ad Deum adducere possunt. Rursus inimicos licet «facere propter Deum. Si videris aliquem intempe-«rantem, nefarium, nequitiae plenum, opinionibus «impuris refertum, supplantantem te ac nocere cu-«pientem, recede, et resilias ab illo. Sic enim Chri-«stus iubet: *Si dexter oculus offenderit te, extrahe «eum et abiice abs te* (Matth. V. 29). Hoc nempe «praecepit, ut amicos quos aeque ac oculos charos «habes, et ad omnem vitae usum necessarios, si ad «animae salutem impedimentum afferant, amputes «et abiicias. Si in coetum hominum prodieris, et «verba multa cum aliis feceris, propter Deum hoc «facito: si tacueris, propter Deum taceto. At quo-«modo in coetu versari propter Deum licet? Si cum «aliis sedens, non de rebus externis disseras, neque «de his quae nobis plane parum, aut nihil condu-«cunt, sed de religione nostra, de gehenna, de regno «coelorum, non autem de rebus inanibus aut super-«vacaneis, cuius generis haec sunt: Quis magistra-«tum iniit? Quis magistratu abiit? Qua de causa

«hic mulctatus est? Unde ille tantum lucratus sit, «et locupletatissimus evaserit? Quid ille huic re- «liquerit moriens? Quomodo ille ab haereditate «abfuerit, cum in primis haeredibus se adscriben- «dum putaverit? ac multa alia his similia. De his «rebus autem neque nos communicemus, neque «alios communicare permittamus. Sed consideremus «potius quibus dictis aut factis Deo placebimus. «Rursus poteris propter Deum silere, exagitatus, «violatus, infinita mala passus, — si feras generose, et nulla maledicta referas illi qui haec designavit. Non autem laudare solum et vituperare, nec domi «manere aut foras ire, non loqui aut silere, sed «etiam flere, dolere, et laetari quoque ad gloriam «Dei licet. Quando enim vel fratrem videris pec- cantem, vel te ipsum in peccatum aliquod delapsum, «deinde ingemiscas, ac animo moereas, haud poeni- «tendam salutem ex hoc lucrifecisti: quemadmo- «dum Paulus ait: *Qui secundum Deum dolor est, «salutem haud poenitendam efficit* (II. Cor. VII. 10). «Si florentem alterum videas, nolito illi continuo «invidere, sed Deo qui tam praeclarum effecit fra- «trem tuum, perinde ac de propriis bonis gratias «agito, et huius laetitiae permagnum habes fructum. «Quid enim invidis hominibus est miserabilius, qui- «bus cum liceat gaudere, et fructum laetitiae suae «capere, ipsi tamen mallent propter alienas felici- «tates dolere, et cum dolore ipso poenam a Deo «et supplicium intolerabile arcessere Ceterum quid «laudes et vituperationes, dolores et laetitias com- «memoro? ubi etiam a levissimis rebus et villissi-

«mis maximas utilitates percipiemus, si propter Deum ipsum eas faciamus? Quid enim est tonsione «crinium vilius? Hoc tamen licet propter Deum «facere. Quando enim comam non composueris, «neque vultum tuum ornaveris, neque te ad illece«bras ac lenocinia eorum qui te intuentur composu«eris, sed inculte atque horride, et quantum usus «fert te ipsum apparaveris tantum, propter Deum «fecisti, et eius mercedem reportabis, tum quia cupiditatem repressisti malam, tum quia ambitionem importunam coërcuisti. Si enim qui poculum fri«gidae solum dat propter Deum, regni coelorum «haereditatem adibit (Matth. X. 42): qui omnia «fecerit propter Deum, considera quantam habebit «compensationem? Quin et propter Deum ingredi, «et propter Deum intueri possumus. At quomodo «intueri et ingredi propter Deum licet? Quando «non ad improbitatem curris: quando non in alie«nam pulchritudinem nimis inquiris: quando mu«lierem occurrentem videns, refraenas oculos, et «timore Dei propter Deum, munis aspectum: quando «non preciosis vestibus et delicatis, sed his quae «tegere nos satis possunt, induimur. Sed et ad imos «usque calceos demittere hunc morem licet. Eous«que enim mollitiei luxusque delapsi sunt multi, ut «et calceos exornent, et omni ex parte aeque ac «faciem suam alii componant, variare soleant, quod «animae impurae ac depravatae signum est. Quam«quam enim perexiguum hoc esse videatur, tamen «tum in viris, tum in feminis magnum perditae «mentis argumentum et significatio est. Licebit ergo

«et calceis ipsis propter Deum uti, cum omnino «usum quaerimus, et hunc utendorum calceorum «finem habuerimus. In gressu enim et amictu nos «Deum gloria afficere posse, cognosce ex eo quod «sapiens quidam olim dixit: *Vestitus viri, et ri-«sus oris, et incessus pedum, indicant hominem* «(Eccli. XIX. 27). Quando enim honeste vestiti, gravi-«tatis pleni, et multam in omni re gerenda mode-«stiam adhibentes, in aspectum hominum prodimus: «qui infidelis, qui intemperans, qui turbulentus est «vir; is quamquam futilis, atque inconsideratus fue-«rit, tamen primo quoque occursu in aliquem eius «generis hominem intuens, omni illum honore ac «admiratione prosequetur. Si uxorem duxerimus, «propter Deum hoc faciamus: non ut facultates ma-«iores acquiramus, sed ut temperanter vivamus: «animae nobilitatem, non pecuniarum abundantiam «inquiramus: non maiorum splendorem, sed morum «virtutem persequamur et modestiam, vitae sociam «non lenociniorum comitem capiamus. Ceterum «quid opus est omnia commemorare? Licet vobis «ex his quae dicta sunt, singula quae fiunt aut ge-«runtur, percurrere, et omnia propter Deum facere. «Et quemadmodum mercatores navigantes maria «et ad civitates appellentes, non prius abeunt «a portu, et in forum ascendunt, priusquam intel-«ligunt aliquod lucrum esse in mercimoniis: sic nec «tu quidquam facias, nec dicas, nisi lucrum aliquod «habeas secundum Deum. Ne dicas autem, nemi-«nem posse omnia propter Deum facere; quando

«enim calceamenta, caesaries, vestitus, incessus, aspe-
«ctus, verba, consessus, exitus, facetiae, laudationes,
«vituperationes, commendationes, amicitiae, inimi-
«citiae, possunt propter Deum fieri: quid restat, si
«voluerimus, quod non poterimus propter Deum
«facere? Quid carceris custodibus deterius esse po-
«test? Nonne haec vita omnium nequissima esse
«videtur? Licet tamen ei qui velit, inde lucrum
«reportare, quando vinctis parcit, quando iniuste
«in carcerem coniectos curat, et in alienis calami-
«tatibus non negotiatur: quando communis propo-
«nitur omnibus afflictis portus. Ita custos carceris
«Pauli salutem nactus est (Act. XVI. 27. sq.).
«Ex quo satis liquet, quod ex omnibus rebus, si
«voluerimus lucrum facere poterimus.... Qualem
«ergo excusationem habebimus nos, qui dicimus ex
«omnibus rebus lucrifacere, et omnia propter Deum
«nos facere nos posse, cum inveniamus etiam qui
«e caede lucrum fecerunt, uti fecerunt (Num. XXV.
«7, 12; Ps. CV. 30). Si animum advertere volue-
«rimus, sive emendum, sive vendendum sit, per
«omnem vitam spiritualem hanc mercaturam fa-
«ciemus: ut, si tolerabili pretio nihil amplius
«requiramus: si difficultatem annonae nequaquam
«observemus, et tum egentibus divendamus. *Ma-
«ledictus*, inquit, *ille, qui frumenti caritatem
«auget* (Prov. XI. 26). Sed quid oportet singula
«percensere? Uno exemplo omnia colligenda fue-
«rant. Quemadmodum enim aedificatores cum mu-
«rum exstructuri sunt, amussim ab angulo ad an-
«gulum ducunt, atque ita murum pertexunt, ut mi-

«nime inaequalis eius ora existat; sic et nos, pro «amussi verbum hoc adhibeamus, quod apud Apo- «stolum est: *Sive editis, sive bibitis, seu quid «aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite* (I. Cor. «X. 31). Sive ergo precemur, sive ieiunemus: sive «accusemus, sive condonemus: sive laudemus, sive «vituperemus: sive ingrediamur, sive exeamus: sive «vendamus, sive emamus: sive taceamus, sive di- «sputemus: sive aliud quid faciamus; omnia ad «gloriam Dei faciamus. Et si quid ad gloriam Dei «non pertineat, illud neque facto, neque dicto a no- «bis usurpetur. Sed pro baculo magno, pro armis, «pro praesidio, pro thesauris inexplicabilibus, hoc «dictum animo inscribentes, nobiscum, quamcumque «viam ingressi fuerimus, circumferamus, ut omnia «ad gloriam Dei facientes, loquentes, suspicientes, «tum hic, tum post huius vitae peregrinationem, «gloriam ab eo consequamur. Ait enim: *Gloria «afficientes me, gloria afficiam* (Reg. II. 30). Non «dictis ergo, sed factis ipsis illum assidue gloria «afficiamus: quia illum decet gloria ad omnem «aeternitatem. Amen [1]).

CAPUT XXXII.

De Modo colendi Deum per Vitam sanctam.

Quamvis vita sancta sit et dici debeat vita bona, tamen non omnis vita bona, est vita sancta.

[1]) Orat. in Kalendas, n. 4, 5, 6, (P. gr. XLVIII. 958).

Ad vitam enim bonam satis est, si quis Dei, et Ecclesiae, et Superiorum suorum servet praecepta, fugiendo illa, quae sunt sub peccato vetita, et faciendo ea quae sine peccato omitti non possunt. Ad sanctam vero vitam, praeter observationem praeceptorum, requiruntur plura, scilicet: ut homo perfecte vivat, irreprehensibiliter, et quodammodo, divine, ad quod necessarium est, ut homo per Dei gratiam acquisiverit omnes virtutes statui suo convenientes in altissimo gradu et perfectione, quae in hac vita acquiri solet a viris perfectis et valde sanctis, quorum e numero sunt illi, qui a S. Ecclesia sunt honore Canonizationis illustrati, vel in numerum Beatorum relati, seu, ut communiter appellari solent, beatificati, per concessionem Sedis Apostolicae, ut de illis Divinum Officium in eorum anniversariis recitetur, et Sacrificium Missae in eorum memoriam Divinae Maiestati offeratur. Et ita bene S. Chrysostomus, iuxta quorundam [1]) versionem latinam, etsi non plene graecae linguae correspondentem, dixit: «Sanctum, non solum mundatio pec-«catorum facit, sed quaedam eminentia et excellentia «magna virtutum, praesentia Spiritus, et bonarum «operum opulentia» [2]).

In quibus verbis quatuor conditiones omnino necessarias et sufficientes ad vitam sanctam ponit S. Doctor:

---

[1]) *Molin. Carthus.* de Sacerdot., tr. II. c. V. §. 2.
[2]) In Epist. ad Hebr., hom. XVII. n. 5 (P. g. LXIII. 133).

Prima conditio «est vitae puritas, a peccatis libe«ra», quae sic intelligenda est, ut non tantum a mortalibus peccatis libera sit, sed etiam a venialibus plena deliberatione commissis, et indeliberatis, non multis sed raro contingentibus, et non gravibus nec periculosis, prout sunt a me explicata i Opusculo «De gradibus profectus» [1]). Hanc conditionem primam et quasi fundamentum sanctae vitae pulchre expressit S. Dionysius Areopagita: «Sanctitas est ab omni «scelere libera, omnino perfecta, et omni ex parte «immaculata puritas» [2]). Ita vertit noster Balthasar Corderius vir eruditissimus, et de Sanctorum scriptis vulgatis ac docte illustratis optime meritus. Graecus S. Dionysii textus sic habet: *Ἁγιότης ἐστὶν ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντη ἀχραντος καθαρότης.* Quae verba paraphrastes graecus S. Dionysii Pachymera, reddit sic, quasi id sanctum sit, «quod omni labe seu impuritate privatum est». Vetus autem translatio, commentario S. Thomae illustrata sic habet: «Sanctitas, est ab omni immun«ditia libera et perfecta, et omnino immaculata mun«ditia». Que verba Abbas Vercellensis in sua «Literali extractione» sic reddidit: «Sanctitas, est mun«ditia libera ab omni immunditia, et perfecta, et «omnino immaculata». At Ioannes Scotus, sic vertit: «Sanctitas, est omni inquinatione libera, et perfectissima et incontaminatissima puritas». Marsilius vero Ficinus sic reddidit: «Sanctitas, est puritas

[1]) Cap. V. n. 24 et sq. (pag. 765 I. t. I. ed. Ingol. 1724). [2]) De div. Nom. c. XII. (P. gr. III. 970).

«quaedam ab omni scelere libera, atque perfecta et «prorsus incontaminata munditia». Omnes hae versiones bonae sunt, idem in re significant.

Porro S. Thomas explicans hanc S. Dionysii sententiam ait, «in his verbis tres gradus munditiae «designari, qui ad sanctitatem requiruntur. Primus «gradus est, ut aliquis ab aliqua servitute immun«ditiae liberetur. Secundus gradus est, ut sit mun«ditia perfecta: perfectum enim est, cui nihil deest. «Contingit autem quandoque quod aliquis quidem «immunditiae non subiacet, deest tamen sibi aliquid «ad munditiam, in quantum passionibus immunditiae «inquietatur, quae cum tollantur, fit perfecta mundi«tia. Tertius gradus munditiae est, ut sit omnino im«maculata. Maculari enim dicitur, quod non ab in«trinseco sed ab extrinseco inquinatur. Erit ergo «omnium immaculata munditia, cum non solum in «se ipso aliquis puritatem habet, sed etiam nihil est «exterius quod eum ad immunditiam trahere possit. «Et in his tribus munditiae gradibus ratio sancti«tatis perfecte consistit» [1]).

Quae S. Thomae verba non ita intelligenda sunt, quasi sufficiat ad perfectam sanctitatem solum esse liberum a servitute peccati et a passionum perturbatione, et ab externa pronitate, quia et in religione tirones, et in saeculari statu sunt multi innocentes adolescentuli, qui post acceptum usum perfectum rationis haec tria habent, nec tamen vere sunt

[1]) In lib. de div. Nom. c. XII. (pag. 299 I. t. VIII. ed. Ven. 1847).

sancti. Imo in infantibus ante usum rationis, haec triplex munditia magis quam in adultis reperitur, nec tamen illos S. Ecclesia colit eo modo, quo colit Sanctos canonizatos vel beatificatos, eo quod in illis non est ea plenitudo virtutum et actionum a virtute manantium, quae est in viris sanctis, tali ornatis sanctitate, qualem hic inquirimus.

Quocirca bene Ioannes Scotus in elucidatione sententiae S. Dionysii supra allata scripsit: «In viatoribus, sanctitas, est virtutum perfectio, immunitas ab omni mortali, actio virtuosa, undequaque id est ex omni parte perfecta». Sancta enim vita prout hic de ea agimus, praeter munditias supradictas, ut bene dixit S. Chrysostomus, exigit «eminentiam et excellentiam magnam virtutum, et bonorum operum opulentiam, et praesentiam Spiritus» [1]): hoc est, ut Spiritus Sanctus sit per gratiam sanctificantem praesens in eius anima qui vult esse sanctus. Posset enim peccator a peccatis plene conversus, habere tres illos munditiae gradus, a S. Thoma supra commemoratos, nec tamen esse in Dei gratia et habere Spiritum Sanctum inhabitantem per gratiam iustificantem, eo quod peccata relicta nondum contritione vel Dei amore vel Sacramento poenitentiae expiavit.

Secunda ergo conditio, est ad sanctitatem talem de qua hic agimus omnino et simpliciter necessaria, ut qui sanctus, hoc est perfectus esse cupit tali sanctitate quali erant praediti in sanctorum et bea-

[1]) In Ep. ad Hebr. h. XVII. n. 5 (P. g. LXII. 133).

torum catalogum a Sede Apostolica relati, habeat in se et infusas et acquisitas virtutes omnes suo statui convenientes, in valde excelso gradu, quem S. Chrysostomus appellat, «excellentiam magnam «virtutum» [1]).

Porro, qualis sit ista magna excellentia, *primo* cognosci potest ex vitis hominum insignium utriusque sexus, praesertim S. Francisci, S. Dominici, S. Caroli Borromaei, S. Ignatii, S. Xaverii, S. Catharinae Senensis, S. Teresiae, B. Mariae Magdalenae de Pazzis. In his enim vitis representata est eximia et excellentissima sanctitas, ad quam quis pervenire potest in hac vita: quas ideo propono lectoribus, quia facile inveniuntur ubique, non aeque vitae aliorum Sanctorum, difficile parabiles sed non minus his exemplares.

Secundo, cognosci potest haec virtutum excellentia ad vitae sanctitatem omnino necessaria, ex praeclara doctrina a S. Thoma relata et approbata, desumpta ex antiquis scriptoribus [2]), procul dubio a Deo illuminatis, qui bene docuerunt in perfectis hominibus esse quasdam «virtutes purgatorias, trans«euntium, et in Divinam similitudinem tenden«tium... ita scilicet, quod prudentia, omnia mundana «Divinorum contemplatione despiciat, omnemque ani«mae cogitationem in Divina sola dirigat: tempe«rantia vero relinquat, in quantum natura patitur, «quae corporis usus requirit: fortitudinis autem est,

---

[1]) Vide pag. 432. et ibid. not. 2-am. [2]) *Macrob.* Somn. Scip. l. I. c. 8. versus fin., et ibi *Plotinus.*

«ut anima non terreatur propter recessum a corpore, «et accessum ad superna: iusticiae vero est, ut tota «anima consentiat ad huiusmodi propositi viam. Quae- «dam vero sunt virtutes iam assequentium Divinam «similitudinem, quae vocantur virtutes iam purgati «animi, ita scilicet, quod prudentia sola Divina in- tueatur: temperantia terrenas cupiditates nesciat: «fortitudo passiones ignoret: iustitia cum Divina mente perpetuo foedere societur, eam scilicet imi- «tando: quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum» [1]). Haec ex S. Thoma sufficient pro explicatione secundae conditionis ad vitae sanctitatem requisitae.

Sed quia quandoque contingit, ut viri antea sanctissimi, in aliquod peccatum mortale deliberate labantur, per quod Spiritus Sanctus ex anima, in qua tanquam in dilectissima sponsa sua habitabat, expellatur, quo tempore is qui tali peccato se contaminavit sanctus non est, nec dici potest (uti Davidi contigit, in turpi illo duplici lapsu iniurioso Betsabeae et Uriae eius marito), ideo etsi tunc virtutes morales acquisitae non excludantur ex anima, sed solae infusae theologicae et morales (relicta tamen in anima virtute fidei et spei), ideo inquam:

Tertia conditio necesaria est ad sanctitatem: praesentia Spiritus Sancti, per gratiam peccato mortali adversantem, inhabitantis, et animam quodammodo supernaturaliter vivificantis Sanctimonia sua. «Duae «enim vitae sunt, inquit S. Augustinus, una cor-

[1]) I. II^{ae} q. LXI. a. 1. ⊙.

«poris altera animae: sicut vita corporis est anima, «sic vita animae Deus est. Quomodo si anima de«serat moritur corpus; sic anima moritur si deserat «Deus» [1]). Deserit autem ob quodvis peccatum mortale, et tunc anima spiritualiter moritur. *Anima*, inquit Ezechiel Propheta (XVIII. 4), *quae peccaverit ipsa morietur*. «Non vivit, ut ait S. Bernar«dus, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, «qui ceteris inficitur pestibus, quoniam non est hoc «vivere sed vitam confundere et appropinquare «usque ad portas mortis [2]). Quocirca ad sanctitatem vitae necessarium est ita habere excellentes omnes virtutes, ne unquam ullo peccato mortali expellantur una cum Spiritu Sancto, *qui non habitat in corpore subdito peccatis* (Sap. I. 4). Et quidem in sanctis viris eximiis, ita sunt bene radicatae virtutes, ut loquendo moraliter, quodammodo ex abundanti gratia amitti per peccatum mortale non possint nec deberent. Talis erat S. Paulus Apostolus, qui de se scripsit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro* [3]). Tales esse debent sancti.

Nam ut ait S. Bernardus, «Verbo innixum, et «indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla

---

[1]) Enarr. in Psal. LXX. ser. II. n. 3 ante finem (P. l. XXXVI. 893). [2]) In festo SS. Petri et Pauli, ser. I. n. 3 (P. l. CLXXXIII. 407). [3]) Rom. VIII. 38, 39.

«iam illecebra poterit, vel stantem deiicere vel «subiicere dominantem» [1]). Talem firmitatem virtutis appellare solet, in bono sensu, «obstinationem» in bono, Tertullianus [2]).

Quarta conditio ad sanctitatem omnino necessaria est, ut virtutes eximiae non sint in homine otiosae, sed perpetuo producentes fructus bonorum operum excellentes, ut imitentur Apostolum dicentem de se: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Esset autem vacua, si non produceret perpetuo fructus bonorum operum. Ideo in Evangelio assimilatur a Christo Domino gratia *aquae salienti in vitam aeternam* [3]), ut exponit S. Ambrosius [4]) cum Toleto [5]). Sicut enim aqua emanans e fonte perpetuo fluit, ita in hominibus sanctis, fontem Spiritus Sancti, gratiarum auctorem in se habentibus, fons iste, per aquam gratiae, virtutum originem, incessanter fluentem, et in altum, per merita, gloriam coelestem conciliantia salientem, perpetuo producit bonorum operum opulentiam. Quocirca S. Bernardus ait: «Viri sapientis «suam vitam, suam mentem, suam conscientiam esse «vineam..., in qua est vitis virtutis, botrus boni ope«ris..., et lignum fructiferum, non aridum, non ste«rile, non mortuum, sed vivens. Bona vinea iusti, «imo bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio

[1]) In Cant. ser. LXXXV. n. 5 ipse finis (P. l. CLXXXIII. 1190 C). [2]) Exhort. ad castit. c. XIII. in medio (P. l. II. 978); et De spect. c. I. (Ib. I. 705). [3]) Ioan. IV. 14. [4]) De Spir. S. l. I. c. XVI. n. 160. (P. l. XVI. 771). [5]) Comment. in Ioan. IV. annot. 3 in fine.

«palmes, cui vinum testimonium conscientiae no-«strae... Apud Sapientem vacat nihil: sermo, cogi-«tatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, totus «Dei agricultura est, Dei aedificatio est, et vinea «Domini Sabaoth. Quid denique illi de se perire «possit, quando et folium eius non defluet» [1]). Et alibi: «Lectulus, inquit, respersus floribus, conscien-«tia est bonis referta operibus:... nequaquam sufficit «semel vel secundo operari quod bonum est, nisi «incessanter addas nova prioribus, quatenus se-«minans in benedictionibus de benedictionibus et «metas» [2]).

«Apud ignavos» (quales non sunt Sancti) ait S. Ambrosius, «nulla sunt insignia virtutis: apud «Sapientes» (et hi sunt Sancti) «prima habentur; stu-«dia enim virtutis» (quae sunt operum bonorum exercitia incessantia), «quaedam instrumenta sunt. Ita-«que sicut bellator sine armis esse non potest, ita «nec sine exercitatione virtus» [3]). Exercitatio autem, est «bonorum operum opulentia», ultimo loco ad sanctitatem requisita iudicio S. Chrysostomi.

Hae sunt quatuor conditiones sanctitatis perfectae, intra quas, haec signa perfectae virtutis includuntur: *Primo.* Omnia operari perfectissime, hoc est iuxta: 1) lumen et dictamen rectae rationis, et 2) doctrinam S. Scripturae, et 3) S. Ecclesiae, et 4) praescriptum suorum Superiorum, et 5) regu-

---

[1]) In Cant. ser. LXIII. n. 2 et 3 (P. l. CLXXXIII. 1081). [2]) Ibid. ser. XLVII. n. 2 (Ibid. 1009 A). [3]) De Cain et Abel, l. I. c. IV. n. 12 (P. l. XIV. 340 A).

larum propriae Congregationis, et iuxta internas inspirationes, supradictis quinque illustrationibus et doctrinis conformes. Inter quas perfectiones bene operandi sunt adhuc duae: ut *a)* omnia opera fiant cum summa diligentia, et *b)* spiritus fervore. *Secundo.* In omnibus occasionibus bene operandi, eligere id, quod perfectius est. *Tertio.* Inter aeque perfecta, eligere id, a quo magis amor proprius abhorret, et quod Christi vitae, pauperi, afflictae, despectae, conformius est. *Quarto.* Tolerare omnia adversa, non tantum patienter, sed etiam libenter, verumetiam cum gaudio et exultatione, saltem partis superioris. *Quinto.* Insatiabili desiderio teneri quam plurima bona faciendi, et quam plurima mala paenalia pro Deo tolerandi. *Sexto.* Exterius vivere irreprehensibiliter. *Septimo.* Perpetuo proficere in virtutibus. *Octavo.* Omnes temporis particulas in operibus meritoriis traducere. *Nono.* Omnia et facere et pati pure propter Deum, non desiderando ob id ullam remunerationem in hac vita et in altera. *Decimo.* Tam in prosperis quam in adversis perfectam conformitatem habere cum Divina Voluntate, per ipsum et per suos Vicarios declarata, sine ulla exceptione et tergiversatione in ea exequenda. *Undecimo.* Certum etiam sanctitatis signum est, praeter omnia illa quae supra allata sunt, ferre rectum iudicium de rebus et personis (et nobis faventibus, et contrariis ac nobis adversantibus) sine ullo inordinato affectu amoris et aversionis. *Duodecimo.* Certissimum est, viros sanctos, quo magis in virtute crescunt, eo fieri mitiores, affabiliores, et, ut ita dicam, magis phlegma-

ticos, et remissos in puniendis aliorum culpis, et maiore commiseratione praeditos erga afflictos et imperfectos ac delinquentes, et favorabiliora ferentes iudicia de aliorum dotibus ac talentis naturae et gratiae: iuxta illud S. Gregorii Papae: «Vera iusti-«tia compassionem habet, falsa vero dedignationem» [1]).

Aliter S. Bernardus describit sanctitatem, breviter quidem et compendiose, sed in eius brevibus dictis comprehenduntur fusius dicta a S. Chrysostomo: «Sanctum facit, affectio sancta, et ipsa ge-«mina: timor Domini sanctus, et sanctus amor. His «perfecte affecta anima, veluti quibusdam duobus «brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, te-«net, et ait: *Tenui eum, nec dimittam* [Cant. III. 4]» [2].. Ubi est enim Dei timor et amor illic sunt omnes illae conditiones, quas ex S. Chrysostomo attuli, ad sanctitatem perfectam requisitae.

Alio vero in loco idem Sanctus sic ait: «Tria «sunt quae sanctam faciunt hominis vitam: victus «sobrius, actus iustus, sensus pius. Victus sobrius «erit, si continenter, si socialiter, si obedienter, id «est caste, charitative, humiliter vixerimus. Per con-«tinentiam enim castitas, per socialitatem charitas, «per obedientiam humilitas acquiritur. Et haec est «virtus quae animam perfecte Deo subditam, sub «umbra alarum ipsius secure facit vivere. Actus «iustus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus.

[1]) In Evangelia, l. II. hom. XXXIV. n. 2 (P. l. LXXVI. 1246 D). [2]) De Consid. l. V. c. XIV. n. 30 (P. l. CLXXXII. 805—6).

«Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. Sensus pius erit, si fides nostra Deum sentit summe potentem, summe sapientem, summe bonum: ut per eius potentiam, nostram credamus adiuvari infirmitatem: per eius sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam: per eius bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem» [1]).

CAPUT XXXIII.

De Modo colendi Deum, per Imitationem divinarum SS. Trinitatis Personarum.

Primo, imitanda est SS. Trinitas in hoc, ne unquam, quantum fieri potest, peccemus. Quod cum in hac vita de lege ordinaria fieri non possit, et soli Christi D. Humanitati ac B. Virgini Mariae fuerit concessum, saltem vitemus peccata omnia illis modis, quos posui in Opusculo «De indiciis et gradibus spiritualis profectus» [2]) et iterum in Opusculo «De quatuor F». [3]).

Secundo, imitandus est Deus non solum in non-peccando unquam, sed etiam in quadam morali impossibilitate peccandi, tali qualem explicavi in Opusculo «De indiciis et gradibus profectus» [4]). Nam ut ait S. Dionysius Areopagita: «Oportet nos, si

---

[1]) Ser. de diversis LXIV. n. 2 (P. l. CLXXXIII. 687). [2]) Capite I. et II. [3]) Cap. II. [4]) Cap. I. (pag. 32 edit. Antverp. 1641).

«ad communionem Dei aspiramus, divinissimam «eius in carne vitam contemplari, atque sanctam «eius impeccantiam imitando» (alia versio habet, im-«peccabilitatem), «ad deiformem et immaculatum sta-«tum contendere. Hac namque ratione prout nobis «congruit, similitudinem suam nobis communicabit»[1]).

Tertio, imitandus est Deus in carentia passionum, quibus etsi carere non possumus, ut ille, possumus tamen cum divina gratia eas moderari, et acquirere earum dominium, illis modis, et in illis rebus situm, quas recensui in Opusculo «De dominio passionum»[2]), et in Opusculo «De indiciis et gradibus profectus»[3]).

Quarto, imitandus est Deus in perfecte operando, tum ob perfectissimum finem, tum perfectissimo modo, quem tradidi in Opusculo «De quatuor F».[4]). et in Opusculo «De indiciis et gradibus profectus»[5]).

Quinto, imitandus est Deus in plenitudine infinita sanctitatis et omnium virtutum eius naturae convenientium infinita excellentia, procurando, ut divinae eius gratiae cooperando, per continuum in virtutibus progressum, conemus quam maxime et quam propinquissime accedere ad perfectissimos gradus omnium virtutum nostro statui et conditioni convenientium, iis modis, quos ostendi in Opusculo «De indiciis et gradibus profectus»[6]), et (si tam diu

---

[1]) De eccles. hier. c. III. n. III. §. 12 ipse finis (P. gr. III. 443). [2]) Cap. XII., XIV. et sq. [3]) Cap. III. et IV. [4]) Cap. III. et IV. [5]) Cap. VIII. [6]) Cap. IX., X. et XI.

Deus vitam et gratiam suam dederit), ostendam in Opusculo quod meditor: «De natura, gradibus, et ornamentis singularum virtutum».

Sexto, imitandus est Deus in mira Unitate coniuncta cum Trinitate personarum inter se distinctarum; ita conservando carnem obedientem animae divinis doctrinis informatae, et iuxta dictamina perfecta rectae rationis operanti, ac si illa esset una res simplicissima et unum quod cum corpore, et quasi indistinctum; et ita concorditer vivendo cum aliis, etsi multis, ac si esses unius cordis, iudicii et voluntatis circa fugam malorum, et executionem bonorum operum.

Septimo, imitandus est Deus in mysterio numeri ternarii. Cum enim foecundissima Dei natura exigeret pluralitatem personarum, eas nec pauciores quam tres, nec plures esse voluit; ut hinc hoc quoque discas, fugere solitudinem et singularitatem a communi et probato modo vivendi abhorrentem; et vitare familiaritatem non spiritualem cum una aliqua persona; et non habere multas privatas tibi aequales personas conscias tuorum secretorum.

Octavo, imitandus est in coniunctione virtutum quae actus habent contrarios, et difficile in hominibus coniunguntur. Ut quemadmodum in Deo est iustitia punitiva et misericordia erga nos eiusmodi, ut dicat S. Ecclesia: «Dei proprium esse misereri «et parcere, et nosse omnia», nihilominus oblivisci iniuriarum, dum quis ex corde dolet ob admissa peccata; ita in te coniuncta sit in gradu excelso, misericordia et commiseratio, imo ipsa viscera

misericordiae, et simul zelus iustitiae et rectitudo, et dum opus est, punitio malorum; timor Dei, et spes in Deum; item humilitas profundissima, simul cum magnanimitate excelsa; paupertatis amor, cum liberalitate coniunctus; mansuetudo cum zelo; cura discreta sanitatis corporis, cum sancto odio sui et mortificatione membrorum ac sensuum assidua; desiderium ardens coelestis gloriae, et in ea videndi Deum, coniunctum cum desiderio diu vivendi in hac vita (si ita placeat Deo), ut quam plurimi iuventur et trahantur ad Deum, et tu quam maxima congreges merita tibi, ad Deum in coelo quam maxime glorificandum, amandum, et exhilarandum, ac oblectandum eximia sanctitate et gloria.

Nono, imitanda est Dei immutabilitas, ut sicut ille in natura sua est immutabilis, ut licet actus externi Dei, ab eo procedant contrarii inter se, verbi gratia: extrinseca malorum punitio, et bonorum remuneratio; immissae calamitates, et concessi favores ac praemia: ita tu nunquam a statu quieto mentis tuae abscedas, aut perturberis, sed sis constans in bene coeptis et bene promissis, ne ullis malis consiliis, vel exemplis, vel occasionibus, vel tentationibus, vel propria voluntate, a bono apprehenso, praesertim inchoato vel promisso, resilias; et sive vituperando mala, sive laudando bona; sive remunerando, sive puniendo, intra te immutabilis permaneas, quoad internam mentis tranquillitatem et pacem, a nullo inordinato passionum naturalium motu perturbatam.

Decimo, imitandus est Deus in summa naturae

suae puritate, nullius alterius rei admixtione variatae. Imitaberis autem hanc Divinitatis perfectionem, si nil in te sit nisi divinum, hoc est, nullum opus internum et externum, nulla debita omissio operis, quae pure propter Deum tanquam causam impulsivam et motivam non fiat, et quidem modo divino, hoc est praescripto a Deo, vel per Sanctam Scripturam, vel per Sanctam Ecclesiam, vel per SS. Patrum doctrinam aliorumque vitae spiritualis Magistrorum et tuorum Superiorum. Hoc assecutus fuerat S. P. N. Ignatius, qui aliquando dixit, «se »vivere non posse, si quid in anima sua humanum, »et non omni ex parte divinum adverteret» [1]).

Undecimo, imitanda est Dei immensitas, per suam substantiam omnibus rebus creatis intime et substantialiter praesentis, easque penetrantis, magis quam creaturae se mutuo tangentes. Sicut ergo per suam immensitatem praesens Deus etiam rebus foedissimis, nil nocumenti percipit, immaculatus permanet, ita tu tam circumspecte et attente inter creaturas verseris, ne quidquam tibi illae noceant, nec sensus et membra mentemque tuam coinquinent.

Duodecimo, imitandae sunt Divinitatis divitiae, quae nulla re indiget existente extra se, sola sibi sufficit ad omnia quae habet infinities infinita intra se; ad cuius exemplum tu rebus creatis indigens, iis quam paucissimis, quam rarissime, quam mini-

[1]) In Opusculo: «Gloria S. Ignatii» cap. VII. inter med. et fin.

me utere, et loco superfluarum, solo Deo sis contentus.

Decimo tertio, imitanda est Dei aeternitas principio et fine carens, se tibi exhibens praemium aeternum quo in coelis inamissibiliter fruaris. Quod quia per virtutem et sanctimoniam huius vitae iusti assequuntur, tu da operam ut tam firmae et stabiles sint in te virtutes omnes, ne ulla creatura eas tibi eripiat, et quasi aeterno quodam vinculo sint in te, Dei beneficio colligatae, tibique inamissibiliter unitae.

Decimo quarto, imitanda est Dei independentia, qui a nullo dependet, nil pro se quaerit, nulla re extrinseca opus habet. Hoc imitaberis, si solum Deum et eius extrinsecum bonum, hoc est gloriam eius et cultum et amorem, in te et in aliis, iuxta conditionem tuam quaeres, et nulla humana patrocinia, per quae ex amore inordinato tui, possis evehi ad honorifica et speciosa officia, vel gradus vel commoda, non quidem contemnendo et non curando alios, sed sine inordinatis prensationibus favorum humanorum, totam spem collocando in Deo, et dispositionem de te, Deo et tuis Superioribus committendo, nil particulare pro te desiderando et procurando, nisi solius Dei quam maximum obsequium, eo modo, quo vult a te et de te statuere Divina Providentia, quae omnes capillos tuos numeratos habet, et cui maior est cura de te, quam de aliis creaturis ratione carentibus.

Decimo quinto, imitare cogitationes Dei, circa quid se occupent, et quo fine; et tuas omnes co-

gitationes, ut eius cogitationibus sint quam simillimae, conare.

Decimo sexto, imitare Dei voluntatem, quid illa velit, quid nolit, quibus rebus delectetur, a quibus abhorreat, et omnes tuas affectiones, et tuas aversiones, divinis ut sint similes, da operam.

Decimo septimo, imitare Dei beneficentiam erga creaturas omnes, per quam incessanter, prorsus omnibus providet, conservando illas in natura quam eis dedit, concurrendo tanquam auctor naturae ad earum actiones naturales; excitando tanquam auctor gratiae ad actus supernaturales homines, et in iis perficiendis iuvando, novas in dies et horas et momenta gratias et beneficia multiplicia conferendo, idque etiam inimicis suis, et indignis omni bono. Tu talis esse stude, ut quemadmodum de Christo Domino scriptum est, *pertranseas omnibus benefaciendo,* omnibus serviendo, omnes iuvando, omnium desideria licita, quantum licet exequendo, idque non intuitu ullius remunerationis, sed pure propter Deum, quia Deus propter se solum pure omnibus creaturis benefacit semper et ubique.

FINIS OPUSCULI UNDECIMI.

INDEX RERUM,

QUAE IN HOC OPUSCULO UNDECIMO CONTINENTUR.

ACEDIAE remedium. pag. 16. *a capite.*

ACTUS. De actibus amoris erga Deum eliciendis, p. 273 *Cap. XV.*

ACTUS quidam iterni amoris Dei proponuntur. p. 275. *a linea.*

Item ACTUS ejusdem amoris breviores. p. 288. *a linea.*

ADORATIO. De multiplici sacra adoratione. p. 175. *Cap. XII.*

ADORATIONES faciendae post Communionem. p. 316. *ad calcem*, et seq.

ADORANDA in Christo recenter nato. p. 335. *init.* et seq.

ADORANDA in Christo resuscitato. p. 371. *a 2-o capite*, et seq.

ADVERSITATES et Calamitates beneficia sunt Dei. p. 157. *a 2-o cap.* et seq.

AFFECTUS. Piorum Affectuum, seu devotionum varia genera. p. 64. *a 2-o capite,* et deinceps fere toto Opusc.

Quam accepti sint Deo pii AFFECTUS, et quo ordine eliciendi. p. 295. *Cap. XVI.*

AFFECTUS praecipui sex proferuntur, in meditatione Passionis eliciendi. p. 349. et seq.

AFFECTUS depromendi transeuntibus pagum aliquem, oppidum, vel urbem etc. p. 261. *post init.*

De piis AFFECTIBUS per creaturas excitandis. p. 255. *Cap. XIV.*

ALPHABETUM vitae spiritualis. p. 404. *Cap. XXIX.*

AMOR. Quales actus externi, verum Dei amorem demonstrent. p. 292. *a linea.*

ANGELUS. Oratio ad Angelos Sanctos, post Communionem. p. 325.

Sancti ANGELI et Sanctorum animae in coelo colendi sunt. p. 178. *a 2-o cap.*

Ne quidem ANGELI praeconio possunt consequi laudes B. V. Mariae. p. 198. *ad cal.*

ANIMA. De Animae purgatione et puritate. p. 401. *init.*

ATTRIBUTA DEI. Distiguenda in Christo, ut Deo, attributa eius Divinitatis, ut eorum occasione post Communionem, eliciantur actus diversi. p. 322. *a c.*

BACCHANALIA. De devotionibus adhibendis tempore Bacchanaliorum. p. 343. *Cap. XXI.* Quomodo illa peregerit B. Henricus Suso Ordinis Praedicatorum. p. 346. *a c.* et seq. In Bacchanalibus bona hominis vita magis est accepta Deo; quod eo tempore magis solito plus Deus, et a pluribus offendatur. p. 420. *a 2-o cap.* et 424. *a cap.*

BENEFICIUM. De recordatione beneficiorum Dei. p. 137. et seq. Quaedam beneficia Dei latentia non agnoscuntur. p. 154. *a 2-o cap.*

Nulla Dei BENEFICIA sunt minima, sed omnis sunt maxima et quomodo? p. 163. *a 2-o cap.* et p. 164—5.

S. BIRGITTA. Monita quae B. V. Maria per S. Birgittam cuidam dedit Episcopo. p 266. *post init.*

Quae virtutes in B. V. Maria fuerint S. BIRGITTAE divinitus ostensae. p. 209. *a c.*

COMMUNIO. Sacrum audiens quid ad Communionem Sacrificantis operetur. p. 332.

CONCEPTIO. Auctoris consilium circa opinionem de immaculata Conceptione B. V. Mariae tenendam. p. 213. *a 2-o cap.*

CONSUETUDO. Sensim assuefaciendi sunt tirones exercitiis pietatis. p. 305. *a 2-o cap.*

CONVERSIO illorum qui sunt in peccato mortali inter Ecclesiae necessitates numeratur. p. 121. *ad cal.* et seq.

CREATURAE. De piis affectibus per creaturas excitandis. p. 255. et seq.

DEVOTIO. De devotionibus quae fieri possunt in nocte Nativitatis Domini. p. 334. *Cap. XX.* Devotio quid proprie, et quomodo in Christo fuerit. p. 368. *a 2-o cap.* et 369. *a 1-o c.*

De DEVOTIONIBUS tempore Bacchanaliorum. p. 343. In Quadragesima, praesertim ultimis diebus Hebdomadae Sanctae. p. 349. Per Octavam Corporis Christi. p. 407. Per Octavam alicuius Sancti. p. 409.

DEUS. Modus practicus representandi Deum. p. 25. *ab ult. cap.* Dei praesentis recordatio, quid momenti praestet. p. 8. *a 1-o cap.* et seq.

De modo colendi DEUM per bonam vitam. p. 417. *Cap. XXXI.*

De modo colendi DEUM per vitam Sanctam, et quid vita Sancta. p. 431. *Cap. XXXII.*

DIDACUS Martinez, Peruanorum Apostolus, quoties in die Christum pro nobis natum adorare solitus esset. p. 177. *ab ult. cap.*

DOLOR ob Christi Passionem conceptus, quantopere Deo sit gratus p. 70. *a cap.* De dolore ac detestatione peccatorum. p. 84. *Cap. VII.* Quam deplorandus orbis terrarum status, quod maiori ex parte cognitione Dei vera careat. 94. *post med.* et seq. Potior est dolor interior, quam exterior apud Deum. p. 100. *a 2-o cap.* Notanda circa dolorem de peccatis p. 102. *a cap.* Quam Deo gratus etiam levium. p. 87. *a c.* et seq. Etiam alienorum. 93. *a c.* et 94. *a c.* Quanto magis propriorum. p. 99. *a c.* 72.

DONA. Non ad ipsum donum aut beneficium intendendus est animus, sed magis ad Deo gratias agendas, pro benevolo eius affectu erga nos. p. 173. *a c.*

DULIA debetur Sanctis. p. 175. *a cap.*

EUCHARISTIA. De modo colendi Deum in Sanctissima Eucharistia. p. 306. *Cap. XVIII.* Ante Communionem, seu Sacrificium Missae, quae sint utiliter consideranda. ibid. Affectus excitandi post Communionem seu Sacrificium Missae. p. 316. *in med.* Devotiones

quae fieri possunt per Octavam Corporis Christi. p. 397. *Cap. XXVII.*

FORMULA seu Methodus. Praxis eliciendi pios affectus varii modi proponuntur. p. 295—6. Verba seu formulae loquendi triplices in expressione horum affectuum. p. 298. *a capite*, et seq. De modo perfecte operandi. p. 301. *Cap. XVII.*

De modo seu FORMULA colendi Deum in Sanctissima Eucharistia, et ut Sacramentum, et ut Sacrificium est. p. 306. Modus audiendi Sacrum. p. 328. *Cap. XIX.* Modus dicendi brevem Coronam, seu Rosarium, dum quis infirmatur, aut est in itinere. p. 406. *Cap. XXX.* Modus colendi Deum per imitationem divinarum SS. Trinitatis personarum. p. 443. *Cap. XXXIII.*

GRATIA. De multiplici gratiarum actione. p. 137. *Cap. XI.* Quibus fere modis in gratiarum actione versemur. p. 145. *a c.*

GRATIARUM actio pro adversis. p. 157. *a 2-o cap.* Gratiarum actiones post Communionem. p. 316. In nocte Nativitatis Domini. p. 334. *Cap. XX.*

GRATIAE, quae pro redemptione peracta sunt agendae. p. 365. *initio,* et passim per totum istud Cap.

GRATULATIO. Quibus gratulationibus excipiatur Christum Dominus post resurrectionem. p. 377. *Cap. XXIV.*

HYPERDULIA B. Virgini debetur. p. 175. *a c.*

IMAGO. De sacrarum Imaginum aspectu pio. p. 83. *init.* Cultus Imaginum. p. 183. *a 1-o cap.*

INIMICUS. Agendae sunt Deo gratiae pro beneficiis, collatis eius inimicis, ut sunt daemones, damnati, haeretici etc. quare, et per quem modum. p. 174. *a c.*

ADVERSARII blande sunt alloquendi, etsi vitae tuae insidiarentur. p. 361. *a 3-o cap.*

INTENTIO recta quanti sit momenti. p. 44. *a c.* et seq.

LATRIA Deo debetur. p. 175. *a c.*

De custodia LINGUAE. p. 393. *a 1-o c.*

LOCUS. Quae loca cultum mereantur. p. 183. *a 2-o c.* et seq.

B. V. MARIA. Privilegia B. V. Mariae a Deo collata. p. 251. *a 4-o cap.* et seq.

De quibusdam festis B. V. MARIAE pie celebrandis. Quomodo festum Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis eius honorari possit. p. 402. *init.* et seq.

De multiplici cultu et adoratione B. V. MARIAE. p. 186. *Cap. XIII.*

MEDITATIO. Meditanda in nocte Nativitatis Christi. p. 334. Piae considerationes ante sepulchrum Domini. p. 364. *Cap. XXIII.*

NECESSITAS. De orando Deo pro variis necessitatibus. p. 119. Inter necessitates quaenam ponendae sunt primo loco. p. 121. *a 1-o cap.* et seq.

OBLATIO Passionis et mortis Christi, apud aeternum Patrem esse magni valoris edocetur. p. 73. *a 1-o c.* Oblationes post Communionem. p. 318. *a c.* Offerenda ante sepulchrum. 327. *init.* et seq. Offerenda Christo Puero in nocte Nativitatis Domini. p. 338. *a 3-o cap.* Offerenda Iesu resuscitato, in Paschate. p 373. *init.* et seq.

De OBLATIONE bonorum propositorum. p. 112. *Cap. IX.*

Modus OFFERENDI res nostras Deo. p. 30. et seq.

OFFERENDUM est Deo non propter praemia quae speramus, p. 36. *a c.* Quomodo S. Gertrudis offerebat sua Deo. p. 50. et seq.

OPERA. Conditiones, quae requiruntur ad operandum optime. p. 440. *a 2-o cap.*

Deus magis probat cultum sui per OPERA quam verba. p. 203. *ad cal.*

De modo perfecte OPERANDI. p. 301. *a c.* et seq.

ORATIO. De frequenti et ferventi oratione. p. 397. *ab init.*

ORATIO iaculatoria. p. 5. *a cap.* Eius utilitates. pag. 6. *post med.* et seq. Petitiones post Communionem. p. 319. *a 1-o cap.*

De ORANDO Deo pro variis necessitatibus. p. 119. *Cap. X.*

ORARE dicuntur, qui bene operantur. p. 42. *a c.*

ORDO. Quo ordine pii sint affectus eliciendi. p. 296. *ab init.* et seq.

OTIUM. De modo bene traducendi tempus liberum ab occupationibus distractivis. p. 55. *Cap. V.*

PASSIO Christi. De modis recolendae Christi Passionis, et cur eius memoria grata sit Deo. p. 57. *Cap. VI.*

Quot modis affectuosa fiat recordatio PASSIONIS. p. 64. *a 1-o cap.* et quanto cum emolumento. p. 65. *inter med. et fin.*

Simplex Christi PASSIONIS memoria quantae sit utilitatis. p. 351. *init.* et seq. et toto Cap. XXII. ubi agitur de piis affectibus in Quadragesima.

PASSIONUM motus vehementes etiam rei non malae, refraenandi sunt. p. 28. *a 2-o cap.*

PATER. Enumerantur 4 causae, ob quas in actibus internis amoris Dei, praeter titulum Domini apponatur etiam titulus Patris. p. 289. *a 7-o c.*

PATIENTIA Dei quantum sit beneficium peccatoribus. p. 153. *a 2-o c.*

PECCATORUM recordari quare necesse. p. 22. *a c.*

PECCATUM qui declinetur. p. 8. *a 2-o c.*

PETRUS FABER. Eius industra pia, dum locum aliquem transiret, aut propius accederet. p. 267. *a c.*

Orabat verbis e PRECIBUS Ecclesiae depromptis. p. 300. *ad cal.*

PRAXIS. De praxi Divinae praesentiae et orationum iaculatoriarum, ac variis modis Deum pie colendi. p. 5. et toto opusculo.

PROPOSITUM. De oblatione bonorum propositorum. p. 112. *Cap. IX.* Enumerantur quaedam proposita heroica ibidem *a 2-o c.*

PURGATORIUM. Commendanda est Deo liberatio animarum ex purgatorio. p. 126. *a c.*

QUADRAGESIMA. De piis affectibus exercendis in Quadragesima et Hebdomada Sancta. p. 349. *Cap. XXII.*

RELIQUIAE Sanctorum merentur cultum. p. 182. *a 1-o cap.*

RESURRECTIO. Quomodo Christus Dom. post Resurrectionem seu Pascha, devote sit excipiendus. p. 377. *Cap. XXIV.*

REVELATIO. De quibusdam revelationibus, quae circumferuntur, iudicium. p. 213. *a 3-o cap.* et seq.

ROSARIUM. De recitatione Rosarii B. Virginis. p. 232. *a 2-o c.*

De salutatione Angelica. p. 230. *a c.* et seq.

Modus dicendi brevem Coronam, quando quis habet caput fatigatum, sive est in itinere sive in infirmitate. p. 406. *Cap. XXX.*

SACRIFICIUM Missae. Ante Communionem vel Sacrificium Missae consideranda. p. 306. *Cap XVIII.* Intentio fixa seu actus finis constituendus est sacrificaturo. p. 313 *a 2-o c.* Affectus excitandi post Communionem seu Sacrificium Missae. p. 316. *a 1-o c.* et seq. modus audiendi Sacrum. p. 328. *Cap. XIX.*

SANCTI. Orationes ad SS. Patriarchas et Prophetas etc. post Communionem. p. 325. *a 3-o c.* et seq.

Devotiones quae possunt fieri per octavam alicuius SANCTI. p. 399. *Cap. XXVII.*

De variis modis colendi Deum et SANCTOS. p. 409. *a 2-o c.* et seq.

De precibus B. V. Mariae et Electorum, qui sunt in coelo pro defunctis. p. 217. *a c.* et seq.

SOLATIUM in moerore. p. 23. *initio.*

SPIRITUS Sanctus. De praeparationibus praemittendis festo Pentecostes ad obtinenda dona Spiritus Sancti. p. 387. *Cap. XXV.* Aliae praeparationes pro tironibus. p. 390. *a 5-o c.* Praesentia Spiritus Sancti per gratiam inhabitantis est conditio necessaria ad vitae sanctitatem. p. 437. *a 2-o cap.*

SPIRITUALIA aliter alius proponit. p. 23. *a 2-o c.*

Explicantur probata methodo. p. 25. *a 1-o c.* et seq.

TITULUS. Cur in actibus internis amoris Dei praeter titulum „Domini“ apponatur etiam titulus „Patris“. p. 289. *a 7-o c.*

Cur primo loco TITULUS „Sanctissimi“. p. 291. *init.*

Cur adduntur TITULI: Domini et Dilectissimi. ibid. *a 3-o et 5-o cap.*

SS. TRINITAS. De modo colendi Deum per imitatio-

nem divinarum SS. Trinitatis personarum. p. 443. *Cap. XXXIII.*

TRISTITIA. Solatium in tristitia. p. 23. *init.*

Petendum a Deo adiutorium eorum qui sunt in TRISTITIA. p. 132. *a c.*

VIRTUS. Actus virtutum variarum eliciendi post Communionem. p. 316. *a c.*

De imitatione heroicarum Christi VIRTUTUM, quae resplenduerunt in eius Passione. p. 358. *a c.*

Quomodo illas imitemur p. 360. *a 1-o c.*

Enumerantur septem VIRTUTES, quibus Christus sepultus fuit ornatus. p. 364. *a 3-o c.*

Ad vitae sanctitatem requiritur ut VIRTUTES in homine non sint otiosae. p. 439. *a cap.*

VITA. De modo colendi Deum per bonam vitam. p. 417. *Cap. XXXI.*

Quid bona VITA? ibid. *a 2-o c.*

De modo colendi Deum per VITAM sanctam, et quid vita sancta? p. 431. *Cap. XXXII.*

Quatuor conditiones omnino necessariae et sufficientes ad VITAM sanctam. p. 432. *a c.* et seq.

Pro prorogatione VITAE et sanitatis Deo agendae gratiae. p. 152. *init.*

Alphabetum VITAE spiritualis. p. 404. *Cap. XXIX.*

VOTUM. De renovatione Votorum p. 107. *Cap. VIII.*

Quam accepta sint Deo VOTA? p. 110. *a capite.*

A. M. D. G. et B. V. M. H.

EXCUDEBAT J. ŁAKOCIŃSKI. — SUMPTIBUS ORDINIS S. J.

240.83
L226
LANCICIUS, NICOLAUS, S. J. 44120

AUTHOR

De Praxi Divinae Praesentiae

TITLE et

Orationum Iaculatoriarum

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	Haven
	O'Brien
	STORAGE - CBPL

44120